







DISSERTA-TIONES.

VLRICI OBRECHTI
ACADEMICA
in unum Volumen collecta
DISSERTATIONES,
ORATIONES, PROGRAMMATA,
complexum,
CUM PRÆFATIONE
JOHANNIS CASPARI KHVNII,
Historiarum & Eloquentiæ Prof. Publ.
Et Indicibus necessariis.



ARGENTORATI
Sumptibus ALBERTI SPOOR, Bibliop.
ANNO M DCC IV.



PRÆFATIO
AD LECTOREM.



Ollectionem publicationemq́ eorum, quæ à Summi *in literis* Viri *ingenio curaque profecta, aut expolita industria hic tibi,* Lector benevole, *sistuntur, & debitus ipsius memoriæ per uni-*

versum orbem literatum cultus, & commune in promovendis rei literariæ incrementis officium quodammodo efflagitaverunt. Nam sicuti maxima Viri *per omnes Reipublicæ civilis & Literariæ partes merita in Aulis, Curiis, Academiis, admiratione, veneratione, elogiis suo quisq; modo prosequuntur; ita quantum eorum, qui huic curæ incubuerunt, ferebant partes, hac quâlicunq; opella ad perpetuitatem* Obrechtiani *nominis non esse nihil actum confidimus. Repræsentatur enim in hoc quantumvis exiguo volumine idea vastissimæ il-*

lius

lius & per omnes rei literariæ partes diffusæ eruditionis è selectu tractatuque gravissimorum ex omni genere argumentorum enitescens. Civilis certe Prudentiæ specimina, ad cujus culmen sese enixum ipso postea maximarum rerum tractatu ostendit, tum per totum hoc opus sparguntur, tum ex iis maxime Dissertationibus elucent, in quibus principis in arte regnandi populi consilia statusque publicus expenduntur. Ex omni verò Historiæ genere, literariæ, civilis, sacræ, profanæ, domesticæ, externæ, recentis, antiquæ, ea delecta prostant ar-

gumenta, eo eruditionis apparatu tractata, ut facile appareat, nihil ei ad ſummum in hoc genere faſtigium defuiſſe. Idem dicas, ſi ad eas Diſſertationes oculum animumque converteris, quæ magnam hujus voluminis partem faciunt, in quibus de illo jure agitur, quod univerſam hominum ſocietatem, bellique & pacis inter gentes officia dirigit, quo ſtatus Imperij Romano-Germanici publicus continetur, aut privatæ civium ſtabiliuntur fortunæ & dijudicantur controverſiæ. Adeò, ad quodcunque te vertas argumentum, principis in illo diſciplinæ genere

genere imaginem deprehendas; quam præterea ubique ille, qui non nisi rarissimæ eruditionis viros comitatur, accitus ex antiquitate Græca Romanaque, omni denique Philologiæ Polymathiæque genere splendor mirifice exornat. Jam verò de Eloquentia quid dicemus? in qua per omnes dicendi characteres ad summa illum artis pervenisse luculentis in hoc ipso volumine speciminibus ostenditur: sive in argumento philosophico ipsa materiæ gravitas & profunda docendi ratio elegantiâ suavitateque styli esset temperanda; sive in cathedra

Ora-

Oratoria auditorum animi præter argumenti raritatem & utilitatem ſplendidiori inſuper ſermonis apparatu eſſent demulcendi; ſive denique in magnorum Principum Regumque fatis virtutibuſque celebrandis ſublimitate ſtyli cum ipſo laudandorum faſtigio eſſet contendendum. Ex tanti ergo ingenij doctrinæque monumentis ne quidquam periret, cum intercedere quaſi ipſæ Muſæ viderentur, rem utique non ingratam literato orbi præſtitam eſſe credi par eſt, tum diligenti conquiſitione tum collectione in unum Volumen eorum, quæ

per partes jam diu dispersa plerisq; certè erant peritura; nunc verò ex uno veluti promtuario non tantum uberrimam suppeditatura rerum copiam, sed perfectissima insuper eruditæ elegantisque tractationis in omni scribendi genere exempla. Id tamen intereà simul cautum est, ne objici huic fasciculo posset, quod de Notis Grotianis *conquestum esse* Illustris memoriæ Virum *meminimus, aliena & fugiente quidem manu & tumultuaria opera exceptis, & sub ipsius nomine invito ipso publicatis. Nihil enim hic exhibetur, quod non pro genuino ingenij*

ſui fœtu ipſe agnoverit, præter Diſſertationem unam alteramve, (vix enim plures erunt) quas excludendas à reliquis viſum non eſt ; ipſius certè ductu conſilioque directas judicio & approbatione roboratas. Exhibentur autem eo ferè ſingula ordine, quem tempus ipſum, quo elaborata fuere, præfinivit. Itaque & ea, quæ juvenis inter cives Academicos degens ſcripſerat, reliquis præmittuntur. Neque verò hæc ipſa à nobis omiſſa non eſſe quisquam, qui Obrechtum *benè noverit, mirabitur. Quod enim* Longinus *olim dixerat, Odyſſeam Homeri-*

cam

cam Iliadi poſtponens, quoniam illam jam ſenex poëta ſcripſiſſet, ἀλλὰ γῆρας διηγοῦμαι, γῆρας δ' ὅμως Ὁμήρου, cum ſenectutis illud opus appello, Homeri tamen eſſe ſenectutem ſcito, *idem de juventute* Obrechti *valet,*

— — primordia cujus
Vix pauci meruere ſenes.

Vale Lector & his feliciter fruere.



ORDO MATERIARUM,

quæ hoc Volumine continentur.

DISSERTATIONES.

XIV. De

EPISTOLÆ.

ORATIONES.



DISSERTATIO I.

DE

COMMUNIONE.

PROOEMIUM.

Sub Præſ. D. Jacobi Schalleri P.P. Arg. 5. Apr. 1664.



Oſtquam DEUS Ter Optimus Maximus, quinque dierum intervallo, mirandum hujus mundi, & quæ eo continentur, opus abſolviſſet; Sexta denique die Rectorem, qui his omnibus præeſſet, efficacibus hiſce verbis: *Faciamus hominem*: creavit. Excepit opus hoc creationis, ſocietatis inſtitutio; Dixit enim DEUS (ut *Moyſes Gen.2.v.18.* ait.) *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum*: Et *adjunxit ei auxilium quod cum eo eſſet*: Hinc prima illa ſocietas conjugalis, quam mox patria ſecuta eſt: Ex his, una domus; communia omnia; Idque fuit principium urbis, & quaſi ſeminarium Reipubl. Proxima enim à domeſtica ſocietate, fuit civilis: Hujus inſtitutorem Cainum Sacræ literæ nominant. Ille, cum fraterno ſanguine patrium ſolum maculaſſet, *abiit à facie Jehovæ in terram Nodi, & ædificavit civitatem, quam vocavit de nomine filij ſui Chanoc*. Hæc de origine ſocietatis è ſacris præmitti, commodum viſum eſt, ut eo facilior ad tractationem *communionis*, quam exercitii Academici loco proponimus, daretur aditus.

Gen.1.v.26 *Gen.4.v.1.* *Gen.4.v.17*

Agnoverunt hanc divinitus emiſſam vocem: *Non eſſe bonum, hominem ſolum eſſe*, Saniores Ethnicorum Philoſophi: Agnoverunt inſuper, *homini naturâ ineſſe appetitum ſocietatis, non ut aliis plerisq; animantibus, ſed excellentem*; *Neq; cujuſcunq; ſocieta-* *Ariſt. 1. Pol.1. & 2.*

tis, sed rationi, qua præcellit homo, convenientis: i. e. bene compositæ rebusque necessariis instructæ. Agnoverunt: *Naturam, vi rationis, hominem conciliare homini, & ad orationis, & ad vitæ societatem; Tum impellere, ut hominum cœtus, & celebrari inter se, & à se obiri velit.* Hinc non immerito, de investigandis iis, quibus, quas natura constituit, societates, commode conserventur, solliciti fuêre.

Cic.1.Offic.

l. 1. Offic.

Optime autem, cum sanioribus inquit Cicero, *societas hominum conjunctioq; servabitur, si ut quisq; erit conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur.* Hic est ille, qui ex virtute proficiscitur, communionis modus, omnibus societatibus tam necessarius; quam extrema ejus exitiosa. Qua de re infra.

Egregia plane est, quam de hac materia *Cicero l.1. Offic.* instituit, disputatio; Cujus postea, ubi prius quædam, ad accuratiorem communionis Philosophiam pertinentia, annotaverimus, uberior fiet mentio. His duobus capitibus subnectemus: 1. Disquisitionem historicam, *de absoluta omnium rerum communione. An data sit unquam; vel detur nostro tempore talis, quæ proprietatem excludat, communio?* 2. Politicam: *An possibilis sit, tum, an durare, deniq; an in bene constituta Republ. tolerari talis communio possit?* Tandem non abs re visum est, ob summam societatis cum communione necessitudinem, appendicis loco, originem societatis à natura repetere, & sententiam *Thomæ Hobbes* ad solidioris Philosophiæ regulas examinare.

CAPUT I.

SUperfluum nobis hic videtur, multas vocabuli (*communionis scil.*) significationes, ex Lexicographis præsertim, hûc congerere; Sufficiet huic nostro scopo Ciceronianas quasdam annotasse. Ille; vel pro *universa societate humana, communitatem,* seu *communionem* ponit; Et quidem familiare ipsi est his vocabulis ἐκ παραλλήλου uti, eaque sine discrimine ferè permutare. Vel deinde vocabulo *communionis* sæpius utitur pro *Republica* quadam; Ita *lib.* 1. *in Verrem Orat. 6. Pro quæstore vero*, inquit, *quomodo iste commune Miliadum vexarit?* Ad quæ verba vide, quæ annotavit *Cl. Gothofredus lit. m.* Tum denique specialiori significatu

ficatu *communio* eſt id, *quo aliquid nemini ſoli, ut proprium, adhæret.* Hæc eſt illa *communio*, quæ munit, &, ut ita dicam, communit omnes ſocietatis humanæ gradus, ſi ad naturam, è qua proficiſcitur, acceſſerit virtutis & rationis temperamentum: Sed antequam ulterius progrediamur, verbo facienda eſt mentio explicationis *Cl. Dn. Freinshemij* ad locum *Flori* 2. 16. *num.*7. Ibi *Florus*, poſtquam Corinthi everſionem à Romanis factam enarraſſet, ad monſtrandam urbis illius opulentiam: *Æris*, inquit, *auri, argentiq; venæ in commune fluxere.* Commodiſſime hæc explicat *Dn. Freinshemius, in commune* hic eſſe, *in unum*: Germanice diceremus, untereinander.

Introduxit itaque, cum prima & ſimpliciſſima illa ſocietate, quæ conjugalis eſt, DEUS Ter Optimus Maximus, communionem fere abſolutam; Dedit enim Adamo & Evæ jus poſſidendi omnia, ita tamen, ut his uterentur communiter. Primam hanc ſocietatem, mox patria ſecuta eſt; Ex his duabus jam una domus, *communia omnia*: Quomodo autem omnia in hac ſocietate communia fuerint, infra paulo uberius explicabitur: *Domeſticam hanc ſocietatem, ſecutæ ſunt fratrum conjunctiones; Poſt conſobrinorum, ſobrinorumq;: Hi, cum una domo capi jam non poſſent, in alias domos, tanquam in colonias exivere. Secutæ connubia & affinitates; Ex quibus etiam plures propinqui; Hæc propagatio & ſoboles, origo fuit Rerumpubl.* His gradibus DEUS altera vice ad civilis ſocietatis inſtitutionem progreſſus eſt. Sed non ſufficiebat, ſocietates has inſtituiſſe, requirebatur medium, quod propemodum collapſuras arctius colligaret, & conſervaret impoſterum. Elegit DEUS communionem: Hanc voluit commune omnium ſocietatum vinculum eſſe, ita ut ſine hac, ne ulla quidem earum ſubſiſtere & ne tantillum durare poſſit. Hancque ſocietati indidit naturam, ut, ubi ſocietas, ibi cōmunio: De ſimplicioribus illis ſocietatibus poſtea, ubi ad locum Ciceronianum perventum erit, aliquid dicetur: Quanta in civili ſocietate ejus ſit neceſſitas, oſtendit *Ariſtoteles l.*2. *pol. cap.*1. *& ſeqq.* & *Cicero* infinitis locis, quæ huc congerere nil attinet. *Neceſſe* itaque *eſt, aut cives omnes omnium rerum eſſe participes ac ſocios, aut nullius, aut quorundam eſſe, quorundam non*; Jam, *ut nullius quidem rei inter eos ſit communio, fieri non poſſe, in promtu eſt*:

Communione enim ſublata in Republ. tolli Rempubl. ipſam neceſſe eſt. Indidit autem DEUS homini duos ſtimulos, *rationem*, & *orationem*; Uterque dum ad ſocietatem impellit, impellit ad communionem; Ratio vero ut ſocietatem ſemper eligit præſtantiſſimam, ita quoque convenientem tanta ſocietate communionis modum præſcribit; Impellit inquam ad communionem, ſed non qualemcunque; conſideratque prius objecta veræ communionis, eorumque naturam; De quibus nunc agendum.

Monſtrat itaque ratio juſtitiæ munus eſſe, ut quis communibus utatur pro communibus, privatis ut ſuis; Neſcit enim hic diſponere inſcia virtutis ſimplicitas. Cum autem communionis objectum ſint res potiſſimum, antequam ulterius progrediamur, generalia quædam de rebus ipſis præfari lubet.

Sunt itaque *res*, primo, vel *ſacræ*, vel *profanæ*; *Illæ* quoad proprietatem ita nullius ſunt, ut, quam diu in eo ſtatu maneant, nullo modo alicujus fieri poſſint; Uſus tamen earum communis eſt. Qua de re amplius vide, quæ *Clariſſ. Dn. D. Biccius* annotavit *Aur. ſect.*2. §.12. *Res* autem *profanæ*, ſeu *quæ humani juris ſunt*, ex mente *Ciceronis*, vel ſunt *publicæ*, vel *privatæ*; In utriſque communio ſuo modo locum habet; Cætera, quæ de rebus huc faciunt, in ipſa ſpecialiori tractatione jam occurrent. Diximus modo, *rationem* & *virtutem* in communione diſpenſanda plane neceſſariam eſſe: Hinc fruſtra ſunt, ut infra patebit, qui ex ſimplicitate & charitate eximia verum communionis modum deducere conantur. Stimulus naturalis, & omnibus animantibus communis, ſimplex illa & virtutis expers charitas eſt; Impellit quidem quàm maximè ad communionem: Et quidem ita, ut fræno potius, quam calcaribus hîc opus ſit; Adhibet frænum *ratio*, & appetitum naturalem inhibet, ne ad indignam humanâ ſocietate communionem feratur. Dictum enim eſt ſupra; humanam naturam, quæ ſola rationis particeps eſt, nobiliſſimam ſocietatum eligere; Hinc eadem natura dignum tanta ſocietate communionis modum efficit; Hominique, niſi naturam ſuam ſupprimere velit, quod in quibuſdam Americæ incolis accidiſſe videmus, imprimit communionis, ad juſtitiæ normam exactæ, appetitum. Monſtrat autem

li. 1. de Invent.

autem hæc justitiæ norma *non omnia*, sed *quædam* tantum *publica*, (utimur hic vocabulo *publici* in latiore, ita ut & communia sub se comprehendat, significatu, ut mox clarius apparebit) quædam vero *privata*. De privatis postea, ubi prius publicorum naturam explicaverimus, agendi locus erit.

Sunt autem publica vel *naturali jure communia*, vel *jure gentium publica*, vel denique *universitatis*. De omnibus specialiter aliquid edisserendum.

Jure naturali communia dicimus ea, quæ non ex conventione aliqua, aut dispositione civilis societatis, sed naturâ in communem omnium hominum usum producta sunt. Enumeratio harum rerum passim in *JCtorum* commentariis ad *Tit. Inst. de Rer. divis.* occurrit. Tum quoque apud *Poëtas* & *Philosophos* veteres egregia hujus loci Philosophia reperitur: Ita apud *Ovid. l.6. Fab.4. metamorph.*

——— Usus communis aquarum est:
Nec solem proprium, natura, nec aëra fecit,
Nec tenues undas, ad publica munera veni.

Et apud *Ennium*, loco Ciceroni *l.1. Offic.* laudato. & apud alios; Quorum loca *Grotius* annotavit *Mar. liber. cap.5.* Quæ tamen cum cautione legenda sunt; Ex ignorantia enim Sacrarum literarum, familiare fuit Ethnicis, in describenda communionis origine, ad fabulas confugere, & sic facile iis à vero elabi contigit, qua de re infra.

Est autem natura eorum, quæ naturali jure communia sunt, duplex: *Vel* enim ita comparata sunt, ut nullo modo quoad proprietatem occupari possint, ut est aër: *Vel* deinde talis quorundam est conditio, ut à quovis, qui ea nondum occupata offenderit, in proprietatem redigi possint. Ea autem, quæ jam occupata sunt, *vel* sunt occupata à populo quodam, & sic dicuntur publica, *vel* à civitate quadam, & hæc universitatis, ut jam semel dictum est, vocantur: *Vel* denique à privato.

Ea quæ publica sunt, facta sunt publica, *vel* ex justa populi alicujus eorum, quæ jure naturali communia erant, & occupari poterant, occupatione: Et horum usus semper omnibus, ut exemplo mox declarabitur, communis manet. *Vel* ex trans-

latione rerum privatarum, in communem alicujus populi usum; Tale quid est Ærarium, vel Fiscus populi alicujus: Horum usus soli populo, ad quem spectant, communis est. Idem de eis, quæ universitatis sunt, dixeris; Sunt enim universitatis ea, quæ sic ad civitatem pertinent, ut publica ad populum. Quomodo autem usus eorum, quæ naturali jure communia fuerant, communis maneat, exemplo forte melius poterit declarari: Sed prius notandum: Res esse *nonnullas*, quarum usus in abusu consistit; De quibus *vid. Grot. mar. lib. cap.5.* *Alias* vero perpetuo usu constare: Exemplo sit aqua profluens: Hæc pro diversis circumstantiis varie considerari potest: 1. Considerata per se & absque forma fluminis, ad ea referri potest, quæ ita comparata esse diximus, ut nec à populo, nec à quoquam alio in proprietatem redigi possint. 2. Considerata in forma fluminis, loco nondum occupato, ad alteram speciem eorum quæ naturali jure communia sunt, refertur: Quæ nimirum primo occupanti ita cedunt, ut alterum ab occupatione eorum quoad proprietatem arcere possit, quoad usum juste nequeat. Hinc 3. Considerata in territorio vel populi vel civitatis alicujus proprio, vel publica, vel universitatis dicitur: Hîc populus vel civitas, quæ ita territorium occupavit, fluminis proprietatem ita sibi acquisivit, ut quemvis ab occupatione ejus quoad possessionem arcere possit, ab usu non possit; Nisi quis usum ejus perpetuum & quasi suum proprium, ultra quam si, & quousque possidet, sibi vindicare vellet,

Cæterum quomodo civitas quædam peregrinis jus civitatis denegare possit, usum non possit, *vid. Cic. l.3. Offic.* Cum de facultate hic nobis sermo est, volumus intelligi facultatem justam.

Sed cum hæc ex jure civili & praxi hodierna potissimum definienda sint, solidior hujus rei explicatio peti potest è commentariis plurimorum *Amplissimorum JCtorum ad Tit. Inst. de Rer. divis.* Et ut supra jam indicavimus, *Grot. mar. lib. cap.5. & J.B. 2. & 3. seqq.* Cujus tamen tractatio plurimis erroribus laborat, quos annotavit *Clariss. Dn. Bœclerus in not. ad hunc. loc.*

CAPUT

CAPUT II.

DIstinximus supra res, quæ humani juris sunt, in *publicas & privatas*: Hactenus de publicis actum est: Cum autem dictum sit, communionem in utrisque suo modo locum habere; Videndum nunc erit, quis in privatis, quæ Cicero publicis opposuit, communionis locus sit?

[*Sunt autem aliàs privata, quæ singulorum sunt: Nos generaliori significatu privata hic dicimus ea, quæ vel ad plures, vel ad singulos, ita proprie pertinent, ut alium, possessores ab eorum occupatione, quoad possessionem & usum, jure suo utentes arcere possint. Est enim dominium potestas disponendi de re nostra.*]

Hic ante omnia observandum est, dominium esse juris naturalis præceptivi; Hinc *Cic. l.1. Offic. Quod cuiq; juste obrigit, id quisq; teneat.* Tale nimirum est jus dominii strictum, ut quis habeat potestatem disponendi de re sua. Temperant hoc jus beneficentiæ regulæ: Nam *non ita claudenda est res familiaris, ut eam* *Cic. 2. Off.* *benignitas aperire non possit; Nec tamen etiam ita reseranda, ut pateat omnibus; modus itaq; adhibendus est.*

Egregie in hac materia versatus est *Cicero l. 1. Offic. c. 16.* quem etiam hoc capite, ut supra dictum est, ducem sequi placet.

Modus itaque in privatis disponendis adhibendus est: Primò *omnibus communicanda sunt, quæ sine detrimento possunt commodari; Præscribit hoc natura, ut homo homini, quicunq; sit, consultum velit*: Non tamen omnibus eodem modo; admittit gradus beneficentia: *Absurdum* ex hac parte *est, quod quidam dicunt, pa-* *Cic. 3. Off.* *renti se aut fratri nihil detrectaturos commodi sui causa; Aliam rationem esse civium reliquorum: Hi sibi nihil juris, & nullam societatem, communis utilitatis causa statuunt esse cum civibus; Hæcq; sententia omnem societatem distrahit civitatis; Qui autem civium rationem dicunt esse habendam, externorum negant, hi dirimunt communem humani generis societatem.* Verum tamen ex alia parte est, majorem cum patre & fratre, quam cum concive, majorem cum cive, quam cum extero rerum servandam communionem; *Optima*

ma illa est societatis constitutio, si ut quisq; est conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferatur.

In latissime itaque *patente societate*, quæ est hominum inter homines, *omnium eorum, quæ ad communem hominum usum natura genuit, est servanda communitas: Ita, ut quæ descripta sunt legibus & jure civili, hæc ita teneantur, ut sit constitutum; E quibus ipsis cætera sic observentur, ut in Græcorum proverbio est: AMICORUM ESSE OMNIA COMMUNIA.* Hinc enumerationem communium ex mente *Ennij*, cujus valde studiosus erat, *Cicero* subjungit. Huic enumerationi addit, regulam in omnibus beneficiis observandam: Ut nimirum *iis sint utilia, qui accipiunt, danti non molesta*; Ita, *cum alteri lumen accenderis, tibi nihilominus ut luceat, faciendum est*: Hæc de primo gradu *Cicero*.

Omnino ita est: Naturale hoc præceptum est: In omnibus, quæ sine detrimento possunt commodari, servandam communionem; Appetit homo societatem, non propter se tantum (ut falso quidam autumant) sed propter alium quoque. Ille, qui jussit esse, vigere, florere in humano genere societatem, jussit eandem proximi, quam sui ipsius habere rationem. Non tollit cura, quam quisque sibi suisque quàm maxime debet, curam aliorum. Sed de his appendicis loco fusius aliquantum agere constituimus. *Utendum est* itaque *suis*, & *semper aliquid ad communem utilitatem afferendum. Cum enim, quæ in terris gignuntur, ad usum hominum creata sint, homines autem hominum causa generati, ut ipsi inter se alius alij prodesse possent; In hoc naturam debemus ducem sequi, & communes utilitates in medium afferre*; Quin imo *necesse est, secundum eandem naturam, omnium utilitatem esse communem.* Hanc communionem non extero, multominus civi denegandam, & civilis, & totius humanæ societatis regulis præcipi, supra modo diximus. Ita nimirum temperatur æquitate naturali jus dominii strictum; Ita reserat beneficentia, quod claudit justa occupatio.

Cic. l. 1. Off.

Unde partim petantur, quæ jure civili de hac re constituta sunt, superiori capite aliquantum indicavimus.

Græci illius proverbii inferius paulo, ubi ad societatem, quam similitudo morum conjungit, tum quam beneficia colligant, perventum erit, commodius mentio fieri poterit.

Ad

Ad primum Verſum Ennij adde, quæ *id. Cic.* infra *l. 3. off.* nempe in egregia illa *de dolo malo* diſputatione habet.

Diſcedit ab hac infinitate Cicero ad propiores ſocietatis humanæ gradus; Quos breviter percurremus.

Propior itaq; eſt ejusdem Linguæ, Gentis, Nationis ſocietas; Hinc major etiam rerum communicatio inter eos, qui tali nexu colligantur, ſervanda eſt.

Ita interius eſt, ejusdem eſſe civitatis: De vero communionis modo in civitate plane neceſſario, jam ſupra aliquid dictum eſt, & infra adhuc dicetur. Add. egregia prorſus diſputatio *Platonis l. 5. de LL. & Ariſt. l. 2. pol. c. 1. & ſeqq.*

Arctior vero colligatio ſocietatis domeſticæ: In hac communia omnia; Non tamen propria nulla.

Sed omnium ſocietatum nulla præſtantior, nulla firmior, quam cum viri boni moribus, ſimiles ſunt familiaritate conjuncti. Ita: *Magna quoq; illa communitas eſt, quæ conficitur ex beneficiis &c. Cum enim benevolentiam longe lateq; diffuſam vir ſapiens in aliquem pari virtute præditum contulit, tum illud efficitur, quod quibusdam incredibile videatur, ut nihilo ſeſe plus, quam alterum diligat.* Hinc Græco illi proverbio: *Omnia Amicorum eſſe communia*; locus: Egregie ſæpius de hoc proverbio multis aliis locis philoſophatus eſt *Cicero*. Commode quoque ea, quæ hic de amicitia habentur, illuſtrari poſſent ex *Lælio* & *Platonis Lyſide & al.* Ea vero quæ de amore in Patriam diſſeruntur, ex *Orat. Catil. & Epiſt. ad familiares*; Sed hæc, ut dixi, breviter percurrenda erant. Cæterum egregio paralleliſmo his congruunt ea, quæ *l. 1. c. 8. Off. Cic.* habet: Ubi inquit: *Quoniam non nobis ſolum nati ſumus, ortusq; noſtri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici; Communes utilitates in medium afferre debemus, mutatione officiorum dando, accipiendo: Tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines ſocietatem.* Et *lib. 3. Off. Societas eſt, (quod etſi ſæpe dictum eſt, dicendum tamen eſt ſæpius) latiſſime quidem quæ pateat, hominum inter homines: Interior eorum, qui ejusdem gentis ſunt; Propior eorum, qui ejusdem civitatis, &c.*

Cic. l. 1. de LL.

Mutant autem ſæpe Circumſtantiæ, temporis præſertim, gradus, ordinemque hujus communicationis. Quod exem-

plo illustrat *Cicero*. *Vicinum nimirum citius adjuveris in frugibus percipiendis, quam aut fratrem aut familiarem; At si lis in judicio sit, propinquum potius & amicum, quam vicinum defenderis.*

Non tacuit in hac tractatione locum Philosophiæ *Cicero*, ad quem hæc materia pertineat, cum eam reposuit in *officiis capiendis, censendis, judicandisq́;*, quæ Græce καθῆκον Philosophi appellant: Quid autem sub his intelligatur, vid. quæ annotavit *Doctiß. Dn. Bœclerus in dissertat. de Relig. Mandati.*

Cæterum ad objecta communionis aliàs etiam referri solent animalia viva, quæ dividuntur in *rationalia, & irrationalia.* De illis, scil. hominibus, cum quæritur? *An homo inter alios quosdam communis esse possit?* Si de jure naturali proprie loqui velis, negamus. Hæc, nempe bruta, distingui solent in animalia *fera & mansueta*: Illa, jure naturali omnibus communia sunt: Hæc, plerumque privata: In Turcia tamen canes, qui ad mansueta alias referuntur, communes esse, nec proprios dominos habere, refert *Busbequius Epist. Turc. 3. p. m. 132.*

CAPUT III.

HActenus de communionis objectis & eorum natura actum est; Restant nunc adhuc quæstiones, quas supra proposuimus, hoc capite explanandæ.

1. *An fuerit unquam talis, quæ excludat proprietatem, omnium rerum communio?* Hujus quæstionis tractationem ita partiemur, ut primo disquiramus: An tempore Protoplastorum, vel ante, vel post diluvium statim, talis viguerit rerum communio? 2. Quid de primitivæ Ecclesiæ & Americanorum; Tum denique Essenorum, Anabaptistarum & hodiernorum quorundam Monachorum communione sentiendum sit, exponamus.

Primum quod attinet; Id pernegamus: Mira est hîc (ut mox in quæstione, an possibilis sit talis communio? demonstrabimus) affirmantium confusio: Probari debebat eorum sententia ex Sacris literis; Probatur ex Ethnicis; Qui veram rerum originem ignorantes, ad fabulas confugêre; Hinc aurea Saturni ætas: *Cujus ædem Sacram, Romani ærarium esse voluerunt,*

Macrob. l. 1. Saturnal. c. 8.

runt, quod tempore, quo is incoluit Italiam, fertur, in ejus finibus nullum furtum fuisse commissum, aut quia sub ipso nihil erat cujusq; privatum &c. Et infinita alia, quæ hic referre nil attinet. Frustra itaque horum authoritas obtenditur, quos ipsos talium rerum ignaros fuisse, certo constat. 2. Non semper ita explicanda esse hæc Ethnicorum loca, ut *Grotius* explicavit, jam *Lactantius* monuit: Cum *lib. 5. c. 5.* inquit: *Locum Virgilij*:

Ne signare quidem, aut partiri limite campum, Fas erat, &c. Ita accipi oportere, non ut existimemus, nihil omnino tum fuisse privati; Sed more poëtico figuratum: Ut intelligamus, tam liberales fuisse homines, ut natas sibi fruges non includerent: Et quæ sequuntur: Adde *Taubmannum ad eund. loc. Virgil.*

Certior nobis dux est *Scriptura Sacra*, quæ jam in domestica societate privatum rerum dominium incepisse monstrat; Constat ex hac quidem, fuisse à Deo datum Protoplastis Dominium commune hominum, quasi pro indiviso possidentium, quatenus Protoplasti humani generis personam, ut ita dicam, sustinebant: Sed hoc dominium non magis tollit dominium privatum, quam si dicam, populus est dominus harum illarumve terrarum, ergo nulla res in illis terris, privato aliquorum, ut alicujus dominio subjecta est. *Gen. 4. v. 3. & 4.* *Cl. Bœclerus not. ad Grot. I. B. 2. 2. 2. &c.*

Ita etiam post diluvium, Dominium istud commune Deus contulit humano generi per Noachum instaurando; sed nullo modo excludens dominium privatum.

Quid de primitivæ Ecclesiæ communione sentiendum sit, monstravêre passim Theologi, cum Anabaptistarum argumenta examinant: Vid. prolixe de hac re disputantem *Christian. Matthiam syst. pol. l. 1. sect. 6.*

Adducuntur quoque in exemplum talis communionis *Americani*; sed valde incongrue; Posito enim (nondum tamen concesso) exclusam fuisse apud eos proprietatem; Sane exclusa fuit apud eosdem communio; Nisi inter bruta communionem esse, quis velit asserere.

Quam ridicula sit hodiernorum quorundam monachorum proprietatis exclusio, passim quoque à *Theologis* monstratum est; præsertim *Clariss. Dn. D. Schallero*, in opere, quod *de paupertate Monachorum* inscripsit.

Ex his ponimus: *Nec fuisse unquam, nec esse ullibi talem, quæ proprietatem excludat, communionem.* His sequentibus probaturi, *nec possibilem esse.*

Sunt *societas & communio*; *Communio & proprietas*, tam arcto vinculo naturâ colligatæ, ut sine *societate communio*, sine *communione societas*, sine *proprietate communio* nunquam esse, imo ne fingi possit. Falsissimum est, ad distinctionem dominii paulatim ventum esse; Cum hæc distinctio dominii jam à prima rerum creatione nunquam defuerit, nec deesse potuerit.

Tractari alias hæc quæstio de possibilitate hujus communionis pro diverso generis humani statu solet: Vel quatenus consideratur homo, ut in statu innocentiæ, quem vocant, constitutus; Vel ut post lapsum; A primo plane abhorret talis communio.

Fuit homo creatus ad imaginem Dei, in omni sanctitate & justitia: Quid magis tali statui conveniebat, quam rectæ rationi consentaneus ordo possidendi res, quarum dominium humano generi Deus contulerat. Indita insuper & insculpta fuit ante lapsum, hominum mentibus, quæ post lapsum promulgata est, divina illa lex de abstinentia alieni: Hinc firmum argumentum: Ubi abstinentia alieni præcipitur; Ibi dominium rerum & proprietas constituitur; Furtum autem nullum est, ubi nihil proprii; Alienum nihil est, ubi omnia communia. Alieno autem abstinere, inter prima naturæ præcepta est, ante quæ nihil inter homines fuit.

In statu hominis post lapsum, ne animo quidem concipi potest talis communio. Finge omnia communia esse; Apparebit in hac communione, omnia quoque cuivis propria esse; Quicquid denique afferetur, videbitur ad id accedere, non id esse; & apparebit, aliud dici, aliud probari. Falsum jam supra diximus esse, paulatim ad distinctionem dominiorum perventum esse. Falsum quoque est, initium ejus distinctionis naturam monstrasse tantum; Falsum itidem est, suasisse modo; Sed præcepit; Est enim dominium juris naturalis præceptivi.

Hinc apparet, puto, quam absurdum sit, quod quidam dicant, durare potuisse talem communionem; Si aut in magna

gna quadam ſimplicitate perſtitiſſent homines, aut vixiſſent inter ſe in mutua quadam eximia charitate: Non præſupponam, quemquam tam abſurdum fore, qui hæc ad ſtatum innocentiæ applicare conabitur. Hinc itaque de ſtatu hominis poſt lapſum, circa hæc, diſputandum erit: Quæ ſimplicitas fuerit hominum poſt lapſum, ex *prioribus capitibus Geneſeos* & ad ea *commentatoribus* ſatis apparet. Sed ponam iterum, fuiſſe talem primorum hominum ſimplicitatem, non tamen ſtatim ſequetur; Ergo fuit inter eos talis communio; multominus inferri poterit, ſtatum hunc ſine proprietate tamdiu duraturum fuiſſe, quamdiu homines perſtitiſſent in eximia ſimplicitate; Exemplum eſt in contrarium illud ipſum, quod *Grotius* citat, *Americanorum*; Hi ſane vixerunt in ſimplicitate plusquam ſumma; Nec tamen defuit apud eos dominiorum diſtinctio; Ut ex præcipuis rerum Americanarum ſcriptoribus apparet. Vid. *Joh. Lerius per totam Hiſtoriam navigationis ſuæ in Braſiliam.*

Quod autem de charitate dicitur, id multominus huc referri poteſt.

1. Enim nondum probatum eſt, defuiſſe inter primos homines charitatem.

2. Ideone ergo deſiit illa communio, quia defecit charitas? Minime gentium: Sed ideo deſiit (ſi unquam fuit) ut vera charitas locum haberet, ut vigere, exerceri, eluceſcere poſſet. Quomodo in omnimoda illa communione quisquam alius charitatis nomine mihi quicquam concedere poterit, cum mihi æque ac illi in omnia jus ſit?

Hæc de excludente proprietatem communione annotaſſe ſufficiat; Quod enim alteram quæſtionem: an in Republica tolerari poſſit? attinet; Cum negativa per ſe jam certiſſima ſit, hoc tantum addimus: Nullam in bene conſtituta ſocietate, multominus republica, communionem, niſi quæ ex virtute ſc. liberalitate proficiſcitur, nec ſubſiſtere, nec durare, nec tolerari poſſe. De *Platonica* communione actum eſt *Ariſtot.* (2. *Pol.* 1. & 2.) & *Bodin.* (1. *de Rep.* 2.) quorum etiam argumenta huc repeti debent. Atque hinc certatim objectus error *Platoni* à *Theologis* & *Philoſophis* veteribus. Neque defuerunt aliqui, qui

Platonem excuſatum, imo & defenſum irent. Hincque ſæpius, potiſſimum vero à defendentium parte, graviter erratum eſt: Plurimi enim hanc ſententiam (cum tamen ob ambiguum Platonis in his libris ſcribendi genus adhuc incerti eſſent, an Plato hæc revera ſtatuiſſet) ut Platonis, ut juſtam, ut utilem, ut bonam, recipere, fovere, defendere auſi, talem rempublicam, in qua omnia eſſent communia, reproducendam ſuaſerunt; Ita unam, ita concordem reddi civitatem, clamitantes: Horum vero ſententiam retuliſſe, eſt refutaſſe. Hinc liberior adverſariis, Platonem accuſandi, repræhendendi, quin & calumniandi occaſio, obtendentes Ariſtotelicam præſertim authoritatem; Qui tamen ipſe in tota librorum de republica examinatione nunquam Platoni hanc ſententiam adſcribit, ſed potius Socrati, quem illius opinionis fautorem fuiſſe ex *Ariſtophane* jam conſtat: Ita etiam plurimi Patrum in hac materia, non tam contra Platonem, quam *Socratem*, diſputant. Hinc *Bodinus l.* 1. *de Rep. cap.* 2. inquit: *Ab opinione tam abſurda Plato ſponte diſceſſit, & eam, quam ipſe Socrati adſcripſerat, Rempubl. facile paſſus eſt aboleri, ut ſuam moderate tueretur.* Cæterum excuſantium argumenta refert *Gaſſendus in Philoſ. moral.* ſcil. quod *Plato* ipſe (*lib. de Rep.* 5.) fateatur, *talem remp. fingi potius, quam dari*; Deinde quod *l.* 4. 6. 7. de *Legg. ferat bonas leges de matrimonio, jure dotium, divortio, educatione liberorum, &c.* Sublata penitus illa communione: & ſeqq. Nos in medium relinquentes illam quæſtionem, hoc putamus ab initio definiendum, quid de ambigua illa ratione diſquirendi ſentiendum ſit,

Verus itaque communionis modus eſt, quem natura præſcribit, ratio temperat, hunc denique virtus conſervat. Hic quàm in bene conſtituta republica neceſſarius ſit, per ſe apparet. Naturæ, rationis, & virtutis munus eſt, non nudæ & ferinæ ſimplicitatis, communionis modum eligere, conſtituere, conſervare. Charitate virtus excitatur, virtus regulis continetur, regulæ virtutis modum in communione, quem ſupra expoſuimus, præſcribunt. Ex hoc communionis modo rite obſervato arctior naſcitur concordia animorum; Quæ efficit, ut ſingulorum utilitas & felicitas ſit utilitas & felicitas omnium

omnium communis. Quæ quam neceſſario attendi debeat in omni republica, ex *Tacito* apparet: *Ubi enim ſinguli inter ſe digladiantur, & ſua tantum agunt, facile omnes poſſunt convenire: econtra vero quod ſingulis deeſt, ab omnibus petendum, ſic ut ex eo Respubl. naſcatur, quæ una quidem, ſed omnium, & ita omnium, ut interea etiam ſit ſingulorum.* Hoc medio, non inordinatâ illa confuſione verius, quam communione, efficitur Republicâ, quæ ſit concors, quæque quam maxime una. *Agr 17. 2. & 3. Clariſ. Dn. Felvvinger. Inſt. pol. l. 1.*

Ita nobis ſufficiat communionem (incondita licet methodo) delineaſſe: Unicum, quod eſt de Majeſtate & Imperio, adjicimus.

1. De Majeſtate quæri ſolet: An majeſtas poſſit dividi in partes ſubjectivas, ſeu, an jura majeſtatis partitim, i. e. hoc jus penes illum, aliud penes alium &c. reſidere, & hoc modo majeſtas communis fieri poſſit? Quod affirmamus: *Vid. Grot. de I. B. & P. 1. 3. 12. Lampad. de Rep. Rom. Germ. part. 1. th. 60. & 61. Cl. Dn. Felwinger. in diſſert. de Rep. mixt. 2.* Quod ad Imperium attinet: Exemplo poteſt eſſe communionis Imperii, triumviratus Oligarchicus Romanorum; Primo *Julij Cæſaris, Pompeij* & *Craſſi*: Tum *Auguſti, Antonij* & *Lepidi*: Cum nimirum *orbis Imperium ſocietate trium Principum occupatum eſt.* Hinc *Lucanus l. 1.* ait: *Flor. 4. 2. 12.*

Quid miſcere juvat vires, orbemq́ue tenere
In medio, &c.

Cæterum egregia eſt Philoſophia *Flori* de cauſis, cur tales ſocietates inſtituantur, ſive, unde plerumque tales oligarchiæ abruptæ ſpecies naſcantur? *4. 2. 11. & 4. 6. 2.*

Quantum ad progreſſum harum ſocietatum attinet, notandum eſt, non eſſe diuturnas: Nam, ut ex Ennio *Cicero* refert, *Nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt.* Et *Lucanus* egregio paralleliſmo ait: *l. 1. Offic.*

Nulla fides regni ſociis, omniſq́ue poteſtas
Impatiens conſortis erit.

Nam ex æquali potentia æmulatio, inde mutua cædes. Hinc Victor Julius Oligarchiam (Quæ Tyrannide deterior, plerumque Tyrannide, tanquam extremo remedio, rarius monarchia *Ariſt. 4. Pol. 3. & 6. 5. Pol. 5. 6. 8. 6. Pol. 6.*

Plato de Rep. 8. chia civili, emendatur) in Tyrannidem vertit; Quam postea Augustus in veram monarchiam transmutavit; Quamque sic egit industrie, ut & Julius regnum jure adeptus videretur.

APPENDIX.

ARctissimo cum communione societatem civilem colligatam esse vinculo, supra dictum est: Non parum itaque lucis tractationi de communione accessurum speravimus, si societatis institutionem ex altioribus paulo principiis repetierimus: Initium in prooemio jam factum est: Ubi à simplicissima societatum conjugali, ad civilem usque, quoad institutionem earum, ex SS. literarum documentis progressi sumus: Ibidem, ut jam coepimus, monstraturi eramus, quomodo à natura hæc institutio repeti possit; Nisi prævidissemus confusionem (quam & hic vix, ob nimiam rerum occurrentium, mentionemque ad minimum postulantium molem, effugere poterimus) statim brevitati, quam prooemii ratio postulat, sese immisturam; placuit igitur ea, quæ ibi adjici poterant, huc reservare, & appendicis loco, quomodo à natura deduci debeat societas civilis, paucis demonstrare.

Agendum autem est, primo de societate in genere, antequam ad civilem societatem progrediamur. *lib. 1. Offic. cap. 44.* *Falsum est hic*, inquit *Cicero, quod dicitur à quibusdam, propter necessitatem vitæ, quod ea quæ natura desideraret, consequi sine aliis, atq; efficere non possemus, idcirco istam esse cum hominibus societatem & communitatem: Quod si omnia nobis, quæ ad victum cultumq; pertinent, quasi virgula divina (ut ajunt) suppeditarentur, tum optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omissis, totum se in cognitione & scientia collocaret; Non est ita, nam & solitudinem fugeret, & socium studij quæreret: Tum docere, tum discere vellet, tum audire, tum dicere*: Per naturam autem omnibus animantibus communem, hominibus inest, appetere societatem, fugere solitudinem; His refutantur, qui indigentiam & necessitatem solam origini societatum demonstrandæ adhibent.

Disquisitum est à plurimis, fictâ quadam hypothesi, quis foret status generis humani extra societatem constituti: constitit

fere

fere inter omnes, fore bellum; Hoc bellum provenire ex fictitio quodam jure, quod in eo statu vigeret, omnium in omnia; Dum enim quilibet in omnia sibi jus esse prætendat, futuram fuisse vitam ferinam potius, quam humanam, & quasi perpetuo bello, inter contentiones & rixas, infestam confusamque. Hic autem status, quia, ut per se apparet, naturali juri plane adversatur, quippe qui mox secum totum genus humanum in ruinam tracturus esset, falso, nisi ex hypothesi sermo sit, naturalis dicitur. *Ducit naturalis ratio ad societatem*, adeoque ad concordiam pacemque, sine qua societas nulla est; Ut autem hæc societas recte constitueretur, necesse fuit, unumquemque de jure illo suo, quod hypothesis rerum communium modo prætendebat, cedere, donec dominiorum juriumque distinctio emergeret. Qua de re vid. loca *Arist. & Bodin.* communionem *Platonicam* impugnantia, supra *cap. III.* citata. *Aristot. 1. Pol. 2.*

Accedit ad naturam appetentem indigentia invitans; Hinc *homo*, qui, *solus ex animantibus, justum ab injusto, utile à noxio, discernere, idq; discrimen oratione explicare potest,* ad hunc mutuæ indigentiæ defectum, quam natura machinata est, collatis sociorum viribus, officiisque explendum, modumque societati, quæ humana sit, ac civilis, imponendum, legibus ac jure, adeoque certo imperandi parendique ordine opus esse animadvertit: Ita naturæ appetenti, indigentiæ invitanti, accedit ratio ordinans; Quæ tria semper conjungenda sunt, cum de societate civili, quomodo à natura repeti debeat, sermo sit; Sic enim *homo appetit societatem, non ut alia pleraq; animantia, sed excellentem, & rationi, qua præcellit homo, convenientem.* Ita homo est dicendus ζῶον πολιτικόν, animal aptum natum ad societatem: *Hancq; societatem communitatemq; qui refugit, aut Deus, aut fera est.* *vid. Arist. 1. Pol. 1. & 2.* *Cic. 1. Off. 16.* *Arist. loc. supr. cit.* *Arist. ibid.*

Minus accurate versatus est, & quasi novatorem in hac Philosophia egit, vir alias magni ingenii, *Thomas Hobbes* in libro, quod *Elementa de Cive* inscripsit, sub titulo *Libertatis cap. 1. & 2.* potissimum. 1. Planè falsum & absurdum ei videtur hoc axioma, *Hominem esse animal ad societatem civilem aptum natum*; *Falsoq; hoc fundamento ita plerosq; superædificare doctrinam civilem,* putat, *tanquam ad conservationem pacis, & totius generis humani regimen nihil aliud opus esset, quam ut homines in pacta & conditiones*

nes quasdam, quas ipsi jam tum leges appellant, consentirent; Huncque errorem à nimis levi naturæ humanæ contemplatione ortum esse, ait: Addit ad hæc in *glossa*, quam huic §. addidit. *Se non negare, homines alterum alterius congressum natura cogente appetere: Societates autem civiles non esse meros congressus, sed fœdera, quibus faciendis fides & pacta necessaria sunt. Hinc manifestum esse, omnes homines, (cum sint nati infantes) ad societatem ineptos esse natos: permultos etiam (fortasse plurimos) vel morbo animi, vel defectu disciplinæ, per omnem vitam ineptos manere: Et sic ad societatem hominum aptum, non naturâ, sed disciplina factum esse.* Hæc, inquam, minus accurate & philosophice, nimis vero confuse, posita sunt.

Primo enim, si falsum est, ad conservationem pacis & totius generis humani regimen nihil aliud opus esse, quam ut homines in pacta & conditiones quasdam, quæ leges appellantur, consentirent; Quomodo procedet definitio, quando definit societates civiles per fœdera, ad quæ facienda fides & pacta sufficiant: Nam si ad societatem civilem fides & pacta tantum necessaria sunt; (Ad conservationem autem pacis & totius generis humani regimen nihil aliud opus est, ut & revera est, quam societas civilis) clara inde erit consequentia: Ad conservationem pacis, &c. sufficere leges, sub quibus hæc fides & pacta comprehenduntur.

Secundo: In præfatione ad Lectorem nihil aliud requirit *Hobbius* ad constitutionem civilis societatis, quam, *ut ingenia hominum coërceantur, metu potentiæ alicujus communis*: Jam autem, quo alio modo hoc fieri poterit, nisi conditionibus illis & pa-
Sen Ep. 94. ctis, quas leges appellamus? *Sunt* enim *leges nihil aliud, quam minis mixta præcepta.*

Porro, quod axioma illud attinet, quod *Hobbio* tam absurdum videtur: Plane 1. Superfluum est, quod in glossa de mero congressu, colloquiis mutuis, & solitudine molesta adjicitur: Nam vocabulum πολιτικὸν statim, hic de *civili societate* sermonem esse, monstrat: Deinde, quod *Hobbio* tam verum videtur, *homini per naturam humanam, sive quatenus est homo, solitudinem perpetuam molestam esse*, id accurate & Philosophice loquendo (quod semper intendit *Hobbius*) falsum plane est; Non enim, qua homo, seu per humanam naturam, sed qua animal & naturâ

turâ omnibus animantibus communi, fugit solitudinem, petit societatem: Per humanam autem naturam, cum qua semper conjungi debet ratio, appetit non qualemcunque societatem, sed ordinatam & civilem: Et familiare quidem est *Hobbio*, contra veterum præstantissimorum Philosophorum monita, confundere naturam humanam cum natura omnibus animantibus communi, ut Lector facile per totam hanc tractationem animadvertet. Hinc & illud, quando dicit: *eos qui vel morbo animi, vel defectu disciplinæ, per omnem vitam ad societatem civilem inepti manent, habere humanam naturam*, non concedi potest: Qui enim non potest res suas communicare, aut societatem contrahere cum aliis, aut qui non eget communicatione, propterea, quod ipse suis pollet opibus, suisque bonis contentus est, nihil præterea desiderans, nulla pars civitatis est ὥστε ἢ θηρίον, ἢ Θεός. *Itaque aut fera, aut Deus est.* *Cic. 1. Offic. cap. 6.* *Arist. l. 1. Pol. 2.*

Minus accuratum est, quod de infantibus dicitur: Ubi ait, *manifestum esse, omnes homines (cum nati sint infantes) ad societatem ineptos natos esse*: Et *hominem ad societatem aptum, non naturâ, sed disciplinâ factum esse.* Quis enim hoc unquam dixit, hominem ita natum esse, ut societati ineundæ statim sit idoneus? Ergo ne idem erit, hominem aptum natum, vel aptum naturâ esse ad societatem, & hominem ita natum esse, ut societati ineundæ statim sit idoneus? Nequaquam: ita non enim talis statim à potentia ad actum datur argumentatio. Ideo ne igitur aptus natura non est homo ad societatem, excellenter sic dictam, quia disciplinâ demum societati ineundæ fit idoneus? Nec hoc ita procedit: Sed, quia homo disciplinâ idoneus ad ineundam societatem fieri potest, necessario adest naturalis aptitudo, sine qua disciplina hoc loco parum proficeret: Ita videmus, hominem naturâ aptum esse ad orationem, non ut, quam primum nascitur, loqui possit, sed suo tempore; Et *præterea, licet natura ad participandum alium ab alio, communicandumq́ inter omnes, civiles nos fecerit; Tantam tamen esse corruptelam malæ consuetudinis novimus; ut ab ea tanquam igniculi extinguantur à natura dati, exorianturq́ & confirmentur vitia contraria, nisi disciplina & imperio in ordinem redigatur humana societas.*

Cap.1. §. 2. p.m.2. & 3. II. Putat itaque *Hobbes*, *ſocietatem oriri, non quod naturâ aliter fieri nequeat, ſed homines ſocietate mutua tantum ex accidente gaudere.* Cujus ſententiæ probationem ſtatim ſubnectit, quæ variis nævis laborat.

I. Valde incongruè affert aliarum ſocietatum exempla, cum tamen in additionibus poſtea concedat, *homines alias ſocietates natura cogente appetere*; debebat enim meminiſſe, hic de civili ſocietate, ut in eadem additione poſtea monuit, ſermonem eſſe.

II. Parum accurata & Philoſophica eſt explicatio phraſeos, *amare hominem naturaliter*, per *amare, ut hominem*: Longe enim latius illud patet, quam hoc: e. g. Amo peregrinum, ſeu eum, cum quo mihi nulla gentis, linguæ, nationis, &c. conjunctio eſt, ut hominem; Et amo eundem naturaliter; Patrem vero, fratrem, propinquum, concivem, &c. amo naturaliter, philoſophice tamen loquendo, non amo ut hominem, ſed ut hoc vel illo conjunctionis gradu mihi colligatum. Qua de re vid. locum *Ciceronis* ſupra *c. II.* citatum. Hinc non ſequitur, *homo hominem amat naturaliter*; *Ergo Unusquisq; unumquemq; amabit, ut æque hominem*: Sed potius ita: *Homo hominem amat naturaliter*, ergo *ſervat gradus benevolentiæ, quos humana natura præſcribit.* Quod autem homo hominem amet ut hominem, univerſaliter (prout *Hobbes* loquitur) loquendo, id falſum eſt, nec ex hac ſententia, quod nimirum homo naturâ cogente ad ſocietatem civilem feratur, legitime deduci poterit.

III. Quando *Hobbius* inquit: *Non ſocios igitur, ſed ab illis honore vel commodo affici naturâ quærimus. Hæc primario, illos ſecundario appetimus*; Id quoque falſum eſt: Quærimus quidem, dum ſolitudinem fugimus, ut moleſtam, ex congreſſu jucunditatem, dum aliqua re egemus, ex ſocio commodum; Nec unquam à natura appetente, indigentia, quam natura machinata eſt, invitans, ut ſupra dictum eſt, in origine ſocietatis inquirenda, ſejungenda eſt; quod autem homines naturâ comodum ſuum primario, ſocietatem vero ſecundario appetant, id concedi non poteſt: Natura enim indigentiam machinata eſt, ut dum *illa* (natura) trudit ad ſocietatem, *hæc* accedat & alliciat: Et falſum hoc eſt principium, ex quo hæc deducit *Hobbius*: Nempe. *Quo conſilio homines congregentur, ex iis apparere, quæ faciunt congregati*: *Ut enim apum exami-* Cic.1. Offic. 44.

na non fingendorum favorum causa congregantur, sed cum congregabilia naturá sint, fingunt favos: Sic homines, ac multo etiam magis natura congregati adhibent agendi cogitandiq; solertiam. Ita etiam cum natura sint congregabiles homines, accedit hæc cura sui; Accedit, inquam; non enim primarius finis est verarum societatum propria, sed communis omnium felicitas. Hincque longe alia secutura fuisset conclusio, si exempla societatum, ad quas *naturâ humanâ*, non ab *affectibus omni animanti insitis,* ferimur, allata fuissent. Ita *Hobbium* incidisse, videmus in id, quod in aliis reprehenderat; Error nimirum ejus à nimis levi naturæ humanæ contemplatione ortus est. Natura enim humana & incorrupta societatem civilem efficit, cujus finis primarius, non propria cujusvis, sed communis felicitas est. Cætera, quæ de mutuo metu, de bello à natura proficiscente, dicuntur, facile Lector ex his, quæ dicta sunt hactenus, si nimirum probe distinxerit naturam humanam, ab ea, quam cum omnibus animantibus communem habemus, tum corruptam ab incorrupta corriget. Plura enim huc addere, appendicis ratio non permittit.

Hæc de origine societatis adjicienda videbantur, ut aliquid lucis afferant eis, quæ de communione annotavimus. In qua materia accuratius versatus est Hobbius, quam in repetenda origine societatis, nisi quod & ibi confusionem naturarum vix effugere potuit.

Cæterum, si quæ Lector benevolus minus sufficienter explicata offenderit, meminerit instituti, cætera tempori, ætati, ingenio condonet, quæ ne ad delineationem quidem accuratiorem methodum eligere passa sunt. DEO interim O. M. sit Laus, Honor & Gloria.

DISSERTATIO II.
DE
PRINCIPIIS CIVILIS PRUDENTIÆ.

I.

Sub Præſ. M. Joh. Pauli Felvvingeri, P. P. Altd. 24. Maj. 1665.

PRopoſitio, vel per ſe vera, vel ex ſuis Principiis, iisque certis, demonſtrata, parit illam, qua diſtinguimur à brutis, ſcientiam; Ad id quod adeſt, quodque præſens eſt, ſe accommodare, tantum, quantum ſenſu moventur, ſolent etiam belluæ, quæ ſentiunt etiam, ſed paululum admodum præteritum aut futurum; Videre totius vitæ curſum & ad eam degendam præparare res neceſſarias, & neceſſarium eſt homini, & proprium; Rationis hæc res eſt, cujus particeps per eam conſequentia cernit, principia & cauſas rerum videt, earumque prægreſſus & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, rebusque præſentibus adjungit, atque annectit futuras: Ita alia ex aliis, omnia ex principiis deducentur, tanquam fundamentis, beneficio bonæ Analyſeos, quæ, quantum negligitur, tantum aberratur à fundamento, quod ut malum & turpe ducimus; Ita eum ſine ulla hæſitatione dicimus prudentiſſimum & ſapientiſſimum, qui maxime perſpicit, quid in re quaque veriſſimum ſit, quique acutiſſime & celerrime poteſt & videre & explicare rationem; quod tamen aliter fieri nequit, niſi procedendo per ſingulos cauſarum nexus Analyſeos beneficio ad id, ubi ratio quieſcat, quod Principium dicimus, licet imum & ultimum; Fundamentum, licet ſummum ſit & primum.

II. Poſſunt eſſe plures propoſitiones, ſeu effata, quæ, ſi demonſtrando per ſingula eamus, ex uno Principio fluant, uno fundamento nitantur: Poſſunt conſtitui fundamenta plura, & poni principia, quæ unum tantum rectificent effatum; Sive unum, ſive plura enuntiata, vel ex uno vel ex pluribus principiis legitima demonſtrationis norma certificaveris, habebis unam eandemque Scientiam, niſi reſpectu rerum objectarum

ctarum diſtingui dixeris: Et generaliſſima quidem primo diſtinctione in *Theoreticam & Practicam.*

III. Non ibimus jam per ſingula. Nihil enim hoc loco intendimus aliud, quam ut qualiscunque ratio conſtaret Indicis, quem Diſſertatio noſtra ſortita eſt, quo amplius ſpectant, quæ ſequuntur. Inter eas diſciplinas, quæ ad actiones vitæ publice privatimque, in genere πρακτῶν, quocunque nomine pertinent, & ratione humana, non revelatione divina, repertæ ſunt, Civilem Prudentiam potiſſimum Scientiæ nomen mereri, & ſic certis conſtantibusque actionum & conſiliorum regulis niti, ſtatuerunt Viri Eruditi, eritque locus infra diſquirendi hæc talia. Utor, dum hæc dico, vocabulo omnibus, ſignificatu veteribus potiſſimum uſurpari ſolito *Civilis Prudentiæ*; diſciplinæ ſcil. illius, quæ in publicis ſimul & privatis officiis excellit, civitatesque & rempublicam conſtanter & fortiter, & peritè adminiſtrat. Brevius, quæ in officiis capiendis, cenſendis judicandisque, quæ Græcè καθήκοντα Philoſophi appellant, verſatur. In ipſa nativitate ſtudiorum civilium tractatio de vita & moribus conjungebatur quidem, ſed ad Ethicen referebatur; Mox tamen agnoverunt alii, & monſtrarunt rationibus, non Ethici, ſed Politici hæc argumenti eſſe; Inde nata aliis occaſio, conſtituendi ſpecialem locum tractationi de moribus: diſciplinam, quæ verſatur in his, dixerunt Ethicam; Aliam diſciplinam ſtatuendi, quæ circa civilem ſocietatem & rempublicam verſatur; Hæc ipſis eſt Politica ſpecialis: Aliam attribuendi vitæ privatæ, quam œconomicen nominarunt. Has, velut diſtinctas ſpecie, ſub communi quodam genere comprehendi, dixerunt amplius; Hocque eſſe Politicam generaliorem, civilem philoſophiam, ſeu, quod idem eſt, civilem prudentiam. Non litigabimus cum illo, qui ad ſolum genus hæc referet omnia; Parum enim aut nihil faceret ad noſtrum inſtitutum; Hoc modo nunc ſi obtineamus, ſatis eſt: Neceſſario requiri artem quandam, quæ, quomodo tam publica quam privata officia in republica conſtanter, & fortiter, & peritè capienda, cenſenda judicandaque, præſcribat: Non Ethicen, non œconomicen huc pertingere; Ea itaque Civili Prudentiæ relinquenda.

IV. Con-

IV. Conqueruntur passim Viri Docti de studiis civilibus præpostere tractari solitis, neglectis eorum fundamentis, sublatis Principiis, negata, vel certe non eo, quo debebat modo, adstructa Scientiæ Politicæ certitudine; Prædicunt pericula, portendunt damna, non literas modo in barbariem, quod ex contemptu cæterarum disciplinarum fieri solet, sed domos, vicos, pagos, civitates, totum denique genus humanũ in exitium præcipitatura. Potuissent hæc in partem comendationis adhiberi tractationi, quam aggressi sumus; si aut aliis humeris sustineretur, aut alio tempore ad minimum nobis suscepta esset hæc res: Nobis certe, quicquid ad commendandum tam nobile argumentum quocunque nomine facere posset, reprehensionem pareret. Locum tam arduæ, tam profundæ, intricatæ, periculosæ, inquisitionis, promitti, suscipique in Dissertationis argumentum, â Juvene, qui tamen in generalissimis hîc ἄπειρος, temeritas videri poterit major, quam ut eam juvenilis impetus excusare posset. Quoties insuper suggerebat illud suum Poëta:

Sumite materiam, vestris, qui scribitis, æquam
Viribus: & versate diu:

Memor esse poteram, debebam certe, quantum abessem ab utroque; Illud non paucis, hoc iis notum est, quos rerum mearum conditio, & sic occasio horum conatuum latere non potuit. Erit aliquando locus hæc amplius significandi. Potissima interim instituti ratio est, hucque conatus mei, ut omnes, ita & hi tendunt, ut ostenderem Mœcenatibus, me solidiorem disciplinarum tractationem, licet consequi nequeam, sectari pro viribus; Huic rei si satisfecerim, abunde est, benè est: Illis, quibus temeritas est tam innoxium propositum, modestia tractationis forte nos excusabit aliquomodo. Fateor, nihil verius esse illo Magni in judicando Viri judicio: Utut capere possit civilia juventus, judicare tamen de iis eam non posse. Quæ confessio, uti spero, facilem apud Benevolum Lectorem veniam consequetur.

V. Patebit instituti ratio amplius ex partita propositione hujus loci, quem quinque capitibus placet includere: Agemus primo de Principiorum requisitis generatim, ubi eundo

per

per ſingula diſquiri poterit, an & quomodo in civili prudentia locum habeant. II. De diſtinctione Principiorum in Communia & Propria; quod exemplis applicando ad rem præſentem illuſtrabitur. III. De Conſtitutione ſive modo conſtituendi Principia civilis prudentiæ. IV. De applicatione ad vitam actuſque civiles. V. De comparatione ſtudiorum Veterum Recentiorumque circa hanc rem.

Caput I.

De

Requiſitis Principiorum, quomodo in Civili Prudentia locum habeant?

I.

Omne fundamentum eſt ſuſtentationis gratia; Nihil præſidii ab invalido vagoque ſuſtentaculo, rei, quæ ſuperædificanda eſt; Inde eſſentiale requiſitum fundamentorum, ut ſint certa, ſolida, firma: Et: Nihil in ædificio niſi fundamenta, ſine fundamentis ſolidum, firmum, certumque eſt, ab his ſingulæ ædificii partes, in quarum quamque peculiari vi infundunt ſoliditatem ſuam, neceſſario repetunt, referuntque ad illa. Si jacienda mihi ſumſiſſem ingenti illi vitæ Civilis ædificio fundamenta; ſubſtruxiſſem ſine dubio Veram quandam Prudentiam, quæ in unamquamque actionum humanarum, quæ revera dixeris partes hujus ædificii integrales, ita per nexus cæterarum partium immitteret vim ſuam, ut firmæ ſtabileſque ſine dubio dicerentur; Fecerunt hoc alii; Negarunt alii, actiones humanas certis firmiſque regulis niti, & ſic ad earum normam examinari inſtituique poſſe vel debere; Inde majori cura inquiſitum eſt in hanc rem ab Eruditis: Summa quæſtionis hæc fuit: An vita civilis, cum conſtet ex actionibus humanis, certis conſtantibus harum actionum conſiliorumque regulis nitatur, & ſic rerum civilium detur Scientia? Inde alia quæſtio: Sint ne illæ actionum regulæ ex ſe certæ, an verò ex aliis principiis demonſtrari debeant, poſſintve? Conſtabat inter omnes: ut ſingulæ actiones, eæque omnes, ſuam certitudinem in ſe ha-

berent, id quidem fieri non poſſe; Si tamen ex principiis quibuſdam infallibilibus adhibita veræ & genuinæ analyſeos regula demonſtrari poſſet earum veritas ſive certitudo in futura etiam valitura, cætera in aperto eſſe: Hoc vero difficultate laborare maxima & probatione indigere.

II. Sunt Principia, ex quibus, tanquam cauſis & quidem neceſſariis, neceſſario fluit id quod demonſtratur: Ita ut appareat, quod ſæpius jam dictum eſt, requiri hic infallibilitatem non Principiorum tantum, ſed neceſſitatem etiam conſequentiæ ſive conſecutionis ex principiis eorum, quæ demonſtrantur: Non poteſt hæc connexio, ideoque nec uſus principiorum, & ſic nec ſcientia, locum habere, niſi in rebus eodem ſemper ſe modo habentibus, æternis, ac univerſalibus; Non attigiſſem inter requiſita Principiorum hanc connexionem, quippe quæ ad ea jam ſpectare videtur, quæ ſunt extra principia, & fundamentis quaſi ſuperſtruuntur, ſive ex iis ſurgunt, niſi animadvertiſſem, hanc rem partem vere eſſentialem eſſe principiorum: Non eſt Principium, ex quo nihil deducitur, Fundamentum non eſt, cui nihil ſuperædificatur; Sit Fundamentum ſolidum ſolidè conſtitutum? Sint Principia certiſſima, veriſſimaque; Non cohæreant partes ſecum invicem & cum fundamento, non fluant ex Principio vel mediate vel immediate propoſitiones, non magis validum erit ædificium certave ſcientia, ac ſi in certis fundamentis cætera egregia connexione ſuperſtruantur, aut ex probabilibus tantum principiis reliqua probe itidem connexa deducantur; Unica ſi intervenit vera exceptio: Hoc poteſt aliter atque aliter contingere: Redditur intellectus noſter dubius, fitque ex Scientia δόξα ſive opinio.

III. Hæc ſunt neceſſaria, quæ quidem hic nobis attendenda ſunt principiorum requiſita; Hæc qui civili Prudentiæ tribuerit, multum habebit operæ & laboris: Faciamus tamen ingenii exercendi cauſa periculum: Sicut pars Philoſophiæ, quæ in cognitione verſatur, quid verum, quid falſum ſit, conſiderat, ita quæ activa eſt, quid bonum, quid malum ſit, ſcrutatur: Illique finis eſt veri cognitio, hujus boni adeptio. Linquamus illam, in hac tendunt omnes noſtræ actiones ad hanc metam, ut adipiſcantur quod bonum eſt, effugiant quod malum

malum: Hoc primum actionum humanarum principium: Bona esse appetenda, mala vero fugienda, iisdem forte modis, qui negaret, excipiendus esset, quibus ille, qui ignem negaret urere: In hoc tamen intellectus noster, ob imperfectionem suam, vacillat, quando ulterius quæritur, quid bonum sit, quid malum, sive quando applicatio hujus Principii ad actiones incipit. Qua in re ita procedi potest amplius: Natura boni non rationis tantum ductu axioma, sed singularium omnium experientia hanc observationem nobis suppeditat: Quicquid est bonum, illud esse honestum & utile: & vice versa: Item: Quicquid est malum, illud est turpe & noxium; & contra. Offert se hic alia difficultas; Sicut id quidem verissimum est: Omnem actionem & utilem & honestam esse bonam, ideoque appetendam, & omnem turpem & noxiam, malam esse & fugiendam: Ita dubitatum est; an non daretur actio, quæ utilis nec tamen honesta, honesta, nec utilis; Et sic deinceps; Id est: cum utilitate visa est pugnare honestas. Vera tamen utrorumque naturæ explicatione adhibita, apparebit non male Socratem solitum exsecrari eos, qui primum hæc natura cohærentia, opinione distraxissent: Spectat huc totus Liber III. Officiorum Ciceronis: Sicut certe omne honestum utile esse; & naturalis lex dictavit Ethnicis, & Christianos non sinit dubitare *promulgatum verbum*; Ita: Misera fuerit prudentia, quæ dubitet rectene fiant, quæcunque publice aut privatim agenda veniunt. Non tamen omnis Distinctio hic tollenda, sed ita hæc tractanda, ut distincta appareat hæc esse, non diversa, ex Stoicorum præceptione. Properandum nunc esset ad specialiora, nisi infra peculiare caput huic rei destinatum esset. Quod hoc capite intendimus, præstitum ut puto abunde est, & generaliter monstratum qualicunque specimine, Prima Principia Civilis prudentiæ esse certa, & usque ad applicationem singularium cohærere.

CAPUT II.

De

Distinctione Principiorum in Communia & Propria, addita applicatione in rem præsentem.

I.

PRæceptio illa, ne in probanda vel demonſtranda aliqua re committatur μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, non tollit diſtinctionem illam Principiorum in *Communia* & *Propria*; Eſt nimirum hæc μετάβασις talis tranſitus, in quo ex principio veriſſimo quidem, peregrino tamen demonſtratur affectio de ſubjecto *diverſo, ac oppoſito*. Plurimum abſunt ab hoc vitio ea quæ dicam, quæque alia occaſione demonſtrari poſſent amplius: Effatum, quod in Scientia quadam demonſtrandum eſt, non ex iis tantum principiis, quæ Scientiæ, in qua demonſtratio fit, propria, domeſtica, & vernacula ſunt, ſed iis etiam, quæ vel omnibus, vel pluribus ſcientiis communia ſunt, demonſtrari poſſe: Non dico jam abſolvi his principiis demonſtrationem, licet & hoc fiat interdum, ſed ita tamen inchoari, ut ad cauſam proximam, per quam demum vera ſcientia fit, facili & brevi via perveniatur. Si quæratur, cur nunc tonet, cur fulminet? tu ſi reſpondeas, quia DEUS ita voluit, nihil demonſtraveris, nec ſciendi ſitim extinxeris; At ſi pergas ab hoc principio, eundo per ſingulos ordinationis divinæ nexus, facile pervenies ad proximam cauſam, unde immediate & neceſſario ſequetur: Ergo nunc tonat, fulminat.

II. Licet Civilis Prudentiæ limites ſatis amplos dedimus, fieri tamen non poteſt, quin interdum ad aliarum diſciplinarum principia, modo, quo jam diximus, confugiat: Univerſaliſſima primo, qualia Prima Philoſophia ſive Metaphyſica ſuppeditat; Inde ea potiſſimum, quæ ex Theologia qua theoretica, qua practica, hauriuntur. Sumatur in exemplum inquiſitio juris naturæ, ex ſapientia & ordinatione divina deducenda; Aut commendetur pietas Principi; Res fiet luce clarior.

Non

Non patitur angustia hujus loci uberiorem mentionem amplissimorum fructuum, quos infundit in hanc Civilem Philosophiam Scriptura Sacra: Sufficit, occasione data, breviter proponere, quæ conferre nobiscum volentibus amplius in ipso congressu poterunt illustrari: Totam doctrinam Civilem, quatenus ad vitam socialem bene beateque vivendam refertur, accurate in scriptis utriusque Testamenti copioseque traditam: Quicquid gravitati politicæ tractationis pristinæ, appropinquantibus finiendi sceptri Judaici temporibus, humanarum traditionum mole detractum sit, id omne Summi atque unici Prophetæ Jesu Christi doctrina resarcitum esse, hancque, Scripturis novo Testamento comprehensis, totam doctrinam Civilem repurgatam, atque fundamentis idoneis constabilitam esse. Commendari meruit hic tanquam specimen egregium hujus rei, Dissertatio peculiaris *Clariss. Dn. D. Schalleri*, qua Bonum Principem ex Sacris potissimum literis delineavit.

Caput III.

De *Constitutione sive modo constituendi Fundamenta Civilis Prudentiæ.*

I.

NOn permittit angustia temporis immorari generalioribus hoc capite; Et per se quidem clarum est: Fundamenta solida ut solide constituantur, debere firmo proposito sive constanti destinatione scopi, tum justo spatio mensuraque constitui. Vix obtinebitur alias, quod supra requisivimus, ut imis summa cohæreant; Si aut nullo consilio, aut nulla ratione habita eorum, quæ struenda sunt, jaciantur fundamenta; quæ cum mole non respondeant superædificatis, totum secum in ruinam trahant ædificium, necesse est.

II. Quantum præsidii sperare debeat ab hac nobilioris scopi destinatione, qui civilis prudentiæ fundamenta constituenda sibi sumeret, vix potest quenquam latere. Meminisse debebit Architectus, Civilem Prudentiam struendam sumi,

unice hac intentione: *Ut adipiſcamur per eam bonum, effugiamus malum.* Finem hunc, ut ſemper in oculis & mente habeat, tanquam primum Principium cæterarum partium omnium conſtituet, unde omnes actiones ſpecialiſſimæ etiam proficiſcuntur, & ad hoc tandem referuntur. Hoc fine conſtituto, amplius apparebit, quam late explicanda ſint, quæ ſupra generaliter, & in unum fere contractata, fundamenta propoſita ſunt, donec tandem actiones incipiant ſurgere, quæ tandem conſummant hoc ædificium; Quod jam apparebit amplius.

CAPUT IV.

De

Applicatione Fundamentorum ad vitam actuſq; Civiles.

I.

BReviores fuimus in præcedentibus, ut hoc Caput, quo præcipuus rei totius uſus referri debet, liceret aliquantò diffundere amplius; Quæ inſuper in Præcedentibus omittenda fuerunt, illa forte hîc, aſſumtâ viâ ἐπὶ τὰς ἀρχὰς, commodiorem locum invenient. Tum demum quieſcit intellectus, & perfecta fit ſcientia, quando id, quod probandum erat, demonſtratum eſt per cauſas neceſſario inter ſe, & cum *primo principio*, cohærentes, ut jam dictum eſt ſupra: Quod in civilibus ita locum habere poteſt; Si demonſtretur neceſſitas alicujus actionis civilis ex immediata & neceſſaria connexione cum cauſa proxima, & hæc cauſa iterum ex alia, eodem connexionis modo, & ſic deinceps, donec tandem ad Principium aliquod, cujus veritas vel ex ſe radiat, vel per experimenta ſufficienter adſtructa eſt, perveniatur. Tum certitudo hujus actionis non in præſens tantum patet, ſed neceſſitas in futurum etiam valet, non ad dijudicanda modò ex re præſenti futura, ſed ad conformandas potiſſimum actiones, ad ſcopum ſimilem dirigendos. Redibimus ordine eo, ubi ſubſtitimus in ſuperioribus.

II. Fit inquiſitio in rationem eventus feliciſſimi, qui in hac vel illa Republica contigit; Statim quæret intellectus noſter: An

An necessitate immutabili, an forte, an vero adgubernantibus prudentiæ consiliorumque regulis, ex earundem nexu ita acciderint, quæ acciderunt, & consecuta fuerint, ut stantibus illis non potuissent aliter evenire? Ut posterius hoc adstruatur, ex una parte substernit Historia fundamentum seu principium experimentale: nunquam evenisse felicem eventum in vita civili, nisi honestæ, & cum judicio adhibitæ causæ, præcesserint. Confirmat hoc inductione similium, seu exemplorum copia; Convertit eodem modo hæc, ut probet: Ubicunque honestæ causæ cum judicio adhibeantur consiliis, ibi bonos & felices eventus sequi. Non contenta est his ratio humana, sed amplius inquirit in vim hujus consecutionis necessariæ. Hic jam opus est illa, de qua superiore capite dixi, fundamentorum explicatione, ut ostendatur: *Honestatem sive virtutem* inter fundamenta prima nominasse *civilis prudentiæ*, generale id esse; Distinxisse virtutem in *Pietatem* & *Probitatem*: *Pietatem in sensu* & cultu commendasse, id quidem propius jam ad actum accedere; Sed ut victuro robore hæc civilem actum sustinerent, *Fatum & Conscientiam* hic inseri debere, quorum respectu pietas hic est Pietas, ut sic dicam, id est, in vitam civilem valet, transferturque. Nil dicam de cæteris, nec enim patitur angustia hujus loci, hoc tamen merebatur non omitti, quod in summam fere contrahere potest potissima, quæ de hac re dici possent alias: *Actionibus humanis eatenus inesse certitudinem, quatenus per Prudentiam proficiscuntur à virtute; Sicque quatenus respondent ordinationi Divinæ*; Nam si de Omnipotentia velis loqui, Sol aliquando non movetur, grave non descendit; Amplius: *Quod DEUS ita fecit, & facit, id per Historiæ narrationem, & ratiocinationem humanam, Sapientem certo posse intelligere. Civilem saltem Prudentiam hæc tam ex aliis quam ex Suis Principiis certo demonstrare posse: Quicquid hic erratur, eorum nihil Civili Prudentiæ tribuendum:*

III. *Hanc nimirum in discretione honestorum & turpium, utilium & noxiorum, certissimam fore, nisi obstarent: Humanæ naturæ imbecillitas & depravatio: Falsa species & similitudo viciorum, virtutes imitantium; Mutatio & variatio, quæ in ipsa honesti natura accidit; Et quæ sunt alia, quæ non desunt etiam illis scientiis, quæ firmissimis alias niti firmissimè principiis dicuntur.*

IV. *Ad-*

IV. *Adverſus hæc impedimenta tamen eſſe remedia non parum firma, quorum ſparſim in præcedentibus mentionem fecimus: 1. Naturalem prudentiam, quæ licet in paucis, talis, qualis hic requiritur, reperiatur, non tamen in nullis, & perficitur hæc amplius inſtitutione & uſu. 2. Hiſtoriam pragmaticam, cujus hac in re uſus alibi etiam patet; 3. Philoſophiam, Eruditionem, & Doctrinam. 4. Theologiam, ſine qua civilis vita infelix.* Illuſtrabuntur hæc data occaſione amplius, nunc enim tempore excludimur.

CAPUT V.
De
Studiis Veterum & Recentiorum, circa hanc rem.

I.

NOn parum quoque adjuta eſt hæc res Magnorum virorum laboribus, qui cordate, graviter, ſubtiliter de hac re ſæpius philoſophati ſunt, & gravitatem ſcientiæ civilis, doctrina, ſtudio, opere, adverſus Scepticorum nonnullorum calumnias propugnarunt.

II. Non intelligo, dum hæc dico, Adamum aut Noachum aliquem, quibus ſincerioris vitæ regula adverſus impiam Caini ſectam defendenda fuit, & defenſa eſt, non quidem literis proditis operibus, ſed ipſa vitæ inſtitutione, exemplo, authoritate, ita ut agendo potius, quam docendo politicam exercerent. Poſſunt hæc comodius eo loco, ubi de Sacris monumentis ſermo eſt, memorari: Sed eos, primò, qui poſt Legislatorum occupationes, inter Ethnicos monumentis literis conſcriptis, vitæ publicè privatimque regendæ præcepta idoneis fundamentis conſtabilitarunt; Huc pertinent antiquiſſimorum Poëtarum nomina: Oſiridis, Homeri, quique ad horum ævum geniumque propius accedunt. Inde à Socrate præcipua Philoſophorum ſors, quorum tractationes, non tantum ex profeſſo Politica argumenta præferentes, ſed eæ etiam, quæ de *Fato*, de *ſummo hominis bono*, de *virtutibus*, agunt, licet in his plerumque ἠθικώτεροι ſint, quam πολιτικώτεροι, huc referri debent.

III. Poſt

III. Poſt Scholaſticorum labores, hoc & ſuperiore ſeculo ſuſceperunt vindicandam, adverſus imperitorum cavillationes, *Civilis Prudentiæ* certitudinem, tam in quæſtione juris, quam conſilii, magna ingenia: *Grotius, Lipſius, Illuſtriſſimus Marnixius, Conringius, Bœclerus, Weichelius, Feldenus, Puffendorffius*, & qui ab his laudantur; Item alii. Quorum, ut & omnium eorum, quibus rei literariæ incrementum cordi eſt, conatibus faveat Deus! Cujus ope, quod in laudem & gloriam divini Ejus nominis vergat! noſtri inſtituti finem attigimus. Sicut enim perfectioris tractationis laudem nunquam ſibi affectavit hæc Diſſertatio; Ita, ſpero, ampla ſatis, his quæ dicta ſunt, materia data eſt, & occaſio Commilitonibus exercendi una nobiſcum ingenia, & publice conferendi ſtudia.

Corollariorum, quæ annecti alias ſolent his exercitationibus, loco, proponemus Paradoxa Stoicorum, Ciceroni peculiari opuſculo illuſtrata.

Dissertatio III.

SPECIMEN SIVE DESIGNATIO COMMENTATIONIS SYNTHETICÆ

In

PANDECTARUM Lib. IV. Tit. I.

DE

IN INTEGRUM RESTITUTIONIBUS.

Cohærentia tractationis Imperatoriæ, tum cum antecedentibus, tum inter ſe, ſummatim oſtenſa: Limites noſtræ diſſertationi poſiti & aſſerti.

Sub Præſ. D. Gothof. Stoſſeri P.P. Argent. 31. Decembr. 1666.

DEbet humana vita, ſicut prima ſuæ conſervationis ſemina, Divinæ cuidam ordinationis diſpoſitioni, quæ mirabili, quicquid hic univerſus vel ipſe eſt, vel in ſe conti-

 net,

net, contextus ordine, & ordinis congruentia compoſuit ad invicem atque colligavit: Ita potiſſima felicitatis inſtrumenta illi ordini, quem inter Imperantes parenteſque à DEO omnis ordinis auctore, indita hominum animis & aliquoties poſtea repetita lege fundatum, nihil æque ad connectenda inter ſe cohibendaque civilis conſociationis membra, vel roborare, vel etiam formare aptum eſt, quam juris in Republica ſemel conſtituti ſingulis reddendi, exercendæque & adminiſtrandæ juſtitiæ poteſtas. Hujus enim ut induſtrie, ut laborioſe, ut graviter exercitæ elogium, primam apud prudentiſſimum quemque Principalium virtutum laudumque partem ſive obtineret, ſive faceret: exemplis animadverſum erat, Divinitatis potiſſimum inter homines ſpeciem referre; ſatis ad obviandum litibus juſtitia, oppreſſis auxilio, criminibus pœna, auctoritate, ſatis virtute, ſatis prudentia eſſe inſtructum.

Scilicet ſunt gradus, eſt graduum ſeries ordoque, quibus ad perfectam erga Summum in terris Imperium, & ejus in unaquaque civitate ſedem, reverentiam omnis obſequii civilis gloria proficiſcitur. Quæ primum quidem ad Majeſtatis ſanctitatem horrore pio ſuſpiciens, in DEI vicaria, Divini ſolet Imperii imaginem deprehendere, characterem agnoſcere, normam venerari. Promulgantur dehinc à ſuprema poteſtate leges, conſtituuntur jura: hîc vero jam exſerit ſe Solis hujus fulgor; & ſive ad ſolatium innocentiæ gratioſus, ſive ad improbitatis terrorem efficax, utramque ſolennioris in ſe venerationis, ſed adhuc velut è longinquo, complet. Creantur Magiſtratus: & cum his non efficaciter tantum ad ſuſtinendum Imperii onus partitur ſuas curas Majeſtas; ſed eorum ope, tanquam per intermedium lumen, civium & lenius oculis allucet, & facilius animis illabitur; ſuæque authoritatis vim, inter eos, quocunque opus eſt, alieno miniſterio demiſſa, nihil imminuto ſplendore inviolatam conſervat. Ordinantur judicia: & in ſingula tum demum publici corporis membra, qui univerſum ſuſtineant validius, à ſupremo culmine ſalutaris vigoris radii diſtribuuntur.

Hæc tam arcta copulata neceſſitudine, vinculiſque ad invicem contexta, ut non paucis confuſionis hactenus ſive ſpe-

ciem

ciem præbuerint, sive argumentum; cætera quidem, quæ seorsim ratio commendet, quæ prudentia instruat, quæ industria tueatur, in tempore & loco aliis ostensum est. Judiciariam virtutem, ut ordinata judiciorum dispositione, & disposito industrie munitoque ordine pleramque partem intelligamus absolvi: Infelici eorum confusione, tot, ab omnis ævi memoria, gentes, tot Imperia, tot civitates turbatæ, & sæpius interversæ tranquillitatis publicæ documenta fuere. Hæcque ratio potuit esse & causa solicitudinis, qua redigendo intra certos limites distribuendoque judiciarii Processus ordini, & olim, cum solo adhuc fori usu omnis Jurisprudentia censeretur, Prudentissimorum quorumque Legislatorum curæ, & postquam in peculiaris disciplinæ modum invaluit, doctissimorum Virorum ingenia; Denique ubi in partem Principalium curarum propius recepta est, tot memorabiliter insignes Cæsareæ provisiones incubuere. Quo scilicet nomine præcipuæ merito plerisque commendationis laudem mereri visum est, quod Veterum de Jure Prudentum sententias, Imperialis confirmationis auctoritate roboratas, eleganti contextu serieque, non ad perfectæ modo disciplinæ præscriptum exquisita; sed vitæ civilis, & publici actus usum formata, Pandectarum opus continet.

Patuit ejus, quod dico, tum evidenter passim ratio, tum ibi præsertim præclarè specimen; quando in distinctione memorabilis operis, παιδείας, ut cum Philosopho loquar, & introductionis loco, ea tradita sunt, quæ in Jurisprudentiæ forique limine nosci atque observari, non exquisitioris tantum scientiæ, sed ipsa præprimis administrandæ justitiæ ratio palam flagitabat. Non suffecisset, inquam, fundamenta, quibus superstrui, non fontes, unde deduci, non instrumenta, quibus administrari, quicquid est Legalis πραγματείας, fas est, tradita perspectaque habere: postquam in rem præsentem, & fori usum paranda via, & remotis obstaculis, munienda fuit.

Etiam ubi legitimus Judex, solennisve litigantium consensus tribunalium fores patefecit; Etiam ubi dispulsa ad appropinquantis Justitiæ splendorem calumnia, vel turpi fuga Judiciariæ Themidi locum, vel impudentis pervicaciæ pœnas dedit: non pauca tamen supersunt, quibus ad turbandum in medio

 cursu

cursu legitimum in judicio agendi procedendique ordinem, humani vel casus patent, vel imbecillitas sufficit, vel malitia modum invenit. Nisi turbamentis hisce, à quibus vix ulla judiciarii processus pars immunis esset, Legislatoriæ fuisset prudentiæ cautio, statim inter ipsa Judicii Præparamenta occurrere. quæ, postquam præmuniendis ordinatæ in foro disceptationis finibus destinata semel sunt; nihil sine idonea provisione relinquere debuerunt, quod tam nobili scopo ullatenus vel ab initio, vel postea posset obsistere.

Nondum enim ego quidem rationem idoneam reperio, cur alia, quam *restituendæ litis* occasione, loco, quem obtinet, positus dici debeat, possitque titulus, quem dissertationi nostræ indicem præfiximus. Quibus enim dissentiendi abhinc causam, concepta generaliter (ex communi id quidem hypothesi, cujus intellectum inferius pervestigabimus) vel extensa in sequentibus ad alia, Imperatoria hujus argumenti pertractatio præbuit: multum illi, si sua ipsis exempla reddantur, haud dubie sudabunt operæ, ut sedes suas aliis tueantur titulis; quos
Præfat. in Scr. Pand. & Cod. *pro subjecti ratione suo certoq; loco positos, latius tamen sese porrigere, tracto eò adsumtoq; vicino affiniq; tractatu*; & generaliter aliquando; & exemplis in re præsenti haud unis (è propinquis sunt *de Pactis, de Transactionibus, de Procuratoribus, de Capite minutis*) *in Manuali Juris Doctissimus Jacobus Gothofredus* observandum commendavit.

Et spectant ad commendationem quidem, & interpretationem præparandam, præcipue Edictorum aliquot, quibus Prætor varie hominibus vel lapsis, vel circumscriptis statuerat subveniendum, ea, quæ Libri Digestorum quarti titulum primum sibi vindicant.

l. 1. 2. Hujus ut auxilii, quæ omni erat commendatione sublimior, evidenter saltem pateret utilitas; ejus summatim proposuisse argumentum: Ut manifesta fieret æquitas; recensuisse
3. 4. causas & fundamenta: Ut declararetur forma; induxisse cog-
5. 6. nitionem causæ: Ut capax nosceretur singularis beneficii subjectum; non ad eos id tantum omnes, quos in integrum Prætor se restituturum pollicetur, sed horum quoque successores
7. 8. extendisse; Ut res tota appareret illustrius, perciperetur distinctius;

ſtinctius; obſcuritatem exemplis, diſtinctione confuſionem excluſiſſe: Id vero palam ita in hac parte conditores Jurisprudentiæ declarat verſatos eſſe; ut & argumenti abunde genio ſatisfeciſſe, & ordini, in ſimilibus præclaro ſibi ſucceſſu ſervari ſolito, accurate ſerviiſſe, non obſcure & animadverti pariter, & prædicari poſſint.

Nobis vero, ſicut argumenti ſubtiliter profundi, ſed evidenter eminente penſata cognitionis utilitate, inveſtigationis difficultas, in ulteriorem diſquiſitionem hunc, quem dixi, locum; Ita late fuſi amplitudo ſtyli intra certos terminos coërcendi ſtudium commendavit: Et haud dubia denique Imperatoriæ tractationis ſuffragatio, ſolam, quæ cognitione & officio Magiſtratus abſolvitur, *litis amiſſæ reſtitutionem* huic exercitationi ſubjecit.

Hanc enim, ſi excellenter loquaris, præ aliis, *In integrum reſtitutionis* nomen tueri, multæ rationes ſunt, quibus adducor credere, me hactenus non ſine fundamento ſenſiſſe. Inquis: Tituli utique, cujus hæ paginæ interpretationem profitentur, inſcriptio eminenter, contenta generaliter concepta ſunt. Jureconſulti, quorum in eo vel condendo ſententiis Imperator uſus eſt, vel interpretando poſthac induſtria claruit, quoties de *reſtitutionibus in integrum* abſolute pronuntiant, generaliter & loquuntur, & cupiunt intelligi. Dicit *Ulpianus*: *Prætorem ſub hoc titulo plurifariam hominibus vel lapſis, vel circumſcriptis ſubvenire.* *l. 1. h. t.* *Modeſtinus*: *omnes in integrum reſtitutiones cauſa cognita a Prætore promitti.* *l. 3.* Non obloquor: Cum titulo tamen; ne quis auctoritate forte abutatur doctiſſimi *Gothofredi*, cujus teſtimonio, *ſicut hic, ita in Edicto quoq; Perpetuo, generalis erat*: ita res habet. *Manual. Iur. Ser. p. ad 9. l.* Concluſerat in *Edicto Perpetuo Iulianus*, annotante etiam *Duareno*, *Comm. in h. l. c. 1.* ſub hac *de in integrum reſtitutionibus* rubrica; quicquid Prætorii decreti tres tituli ſequentes, ob commentariorum poſtea molem, uti nunc ſunt, diſcreti, continent. Ad eam itaque cum commentaretur *Ulpianus*, ejuſque utilitatem palam adſtrueret; non debuit *Vetus Gloſſator* adeo decipi, ut nota quidem alias, & uſitata, ſed hic perperam adhibita, loquendi intelligendique figura, pro contentis ſub titulo, tituli inſcriptionem haberet, & neſcio quod nobis Edictum fingeret, deque amiſſi jactura con- *Gl. ad l. 1. ff. de in int. reſt.*

quereretur. Secuta vero poſtmodum à collectoribus, ut dixi, diſcriminatio, non paſſa eſt certe titulum, ut antea, generalem eſſe; ſub quo, licet communia primo quædam, & generalia præparandæ ad ſecutura intelligentiæ, Juriſconſultorum Veterum, *de reſtitutione integri*, cujus illis non ex objectis, ſed cauſarum differentia, ſpecies diſcriminare mos fuit, effata complexa ſit; In tali tamen mox exemplo ſubſtitit, quo vix aliis ſpeciebus apud quoſdam, vel in hoc argumento nomen, vel in tractatione locus relinqueretur. Quod ſuo quidem loco amplius patebit.

Quod ſi de cætero, nec uno eodemque modo, nec proprie ſatis & accurate uſurpata, generis & ſpeciei forte nomina offendant: An novum eſt vel veræ rationi minus conveniens, JCtos, pro diverſa ſubjectaque prædicandi ratione, de ſpecie generaliter loqui? An novum, pro conſiderandi varietate, eandem rem, & ſpeciei locum, & generis obtinere? Genus & ſpeciem, id eſt, res diverſas, eadem voce notari? An novum, partem à parte latiori, ut à genere ſpeciem diſcerni? Ut nemo, qui rei penitius momenta ſcrutari operæ pretium facturus erit, miraturus adeo ſit; quî verbis à me diſcrepes, cui reipſa velim omnino tecum convenire. Dum tu, communium reſtitutionibus in integrum cauſarum, & requiſitorum generalitatem huic, de quo ſermo nobis eſt, titulo vindicas; cujus ei controverſiam movere, mihi quidem hactenus in mentem non venit. Ego ſingularitatem objecti exemplique aſſero; quæ undequaque plana eſt. Tu late ſe porrigentem, extendique aptum ejus uſum objicis; quem ultro profiteor: Mihi, ut, quo primario & ordinarie ſpectaret, animadverterem; tum cætera palam, tum legis præſertim ſextæ diſpoſitio, quæ non aliter, quam incidenter, & extra tractationis, certe contextus ordinem, captum in adeunda hæreditate complexa eſt; argumenta ſubminiſtravit. Ubi denique ad ſignificationem vocis ventum eſt; ego in eminentiorem acceptionem analogi immota, & expedita veri ſenſus inveſtigandi interpretandique norma, intentus ſum: Tu nominis multa complexi vim & ſonum urges: Cui extra hujus diſputationis aleam contradicere, mihi animus fuit nunquam.

Nomen

Nomen: Definitio: Fundamenta In integrum reſtitutionis, ex ſuis fontibus, per naturalem cauſarum conſecutionem, in rem præſentem deducta.

Quis enim negare vel auderet ipſe, vel negantem ſuſtineret alium, quod omnis hactenus loquendi ratio & uſus, Imperatoria inſuper authoritate, haud ſemel, nec uno loco, in publicarum formularum ſolennitatem roboratus obtinuit? Ut reſtitui, & additamento, ad augendam ſignificationis vim efficaci, in integrum reſtitui dicatur, quicquid vel generatim humana induſtria, vel conceſſa à ſuprema poteſtate gratia, vel quævis alia juris aut æquitatis ratio, in eum ſtatum, quo qualicunque caſu exciderat, reponit.

Quæ legibus, & quo loco, de ſingulis proviſa ſunt, indicarunt alii: Multorum, ſicut induſtriam ſuperavit, ita locum ſubeat hac vice; *Collegij Juridici Argentoratenſis* in illam rem Commentatio. Sed cætera quidem, quæ ſua peculiaria, in quæ tranſeunt, nomina ſortiuntur, ſub hoc nihil aliud, quam generaliter venire, per ſe clarum eſt: Ipſius etiam Judicii, litiſque reſtitutio, quam rotundius ſuo ore, feliciuſque, una παλινδικία voce Græci exprimunt, ſimpliciter & nude poſita, nullam hujus rei diſtinctam notitiam vel pollicetur, vel exhibet. Potuit ex ordinaria, & prodita civilibus legibus cauſa, impetrari: Et nihil illa cum hac noſtra in integrum reſtitutione, præter nomen effectumque, commune habebit. Reſtringe ad illud auxilium cauſas, quod contra communem juris civilis tenorem, ex naturali æquitate, ad ſubveniendum vel lapſis, vel circumſcriptis, Prætor introduxit; Et reſultabit hinc equidem ἡ τῆς διαδικασίας δίκη, quam inter judiciorum privatorum nomina *Pollux* retulit: Verum eam quoque dum nominamus, haud difficulter fieri poteſt, ut alius merum Magiſtratus officium loquatur, alius peculiaris actionis beneficium, quorum utroque perficitur, prout hanc rem diſtinctius, quam ab aliis præſtitum erat, in *Rebus Quotidianis*, Magnum quondam Academiæ noſtræ decus,

ad h.t. ff. th.1. & 2.

Herodian. l.7. c.6.

l.35.ff.de Re Jud. l.3.§.9. l.7.ff.de iur. fiſc. l.6. C. quand. prov. non eſt neceſſ.

Onom. VIII, 6.

Sect. 5. th. 161. in. RR.

decus, *Gregorius Biccius p.m.* annotavit; intelligat. Ex his, quæ actione peragitur, reſtitutio, ſuis formulis dignoſcitur: quæ judicis officio contenta eſt, cum aliud, quo cenſeri poſſit, nomen non habeat, ſatis rationis fuit, ut generali hactenus, ſed excellenter intellecto, inſigniretur. Hincque *Collegij Argentoratenſis* obſervatio: *Sæpe per reſtitutionem in integrum ſignificari reſtitutionem ſolam minorum*: haud dubie, quod *ex edicto pro iis introducto, nulla propria actio, vel cautio proficiſcitur*: Hinc *Pauli de Caſtro* teſtimonium: *Reſtitutiones ex cauſa metus vel doli, in ſtatutis appellatione reſtitutionis in integrum non venire*: Hinc *Sfortiæ Oddi* ſententia: *Reſtitutiones ex cauſis, quas modo nominavi, proprie reſtitutionis in integrum ſpecies non eſſe.* Hinc prolixa *Bartoli*, adverſus *Martini Sillani, veteris gloſſatoris*, aſſertionem, qui *reſtitutionem actionem eſſe* defenderat, diſputatio: Hinc *Johannis Mauritij*, pro *Bartolo*, defenſio: *Reſtitutionem totam à cognitione Magiſtratus pendere*: intelligenda potiſſimum eſt, atque interpretanda.

arg. l. 2. §. 5. ff. ad O. l. ad h. t. ff. th. 2. fin. per l. 38. ff. de dol. mal. l. 40. §. 5. in fin. ff. de Leg. 3. l. 24. §. ult. ff. de minor. In rubr. C. de in Integr. reſt. min. De reſtit. in integr. Part. 1. quaeſt. 1. art. 16. in l. 16. ff. de minor. De reſt. in integr. c. 11.

Erit itaque, quatenus in hujus diſſertationis argumentum nobis venit, *in integrum reſtitutio, remedium Prætoris extraordinarium, quod per judicis officium, amiſſam actionem in priſtinum ſtatum, ex juſta cauſa, reponit.*

Nempe, vel in agendi jure, actionis exercitium, vel in hoc, agendi jus amittitur; quorum ita unum in alterius conſequentiam intextum eſt, ut neutrum ſine altero intelligi poſſit reſtituendum. Amiſiſti tua vel ſimplicitate, vel metu ab altero tibi illato, vel alterius dolo, rem; Nulla tibi de jure civili, ad eam repetendam, actio competit; De ſimplicitate tua tute conquerere; metu alteri ceſſiſti, non electio tibi; Dolo victus es, non omnis conſenſus impeditus ablatuſque eſt: Jus civile non niſi dominis rem vindicare permiſit. E contrario: Deſeruiſti ſolennitates judiciarii proceſſus; Exempla ſunt: Non reſpondiſti præconis, in judicio te citantis, voci: Vel in intentione litis plus, quam tibi debebatur, petiiſti: Juris communis rigore, quem nulla mitigare exceptio ſatis efficax eſt, & formulis, & actione, in pœnam præſumptæ aut negligentiæ, aut contumaciæ, excidis. Valde fruſtra naturalis æquitatis inclamaturus præſidium; niſi à judicis officio, ex præſcripto Prætoris, cujus munus eſt, *adjuvare, vel ſupplere, vel corrigere Jus Civile*, id ſibi aucto-

l. 7. §. 1. ff. de I. & I.

auctoritatem mutuaretur. Ut ex parte jam patere possit, quo nomine *extraordinarium*, in integrum restitutio, *remedium* dici, vel commendari potissimum mereatur. *l. 16. pr. ff. de mino. l. 3. C. si adverſ. lib.*

Scilicet jura generaliter constituuntur; haud exinde modica judiciariæ virtutis, & Imperatoriæ justitiæ portio est; ad æquitatis ea, & publicæ utilitatis normam, pro circumstantiarum varietate, moderari: Quarum altera commendari, altera fundari debet, quicquid in usitato juris tenore venit immutandum: Altera immutando juri consilium primario, altera immutato fundamentum præstat: Altera introducendum noviter decori: Altera introductum justi ratione instruit: Quanquam enim utriusque non possit mutua inter se necessitudo & opera denegari; cum cautione tamen intelligendum est, quod ad *Ulpiani* commendationem restitutionis in integrum, Vir summus, *Jacobus Cujacius* notat: *Utilitatem Parentem esse æquitatis*: Ne, deducto ad suas consequentias hoc principio, eorum reproducatur opinio, quos *Hugo Grotius*, in *Prolegomenis* noti & memorabilis operis, confutandos suscepit. Ad *singulorum* quidem *utilitatem primario & evidenter*; quorum alterum privati juris commune, alterum noviter introducti necessarium requisitum fuerat; & ad conservandam illam, *quam inter homines natura cognationem, ut alterum alteri insidiari nefas sit, constituit*, eximie: quod Prætor læsis præsidio, remedio circumscriptis, lapsis auxilio subvenit: Verum tanquam ex æquitatis naturalis principiis, præceptisque oriundum & dimetiendum, pertingit. Hæc, cum secundum juris communis dispositionem, & severioris Philosophiæ decreta, ea, quæ à voluntate metu coacta proficiscuntur, quatenus non penitus, & per meram violentiam exclusa voluntas, ad ultimam censetur actus specificationem cum electione, adeoque cum ratione concurrere; *spontaneorum censum & æstimationem subeunt*: *In alterius præmium alienum metum verti*; &, quod manifesta consecutionis vis infert, *alteri per alterum iniquam conditionem inferri*, non patiuntur: Hæc, cum juris stricti rigor, ad ipsa facta, non ad ea, quæ facta circumstant, intentus, in eorum, quos alieno dolo, vel errore proprio, vel ætatis imbecillitate, *in judiciis, sive dum agunt, sive dum conveniuntur*, capi labique, vel absentia sua, aut aliena, rem amittere

Comment. ad l. 1. ff. de in int. restit. *de Jur. Bell. & Pac.* *§. 4. I. de I. & I. l. 2. ff. de const. Princ.* *l. 3. ff. de I. & I.* *l. 21. §. 5. ff. quod met.* *l. 14. §. 6. ff. eod.* *l. 74. de R. I.* *l. 7. §. 4. ff. de min.*

contingit, sive auxilium surdus est, sive etiam condemnationem & pœnam armatur: *Ut cuiquam lucrosa malitia, vel sua sit damnosa simplicitas,* non permittunt: Hæc *fragili & infirmo judicio, multisq; captionibus supposito, multorum insidiis exposito minoris ætatis consilio, auxilium, & adversus captiones opitulationem præstant*: Hæc non sinunt committi, ut *cuiquam absentia justa damno, vel in alterius præjudicium compendio sit.* Hæc *omnibus deniq; modis id agunt, ne cujus ex alieno facto deterior causa fiat.* Ex his itaque, si quæ opus rescissione habent, rescinduntur acta, si quæ redintegratione, redintegrantur lites; si quæ restauratione, *restaurantur eremodicia.* De quibus huc non exscribo, quæ erudite in *corollario,* ad soceri sui *Francisci Polleti Historiam Fori Romani, Philippus Broidæus* consignavit.

l. 1. pr. ff. de dol. mal. l. 1. pr. ff. de minor. l. 22. §. 1. l. 29. ff. ex quib. caus. l. 1. pr. ff. de alienat. jud. mut. l. 7. §. ult. ff. de min. add. not. Gothofr. h. 5, c. 3.

Juris in restitutionibus in integrum dicundi forma: Potestas penes quem? Restitutio à quo peti possit? Ubi, & intra quod tempus, & quomodo debeat? Restitutionis tum petitæ, tum impetratæ effectus.

Atque ita quidem se habent, quæ generaliter hactenus nobis, de Restitutionum causis, sub acumen styli venere. *Multi autem de cætero casus evenire possunt, qui restitutionis auxilium desiderent, nec singulatim enumerari potuerunt*; Ut multa intelligantur judicis æquitati, cujus hæc tota res cognitioni permissa est, relinquenda. Huic adeo potestas erat, ex *bono & æquo secundum cujusq; rei, de qua actum erat, naturam, negotium moderari.* Ut non ex Imperatoriæ tantum potestatis auctoritate, sed judicanti concessa lenitate, præscripta legum (secundum quæ *is, qui agens, & in intentione sua plus complexus, quam ad eum pertinebat, causa ciciderat, non facile in integrum à Prætore restituebatur*) *Claudius* reliquerit: quando *iis, qui apud privatos judices plus petendo formula excidissent, actiones restituit*: Uti BONUM scilicet erat & ÆQUUM; quas voces, ut inter solennes hujus judicii formulas referam, præter adducta modo loca, & Viri Magni, *Barnabæ*

l. 26. §. 9. ff. ex quib. caus. maj. §. 31. fin. I. de Act. §. 33. I. de Act. Suet. Claud. cap. 14. Formul. sol. l. 5.

Brissonii

Brissonij authoritatem, accuratissimus *Terentianæ* locutionis genius me movet:

—— *Quod te absente* (inquit advocatorum unus ad *Demiphonem*) *hic filius* *Phorm. II, 4, 19.*
egit, restitui in integrum æquum est & bonum.

Cognitionis itaq; res, non ordinarij judicij erat, ut *Suetonij* memorabilem locum meum faciam, restitutionem in integrum perpendere; cujus æquitas non ex causarum tantum sollicita inquisitione resultat, sed diligenti singularum circumstantiarum ponderatione, varie tum temperatur, tum instruitur. *Claud. c. 15.* Harum investigatio, cum in hoc judicio, omnis cognitioni causæ inclusa sit, superfluum fuerit, commendare judicaturo cognitionis diligentiam; quam & alias plurimum in quibusvis judiciis momenti obtinere, & quotidianæ testantur experientiæ exempla, & idoneo loco, petitis è reconditioris eruditionis fontibus rationum fundamentis, solidissime demonstravit *Illustris Bœclerus*: *Diss. de Jud.* sub cujus Viri auspiciis atque ductu, palam sibi gratulantur musæ meæ, quod illis ex infantia datum est, in qualecunque juventutis robur assurgere.

Singula persequi, quæ in hujus causæ cognitionem vel naturaliter veniunt, vel à conditoribus juris expresse relata sunt, molestum opinor foret; quæ autem ad instituti nostri argumentum eminentius & propius faciunt, non sunt prætereunda. *In causæ cognitione versatur*, inquit *Ulpianus*, *num forte alia actio possit competere, citra in integrum restitutionem: Nam si communi auxilio & mero jure quis munitus sit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium.* *l. 16. pr. ff. de min.* An non exinde in causæ cognitione quoque versabitur, *num ei, cui contra decipientem se in lite, de dolo malo actio competeret, restitui lis possit? Et boni Prætoris est, potius restituere litem, ut & ratio, & æquitas postulabit: quam actionem famosam constituere, ad quam tunc demum descendendum est, cum remedio locus esse non potest.* *l. 7. §. 1. ff. de in int. rest.* Quæ cum legibus ita provisa sint, satis valido robore nituntur adversus ea, quæ pro *Cæcinna Cicero* in defensionem inducit: *Si quis mihi hoc judex recuperatorve dicat: Potuisti enim leviore actione confligere: Potuisti ad tuum jus faciliore & commodiore judicio pervenire: Quare aut muta actionem, aut noli mihi instare ut judicem: Tamen is aut timidior videatur, quam fortem,*

aut cupidior, quam sapientem judicem esse æquum est; si aut mihi præscribat, quemadmodum jus meum persequar, aut ipse id, quod ad se delatum sit, non audeat judicare. Nam si, quod sequitur, *non possit levior acturo actio aliqua demonstrari*, res ex se plana est.

l.5. ff. de in int. Venit in circumstantiarum disceptationem amplius: *Nemo videtur exclusus, quem Prætor in integrum se restituturum pollicetur*: *Quid hujus successor? quid fidejussor? quid si minor à curatore, absens a procuratore defensus?* quid si omnes hi, probata etiam causæ justitia, *pro re vel summa minima in præjudicium majoris?* quid *si minor, adversus minorem*, singulare hoc & extraordinarium remedium postulent? Decidunt leges marginali spatio asscriptæ; & declarant magno numero & labore commentatores. Illud vero extra ordinem annotandum, quod causarum quodammodo veritatem attingit: Regulare id quidem est: *Is qui vim ab altero passus est, dolove deceptus, in ejus à quo vis, à quo dolus adhibitus, præjudicium restituitur.* Quid vero, si in re vis sit? si dolus à tertio quodam profluxerit? *Non mea*, inquit *apud Senecam Patrem, contra patronum libertus, sed aliena vis fuit*: Respondetur pro patrono: *Æque dignus est pœna, qui ipse vim adhibet, ut qui ab alio admota, ad lucrum suum uritur.* Rhetoricus nimirum hic color est: Aliter & veræ rationi convenientius, *Ulpianus: licet vim factam à quocunq; prætor in Edicto complectatur; eleganter tamen Pomponius ait; si quo magis te de vi hostium, vel latronum, vel populi tuerer, vel liberarem; aliquid à te accepero, vel te obligavero; non debere me hoc edicto teneri; nisi ipse hanc tibi vim summisi: Cæterum si alienus sum à vi, teneri me non debere: ego enim operæ potius meæ mercedem accepisse videor.* Cum quibus in ipso fortasse conflictu occasio se offeret, ut concilientur, quæ mox ex eodem *Ulpiano* in speciem pugnantia referuntur. Quæ autem jam in examen ipsius causarum justitiæ veritatisque deducuntur, manifestiora sunt, quam ut solicitam inquisitionem hic requirant, & diffusa latius, quam ut harum se pagellarum angustiis includi patiantur. Judicantisque dehinc partes locum obtinent, quem cognitis, quæ cognoscenda, perpensis, quæ perpendenda, ponderatis, quæ ponderanda fuerant, ex suæ jurisdictionis officio *statuere* convenit.

l.6. ff. h.t. *l.13. pr. ff. de min.* *l.ult. ff. de in int.* *l.4. ff. de in int.* *l.11. §.6. ff. de min.* *Contr. IV, 8.* *l.9. §.1. ff. quod met. caus.* *l.14. §.6 ff. eod.*

Res

Res intricatæ ut plurimum arbitrationis, & judicatu difficilis, ratio fuit, *ut non omnibus promiscue magistratibus permitteretur*; sed talem judicem requireret, *qui proprium tribunal, & jurisdictionem cum administratione haberet*: Ratio fuit, *ut alicubi solus sibi Princeps reservaret hujus auxilij distribuendi jus*, & ejus, quoties opus esset, exercendi potestatem delegatis ad id denuo concederet. Ratio fuit, ut hinc excluderentur *Magistratus municipales*; *arbitri compromissarij*; *judices pedanei*; De quibus tamen intellecta male constitutionis Imperatoriæ dispositio nonnullis dubitandi argumenta subministravit. In cujus rei disquisitione, multorum iterum, quorum nomina cumulare mihi mos non est, loco sint, quæ *Collegium Argentoratense* præclare persecutum est, & erudite enodavit.

l. ult. C. Ub. & ap. quem.
Rebuff. de restit. & relevam. §. 12. & seqq.
l 26. §. 1. ff. ad munic.
l. ult. C. ub. & ap. quem.
Lib. 4 Tit. 1. th. 7. add. th. 21. 22. 23. ibid.

Coram tali itaque judice, quem leges probavere, comparere facultas erit eis, qui vel *directe*, vel *indirecte* læsos se sentiunt, nullo *ætatis, dignitatis, sexus* impedimento: Sive compareant ipsi, sive per procuratorem, cui speciale mandatum concessere, postulent, non magis interest, quam si pater aut alius pro eis, quorum patrimonii administrationem habet, interveniat.

C. I. A. IV, 1, 14. & seqq.

Si præsertim, quem leges comprobant judicem, *forum competens*, id est, *ejus, de cujus præjudicio agitur*, designet. *An pugnant canones, qui Ecclesiam eximunt?* Felicissime rem expedivit *Consultissimus Brandmyllerus*, cujus viri nomen nunquam sine honoris præfatione calamum, nunquam sine veneratione recordatio, animum meum, qui aliquando inter tanti Doctoris discipulos, quanquam impar & nullatenus tantæ fortunæ beneficiis dignus, locum obtinui, subire debet. *An forum ex domicilij loco, an rei sitæ æstimandum?* Distincte agunt *acutissimus Bachovius ad Treutl.* & *doctissimus Wissenbachius* in *disputationibus*; quos non exscribo. Ad tempus potius petendæ restitutionis progrediendum est, quod ex *anno utili in quadriennium continuum* mutatum, à quo currere incipiat, & quousque currat, inter interpretes dubium hactenus terminum habet. Illud ad suum locum, quem alias, ubi per otium & subsidia facultas erit, accuratius pervestigare, pro ingenii tenuitate conabimur, spectat; quod *Divus Antoninus Marcio Avito Prætori rescripsit: Ei contra quem more pronuntiatum sit, quod præconi citanti non responderit; si confestim*

l. 2. C. ub. & ap. quem.
Manud. ad J. C. & Can. verb. Rest. in integr. eccles.
ad Disp. 11. th. 1. lit. d.
Disp. 13. th. 7. ad ff.
l. 18. §. fin.
l. 19. §. 39. ff. de min.
C. I. A. de Rest. in int. th. 26.
l. 7. ff. de in int.

Prætorem pro tribunali ſedentem adeat, reſtitutione ſubveniendum. quis eſt iſte mos, ſecundum quem pronuntiatum eſt? Quale illud confeſtim? *Cum aliquo haud dubie temperamento temporis intelligendum.* Non eſt ætatis meæ nec ingenii, magnorum virorum errores notare: Non poſſum tamen hic loci, quin mirer, vix à quoquam hactenus, imo, quod ego quidem ſciam, à nullo, inſigni eruditiſſimi *Pollucis* loco hunc honorem habitum, ut ad explicationem legis, quam modo dixi, adhiberetur. Ἀντιλαχεῖν, inquit ille, δίκην ἐξῆν, ὁπότε τις μὴ παρὼν ἐν δικαστηρίῳ κατακηρυχθεὶς, καὶ μὴ ὑπακούων, ἐρήμην ὄφλῃ. Ἀντιλαχεῖν δὲ ἐντὸς δύο μηνῶν ὑπῆρχεν. εἰ δὲ μὴ τοῦτο ποίητο ἐγγεγραμμένον ὦφλε, καὶ ἄτιμος ἦν. *Reſortiri judicium licebat, ſi quis abſens in foro citatus, aut non exaudiens, deſerti vadimonij reus eſſet. Reſortiri autem intra duos menſes fas erat; quod ſi non faceret, in mulctam ſcriptam condemnabatur, & ipſe infamis fiebat.*

l. 105. ff. de ſolut.

Onom. l. 8. c. 6.

Apparebit hinc, coram legitimo judice intra conceſſi temporis ſpatium, & *porrecto ſupplicij libello, vel erroris proprij veniam, vel adverſus adverſarij circumventionem auxilium implorabit is*, cui reſtitutione opus eſt; Sicut hæc ad diſcriminandam ab appellatione reſtitutionis petitionem, inter ejus ſolennia verba & leges obſervant; & exinde *Briſſonius* annotavit.

Biccius in Aur. ſect. 5. th. 161. litt. RR.

l. 17. ff. de min.

l. 5. form. ſol.

Et, ſi poſt ſemel petitam reſtitutionem aliqua declarationem & pronuntiationem judicis morentur, ne ſpretam aut derelictam ſuſpicetur innocentiam; aut etiam in ſuum compendium tempore, quod inter ſententiam & petitionem intercedit, utatur, jure, etiam ad executionem ſententiæ impediendam valido, proviſum eſt: ut omnia pendente reſtitutione, in ſuo ſtatu ſint maneantque, nec quicquam interea innovetur. quod peculiari commentario executus eſt *Robertus Lancellotus.*

l. un. C. in int. reſt. poſt. ne quid nov.

De Reſt. in int. pendent.

Donec inſecuta judicis ſententia, & ſententiæ authoritate, efficiatur, ut recepto jure ſuo integro, is, cui ſubvenitur, nec de damno merito conqueri, nec de lucro gloriari poſſit.

l. 24. §. 4. ff. de min. l. un. C. de reput. quæ fiunt in jud. l. 28. ff. de dol. l. 18. ff. ex quib. cauſ. maj.

COROLLARII LOCO EXAMINANDUM:

PRæclare pro *Cæcinna Cicero*: *Non ea ſola vis eſt*, inquit, *quæ ad corpus noſtrum, vitamq; pervenit, ſed etiam multo major ea, quæ, periculo*

periculo mortis injecto, formidine animum perterritum, loco sæpe, & certo de statu demovet. Nondum tamen adducor credere: *Majorem ideo vim adhiberi ei, cujus animus perterreatur, quam illi, cujus corpus vulneretur: Quia saucij sæpe homines, cum corpore debilitantur, animo tamen non cedant, neq; eum relinquant locum, quem statuerint defendere: Alij pellantur integri.* Causæ hæc, non veræ rationi serviunt; in quibus, si legitimo argumentandi ordine contextuque utaris, vanissimi cujusque hominis metus non excusationem tantum, sed præsidium reperiet.

Dissertatio IV.

DE RESTITUTIONE FIDEI-COMMISSORUM ET IMPUTATIONE PRÆLEGATORUM IN QUARTAM TREBELLIANICAM.

AD L. Titia Testamento. 86. D. AD LEGEM FALCIDIAM.

L. LXXXVI. Julianus Lib. XL. Digestor.

Titia testamento suo Titium fratrem suum ex parte tertia heredem instituit; fideiq; ejus commisit, ut hereditatem, retenta quarta parte, Secundæ & Proculæ restituat. *Eadem fratri quædam prædia prælegavit. Quæro, an Titius ea, quæ prælegata sunt, etiam pro ea parte hereditatis,*

ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ Lib. XLI. Tit. I. L. LXXXVI.

Ἐνστησάμενος τὸν ἀδελφόν μου εἰς τετραούγκιον, ἠξίωσα αὐτὸν μίαν οὐγκίαν παρακατέχοντα, τὴν κληρονομίαν ἄλλοις ἀποκαταστῆσαι. ἐληγάτευσα δὲ αὐτῷ καὶ κτήματα. Εἰς ὁλόκληρον τὰ κτήματα παρακατέχει, λογιζόμενος τὸ δωδέκατον

Disp. Inaug. Arg. Decemb. 1667.

quam

quam rogatus est restituere, an integra retinere debeat? Respondi, Titium legata integra retinere debere, sed in partem quartam imputari oportere duodecimam partem prædiorum. Sed si non esset adjectum, ut pars quarta deduceretur, totum trientem prædiorum legi Falcidiæ imputari oportere; quoniam contra sententiam matrisfamiliæ Lex Falcidia induceretur.

αὐτῶν εἰς Φαλκίδιον. Ἐι μὲν τοι μὴ ἐπήγαγον αὐτὸν τὴν ἐγκίαν παρακρατῆσαι, τὸ τρίτον τῶν κτημάτων εἰς Φαλκίδιον λογίζεται, ἐπειδὰ παρὰ γνώμην μου ὁ Φαλκίδιος εἰσάγεται.

Conspectus hujus Dissertationis.

AD penitiorem legis istius intellectum, nobis ex ratione studiorum occasio nata est, ut quædam intra Dissertationis Academicæ modum in publico proponeremus, non animo satisfaciendi materiæ; quod exquisitioris res & opus commentationis foret: sed institutis & mori per Universitatium plerasque solenni: ad cujus leges Jurisprudentiæ qualescunque nostros in ejus arte profectus inaugurare sumus auspicati. nec in viribus nostris, sed vel veniæ fiducia, pro iis, quæ excusanda nobis exciderunt; vel gratiæ publicæ, si quæ hinc alia excitata forte aliunde industria, solidum quandoque lumen argumento, quod tractamus, affulserit.

Nobis

Nobis enim nec fas opinor, nec ratio fuerit, ut in re arbitrationis varie intricatæ, & dum ſummorum quorumque JCtorum judicia diverſe trahit, non tamen in hunc diem ad liquidum uſquequaque perducta, plus aliquid in hujus ſcriptionis principio, quam ſolicitæ meditationis curam præſtemus. Cui ne aliunde vitium fiat, antequam deſtinata componamus, quædam viſum eſt ab hiſtoria legis noſtræ, genioque ſimplici, & ex aſſis hæreditarii diſtributione, inſtrumenta meditandi præmittere; quibus argumenti propoſiti dignitas in majorem evidentiam, vel ſenſus, qui Legislatoris intentioni quam proxime convenire videatur, ab obſcuritate vindicetur.

II. Authorem ejus *M. Salvium Julianum, ſublimis authoritatis & judicij JCtum*, non tam ſanguis, in Imperatorem denique *Didium Julianum* demiſſus: quam quibus & proſapiæ ſuæ, & Cæſareo per pronepotem culmini non parum dignitatis & ornamenti contulit, literarum & Juriſprudentiæ ſtudia, in ultimum vitæ momentum glorioſe producta, ab Imperatoris Adriani ævo ad poſteritatis memoriam, & noſtra uſque tempora celebravere. Judicium hujus viri in abſtruſa ſolers, ſubtile in reconditis, & eloquentiæ facultas in diffuſis expedita; ut aliquando per præclara tam prolixæ ſapientiæ ſpecimina Juſtinianeæ Jurisprudentiæ libris exquiſita Edicti Perpetui ſtructura, & artificio admirandi operis exemplum, vel inter prima eruditionis antiquæ monumenta, pretium faceret: vigilante atque propitia pro Juris arte Providentia, illis potiſſimum temporibus explicata eſt; quibus movere iterum lacertos cœpit Juſtitia, locoque, quo temporum injuria pulſa fuerat, reſtitui. cum Sacerdotes ejus, Conſiliis moderandis, & in amicitiam Principum adhibiti, per eminentiſſima quæque munerum publicorum faſtigia, Reip. decora promoverent.

l. penult. C. de Cond. indeb. Spartian. in Juliano c. 1. ibique Caſaub. l. 20. ff. de fideic. lib. l. 2. §. 18. C. de V. I. E. l. 5. C. de bon. qua lib.

Spart. in Adrian. c. 18. Add. Caſaub. & Salmaſ. ibi notata.

Non eſt enim, ut reliqua ſapientiæ ſtudia, ſola favoris augusti gratia contenta; ſed ut efficaciter egregio publico ſalutare robur approbare queat, contractam ex interiore Auſpicii Imperatorii commercio, majeſtatem, per omnia ſingulorum, actuum momenta, præſentem ubique circumferre amat juris adminiſtrandi tradendique prudentia.

Cujus in universum conditionem contextumque ingenio complecti, sicut eximium prorsus habetur & factu arduum: ita perspicaces oculos in immensam casuum humanorum varietatem, &, quæ sæpius etiam aciem intentionis eludit, circumstantiarum inclinationem immergere: nec præsentem tantum actionum & rerum indolem geniumque sagacitate venari, eique illæsam justi rectique normam accommodare; sed ad futura quoque provisu pertingere; aut sapienter provisa, ordinate, & ad promtiores usus componere, sublimi semper solicitudine, nec felici minus successu conati sunt antiquorum illi seculorum prudentes, quibus *fundare legibus Remp. & emendare judiciis,* inter potissimas & demandatas à summa potestate curas constitutum fuit.

Cœptum ingens molimine, & pro civili consociatione salutare semper: Juliani præsertim ætate Herculem aliquem anhelabat, qui exundanti Oceano limites figeret. Cum quicquid antea vel ambitione Prætorum, in jure innovando, vel privatorum ad contentiones, & litigandi pruritu, & postquam hæc *Lege Cornelij Balbi Tribuni plebis,* intra perpetuam constantemque formulam, sed absque compositionis & ordinis cura, restricta recisaque essent; propter confusionem Jurisprudentia labis occultæ contraxerat, id omne paulatim, quanquam revirescente jam Imperii senectute, tranquillitatis tamen publicæ sæpe vel periculo luendum, vel expiandum impendio esset.

Ascon. Padian. in orat. Ciceron. pro Cornel.

Quod me pene longius à propositi lege provexisset, ut ejus consilii generositatem, quo à *Juliano* nostro *Edictum perpetuum* in ordinatum corpus *digestum* est, boni ominis causa, vel adversus seculi nostri querelas, suscepissem prolixius extollendam: quibus, quam ipso malo fœdius, quoniam inulti passim obruimur. ex illo certe tempore, quo non tam ratio plerosque in quæstus, quam aliorum exemplum feroces fecit: & in varia exprobrandæ litium juxta huic ævo, & remediorum multitudini acumina, postquam semel fundus morbi detectus est, non adeo forte necessaria incendit. Cum satis aliunde causarum esset, ut quod ab indignatione spiritus fervidioris conciperetur, illud omne, pro suarum quisque facultatum & muneris

parte,


parte, in medicinam, atque adeo quietem Reipublicæ promovendam, converteret. Nam Augusta Culmina, quorum inprimis hic suffragatione & authoritate opus est, si casus tempusque ferret, quicquam à gloria majoribus suis, & Imperatorii solii majestate digna, vel consiliorum promptitudine descivisse: id vero suspicari, profanæ, & in publico declamare, impudentis haud dubie pridem censeri Philosophiæ cœptum est.

Sed erit aliud quandoque tempus, cum animus ab occupationum & adolescentiæ caligine emissus, liberiore calamo, quæ seculo nondum prorsus bonorum exemplorum sterili, debentur vindiciæ, posteritatis conscientiæ, tam ab odio, quam obtrectationis vacuæ dedicabit.

Nunc enim exsequemur cœpta, quorum institutum non erit operosius arbitror illorum gratiæ comendandum, qui persuaderi sibi patientur; non fuisse futurum, ut Julianus, vir tam eminentis in Rep. dignationis, ingenium publicorum negotiorum actu in solidum acumen exercitum, argumento cuivis, aut humili, aut præter necessitatem impenderet.

Nec minus enim, quam quod maximum pro civili consociatione operæ pretium ferre censendum est; abditos hominum sensus ad æquitatis & Justitiæ normam, publico judicio & intelligentiæ subjicere: quando in supremas voluntates, & novissimum spiritum incaute, vel cum à magis anxiis & solicitis emittuntur, intricatius plerumque desinunt. ad penetrandum semper ancipites, facilius etiam sagacissime curiosorum oculos & intellectum frustrari apti: cum, quod à *Plinij* temporibus *Plin. paneg.* Romanæ Reipublicæ gratulandum est, liberiori asserti cœlo, *34, 1. 43, 1.* pristinæ servitutis indignitatem ipsa libertatis licentia ulciscerentur: & exinde suspensam ab ipsorum momentis juris constituti, vel constituendi formulam per infinitos ambages & circumstantias variarent.

Magni prope tumulum, & adversus præteritæ tyrannidis memoriam, cujus vix dominationem fuerant elapsi, efficacissimi solatii rem, intra honesti publicique moris leges, liberam in morte mentem testari, & ad neminis præscriptum de facultatibus suis disponere, cum cupide Romani cives essent amplexi, talis ex facto species contigit.



III. Titia cum Ↄc. nummûm in bonis haberet, quorum CL. prædia quædam implebant, in teſtamento ita ſcripſerat: *Titius frater meus, Secunda & Procula mihi ex æquis partibus hæredes ſunto. Te fratrem meum Titium rogo; ut tuam hæreditatis portionem, retenta quarta ejus parte, cohæredibus reſtituas. Tibi autem prædia mea prælego, quæ è media hereditate ſumas habeasq; præcipua.* Cum Teſtatrice mortua, cohæredibus ad invicem nec de hæreditate reſtituenda, nec de quartæ partis detractione, propter contributionem in ea faciendam conveniret: liſque hinc inter eos orta, & ad JCtos ex more delata eſſet: Julianus in duo capita quæſtionis propoſitæ ſtatum partitus, reſpondit: Titium, ſecundum ea quæ proponerentur, quoniam ex voluntate teſtatricis quartam portionis hæreditariæ partem detraheret, ſolius ejus quartæ partis commoda hæreditaria conſequi, & onera ſuſtinere: Reliqua vero, quæ ex hæreditate reſtitueret, quoad univerſale jus, & commodi incommodique hæreditarii continentiam, in cohæredes transferre. ſub quibus quoniam & prædiorum triens eadem ratione tranſiret, quicquid eorum, præter quartam trientis partem, quæ univerſorum prædiorum unciam unam conſtituit, ad hæredem Titium reverteretur, id à cohæredibus ad eum, & particulari propterea titulo, tanquam ad legatarium, redire: Ut adeo ſecundum voluntatem Titiæ, & jure certo, ſola prædiorum duodecima, id eſt, trientis Titii quarta pars, hic loci quocunque nomine poſſet in diſceptationem venire: Quam ideo non reſtitui debere, quod expreſſo Teſtatricis judicio reſtitutioni exemta eſſet: Quoniam autem apud heredem fiduciarium, Titium, hæreditario jure manſiſſet, in quartam Falcidiam, quæ ex reliquo triente deducenda eſſet, imputari, jus faſque eſſe; & exinde nihil hoc quidem caſu reſtitui ex prælegatis oportere. Sicut econtra, ſi Titia fratrem ſuum Titium totum trientem, vel ultra ejus dodrantem alteri reſtituere rogaſſet; quanquam ex alia ratione prælegata prædia extra reſtitutionem fideicommiſſariam eſſent; Attamen voluntatem teſtatricis, detractioni falcidiæ contrariam, totum prædiorum trientem oneribus hæreditariis & ita contributioni in quartam ſubjiceret.

Quædam

Quædam in his, & hereditatis potissimum distributione, arbitrariæ vel passim obviæ computationis,& observationis esse, nemo non videt. Sicut præter Jurisconsulti verba, forte non præter mentem, cohæredes Titio Secundam & Proculam assignavimus, ne ex reliqua hæreditate, nullis hæredibus ascripta, novæ difficultates prodire habiles essent. Assem vero hæreditarium ad talem summam produximus, quæ seorsim in hæredum institutionem, & partes, tum prælegatis & utrorumque unciis congruenter sive responderet, sive sufficeret. Ut enim *Trientis* Titii, qui *ducentorum* est, *quarta pars* æque ac totius hæreditatis *duodecima*, ad *quinquaginta*; ita *prædiorum* tam ex *triente*, qui *quinquaginta* complectitur, *quarta pars*, quam ex *universis prædiis uncia*, ad *duodecim* recidet. Nam ut *prælegata*, ad *centum quinquaginta*, modum legibus præfinitum extenderemus, certa nos jubere ratio potuit. *l.1. pr. ff. ad L. falc.*

IV. Et in his quidem, si quid dubii superest, melius illud publicæ disceptationi reservabitur. Cætera vero disputationis controversæ moles, ex quo prudentum cœpit sententias distrahere, in duobus potissimum membris capitibusque in hunc diem subsedit. Nec constabat enim inter plerosque: *Quid omnino hæredis Titij fidei, ut Secundæ & Proculæ restitueretur, commisisse Testatrix deberet intelligi?* Tum, *quid ex iis, quæ restituenda non forent, in Trebellianicam quartam oporteret imputari, & ita vel Titio, vel fideicommissariis hæredibus in hæreditate dividenda proficere?*

V. Utrumque variis interpretantium studiis ambiguum, celebrioris, quam certioris inquisitionis haberi meretur. Et, si explicationi eorum assurgimus, qui jus aliquod hinc singulare, neque cum reliqua legum analogia concordans eruere satagunt; præcipuo jam solidæ interpretationis instrumento excidimus, quod ex usitato totius Jurisprudentiæ contextu, solum forte nodum isthunc feliciter extricatum dare debuisset, potuissetque. Sed enim nec singulare illud est, quod certæ, & expressæ, & aliundè ex juris communis regulis accitæ rationis fundamento nititur. & si cum maxime singulare illud omne esset, cui non per omnes circumstantias cætera legislationis Romanæ dispositio respondet: ad infimam paucitatem redigi necesse foret, quæ hucusque inter omnes juris communis nomine leges censeri *Bart. ad h. l.* *l.16. ff. de Legibus.* *arg. l.1. §.9. C. de V. I. E.*

 con-

consueverunt. Intra cujus limites, exceptiones etiam ab usitatis regulis contineri, non video cur idonee dubitari possit.

VI. Ad quas nimirum respexisse videntur, qui, ut prioris membri difficultatem sanarent, rationem intellectus ex verborum & scriptionis ordine, contra quam regulariter fieri debebat, eliciendam dijudicandamque arbitrabantur. Et totam illi quidem rem paucis confectam dedissent; si ut sibi satisfecerant, sic aliorum quoque judiciis momenta suæ distinctionis approbare, in promptu ipsis fuisset; cum in fideicommissa cadere prælegata dicerent, si illa antecederent; non cadere, ubi sequerentur. Cujus rei pleraque sicut accuratius examen fortasse non adeo solide sustinent; ita in adversariorum argumentis vix omnia probaveris: sæpe rationem contextus & cohærentiam consequentiæ desideres. Regula quidem est, cujus non oportet authoritatem temere in dubium vocare: *Ordinem intellectus non esse ex ordine & positione verborum dimetiendum*: sed quæ per idoneas limitationes facile, pro rei & negotii subjecti genio, se pateretur in adstrictiorem intellectum & ordinem redigi: si, quod ex adverso intentabatur, probatum satis efficaciter fuisset: *non potuisse testatricem illud videri voluisse adimere, quod nondum dederat.* Certe quidem *ordo Scripturæ causam juris & voluntatis non impedit*: Ubi de utroque nimirum satis aliunde constat; secus quando sit, illum voluntatis conjecturam, & per eam juris causam, haud raro in iis juvare, ubi, sicut in scholis loqui mos est, *sublationem prioris positio posterioris infert*, nec improbabile adeo, nec novum est. Sicut infirma prorsus esset consequentia, quæ verborum figuris vim interpretandi voluntatem testantium adimeret; quod in fideicommissis major habetur voluntatis quam verborum ratio.

Bart. ad h.l. & Dd. com. refutati Cujac. ad h.l. Arumæo Disp in ff. 17. th. 14. Bachov. ad Treutl. Vol. II. disp. 14. th. 3. l. B. & C.

§. 34. I. de Legat.

l 77. §. 12. ff. de Legat: II. Ant. Fab. 6. Conj. 4. 10. ex l. 77. §. 32. ff. de Legat. 2. Add. arg. l. 28. ff. de adim. & transferēd. legat. & alibi passim. l. 16. C. de Fideic.

Nec enim, ut ad hypotheseos modo propositæ rationes aliqua pro ingenii captu philosophemur, valde ei vel tollendæ, vel asserendæ faciunt: sed ad illustrandam generaliter thesin, quæ huic loco subjacet, pertinent; quæ *de portione simpliciter restitui rogata, & eo quod ex hæreditate ad hæredem fiduciarium pervenit*, passim disputari solent: cum Testatrix expressis jam verbis rogaverit *hæreditatem* sive *hæreditatis portionem* restitui: extra quarum utramque prælegata haberi certi & indubitati juris est.

Cujac. ad h. l. Arum. Disp. ad ff. 18. th. 14. ex l. 3. §. 4. l. 78. §. 13. ff. ad SCt. Treb. l. 96. ff. de Legat. III.

Cum

Cum autem, ut ad institutum propius accedamus, *res quæ hæredi ex medio hæreditatis prælegantur, duplici jure pro diversis partibus censeri necesse sit: altero, quo apud hæredem, in cujus portione jam per institutionem hæredis locum partemq; sortitæ fuerant, hæreditario jure remanent: altero, quo in hæredem ex cohæredum partibus titulo legati conferuntur. & illa quidem omnia in fideicommissum cadant, hæc sola hæredi integra illibataq; conserventur.* Hinc demum inextricabilis nodi implicari nexus incipiunt; nec potest non dubium fieri: qua computationis ratione, Titius prædiorum prælegatorum suum quoque trientem hæreditarium, id est, eam partem, quam restituere inter cæteram hæreditatem Secundæ & Proculæ rogatus est; adeoque in qua ex distributione hæreditatis, *quæ eadem totius & in partibus esse debet*, ei hæreditarium jus constitutum fuerat, integra retinere possit: ut juri tamen in contrarium allegato salva maneat auctoritas, & illibata in similes quandoque casus, firmas concludendi formulas productura, efficacitas? Cui valde fallor, aut dissecando Alexandri ensem adhibuisse, non sufficiebat, aut dixisse: *Jurisconsultum nihil vel rationibus contrariis, vel legum auctoritate adversa commotum, existimasse & respondisse id, quod hactenus nostræ disceptationi argumentum præbuit.* Nec enim difficulter aut parum speciose regeri ab altera parte posset: Non esse temere probandum isthunc morem, qui sine ratione JCtorum scriptis rationem abjudicaret, & principia, si non alibi semper, hic certe loci nec ruinosa, nec occulte substructa. Dici illud, non probari; Titium in triente prædiorum, in quo quidem hæres fuerat institutus, sed qui ei rursus fideicommisso ademptus est, in hunc effectum pro hærede haberi, ut ei jus in illo ex propria persona fundetur, & non tanquam à cohæredibus illum accepisse, sed velut à semetipso, videri possit. Nec enim alia ratione, quam qua jus hæreditarium in eum per hæredis institutionem collatum esset: per fideicommissi onus, quoad solennes juris effectus, ad quartam usque rursus ablatum esse. Quod & in ratione contributionis in quartam, de qua mox erit agendum, ineunda, subtilissimo cuique approbatum, animadvertere obvium est.

l. 1. §. 6. ff. Quod legator. l. 91. ff. ad L. Falc.

l. 18. §. 3. ff. ad SCtum Trebell.

§. 8. I. de Fid. hær. & ib. not.

Bachov. l. c.

Sed enim, sicut hæredi fideicommissario sola voluntate Testatricis, ante aditionem hæreditatis, in hæreditate fideicommissaria,

miſſaria, nullum efficax in tam ſublimes effectus jus, vel ſubnaſci potuit, vel conſtitui. Sic in aditione ipſa, temporis in hunc uſum diſtingui momenta oportere: quin, *ſicut res legata cum apud hæredem remanet, hæreditario jure* in ſimili caſu *manſiſſe intelligitur,* ita per hæredis inſtitutionem prædia relicta, & retenta eſſe, effectu, quem leges alibi ſignant, dici debeant: nondum vidi quibus fundamentis adſtrui, vidi quibus facili negotio everti queat.

l. 76. §. 1. l. 93. ff. ad L. Falc. l. 58. ff. ad SCt. Treb. Faber. 6. Conj. 4. 15.

Unica itaque forte prælegatorum natura & genius rei expediendæ ſufficiet: quorum formulæ utiq; eo pertinent, ut hæres legatum ex hæreditate *præcipuum habere* jubeatur. Sed enim leges, quæ de reſtituendo eo quod hæreditarium eſt, agunt, expreſſis verbis præceptiones & prælegata attingunt, & in noſtra lege *prælegatum* cum *legato* promiſcue uſurpari, aliis animadverſum eſt.

l. 88. in fin. de hær. inſt. §. 3. I. de Fid. hær. Govean. ad h. l. n. 3. & 4. Briſſon. form. l. 7. p. 667. l. 91. ff. ad L. Falc.

In tanto itaque ſententiarum rationumque divortio, cum nuſquam ſatis firmiter liceat pedem figere; nobis, cum bona magnorum Virorum gratia, à quorum decretis, non ſine ratione tamen, recedimus; *Juliano* ſolam & omnino, antiquam *Trebelliani SCti* formam, ejuſque ad *Pegaſianum* differentiam in oculis fuiſſe, integrum exiſtimare fuerit: Cujus talis fuit proviſio; *ut hæres, qui dodrantem vel dodrante minus; id eſt, qui vel hæreditatem, vel portionem hæreditariam, retenta quarta ejus, aut plus quarta parte, rogatus eſſet fideicommiſſario reſtituere, non ultra ratam, adeoq; quartam partem, hæreditariis actionibus obligaretur, aut frui poſſet, quæ pro reliquo dodrante partibusq;, fideicommiſſariis, & in eos competerent.* Eſt autem non aliud, haud dubie, nec alibi momentum, quod hæreditarium à legati jure, i.e. univerſale à particulari ſecernat; quam quod ab hac commodi & incommodi rerum illarum, quæ cujuſque, cum moreretur, fuerant, continentia derivatur.

§. 6. I. de fideic. hæred. & ibi Theophili paraphr. Ulpian. tit. de fideicommiſſ. §. ſi quis. Anton. Auguſtin. de LL. p. 217. 234.

Manifeſta prorſus res, & ad noſtræ legis ſpeciem accommodatu quam facilis, tam pene ſuperflua. An enim alia Titiæ voluntas fuit, cum fratrem ex triente inſtitutum rogaret, *ut hæreditatem, retenta quarta parte, Secundæ & Proculæ reſtitueret;* quam ſi rogaſſet, *ut reſtitueret hæreditariæ partis dodrantem?* Ut adeo ratio deeſſe non amplius poſſit, cur prælegata prædia

Titius consequi jubeatur integra? quorum duo trientes, & dodrans tertii, tanquam in legatarium à cohæredibus essent ei conferendi; uncia vero reliqua quanquam universali & hæreditario jure, tamen propter expressam, & juris auctoritate roboratam testatricis voluntatem, apud eum remaneret.

Sequens locus est de his, *quæ in quartam Falcidiam seu Trebellianicam* (nam nulla est idonea satis ratio, quæ nos his terminis promiscue uti vetet) *imputanda fuerint?* Quem, sicut & quidam ex Digestorum Editoribus, solum sibi Βασιλικῶν compilatores attendendum putaverunt. Quorum institutum, sicut ultra simplicem verborum interpretationem non pertingit: Ita is, qui Glossæ ad istum locum concinnandæ occupatus fuit, valde dubito, an vel mentem suam, vel rem quæ sub manibus erat, satis explicasse cuiquam possit videri: dum isthæc ita decisa esse arbitratur, uti decisa sunt; quod *jure stricto quoad unam illam unciam inutile esset legatum: & propterea fiduciarius hæres illam quartam trientis partem, hæreditario jure habere videretur: quæ exinde in quartam Falcidiam esset imputanda.* Τὸ κατ' ἀκρίβειαν εἶπον, (pergit) ἐπειδὴ ἔγνως βιβ. κή. τίτ. ε. διγ. λέ. φυλάττεσθαι διὰ τοῦ δικαστοῦ τὴν γνώμην τοῦ διαθεμένου ῥητὰ τὰ πράγματα τοῖς κληρονόμοις ἑκάστῳ. VII.

Quanquam enim propter ea, quæ nobis superius dicta sunt, certum sit, *solam prædiorum duodecimam partem Titio velut à seipso legari*: Revertitur tamen legatum illud, alias in se, & *l. 116. §. 1. ff.*
quoad jus particulare inutile, in jus hæreditarium, & formam *de Legat. 1.*
pristinam quam antea jam obtinebat, ideo, quoniam id heredi *conf. l. 17.*
à semetipso quidem, sed ex rebus hæreditariis, per consequen- *§. ult. l. 37.*
tiam tantum, & tacite relictum est; & propterea in ejus præju *§. 11. eod.*
dicium non prorsus debuit annihilari. Sicut in re non multum *l. 34. §. 1. ff.*
dispari ad hanc rationem rescriptum est: *Expressa nocere, non* *de Leg. 2.*
expressa non nocere. Nam si hæredi à seipso vel expresse, vel ex suis *l. 52. ff. de*
rebus legatum sit, adeo id fieri inutile, ut nec in contributio- *Cond. & demonstr.*
nem venire possit: alibi constitutum est. Non autem, *quia ju-* *l. 30. §. 8. ff.*
dex contra strictum jus ultimas hominum voluntates ex officio suo & *ad L. Falc.*
æquitate tueri solet, cum hæredem, qui ex re certa institutus, adeo- *l. 13. C. de*
que Legatarii loco habendus est, universali titulo, & jure, hære- *Hæred. Inst.*
ditatem patitur occupare. Quod vel tunc demum obtinet, *l. 1. §. 4. ff. de Hæred. Inst.*

cum

cum cohæres alius nullus eſt; & exinde voluntas teſtatoris exitum alia via ſortiri non poteſt. Vel ſi quando propter diverſitatem circumſtantiarum inter plures cohæredes illud admittitur, ad actionum hæreditariarum diviſionem & communicationem principaliter ſpectat, & à noſtro loco, ubi nemo vel ex re certa, vel ſecundum jus ſtrictum inutiliter hæres nominatus eſt, diverſiſſimæ conſiderationis haberi debet.

l.35.pr.§.1. & ſeqq. ff. de hær.Inſt.

Hinc itaque rurſus illa potius principia huic diſquiſitioni ſubſternenda erunt, quæ antecedenti capite dictis robur & fundamentum præſtitere. Sicut enim cum de prælegatis ſub fideicommiſſo reſtituendis; ita cum de non reſtituendorum imputatione in quartam ex Pegaſiano SCto detrahendam, agitur, duplex eorum jus attendendum eſt; *univerſale,* quod in hærede, tanquam in hærede, per hæredis inſtitutionem & hæreditatis aditionem fundatum eſt, & remanſit; *Particulare,* quod tanquam in legatarium à cohæredibus ei collatum eſt. Quorum *alterum* non minus quam in Falcidiam alibi, hic quoque Trebellianicæ quartæ imputandum, *alterum* eximendum eſt. Quapropter & ſolum illud, quod propriæ hic deliberationis eſt, & in diſquiſitionem iſthanc tantum perducitur, ſi quacunque ratione non ſit reſtituendum, in quartæ contributionem venit. Qua quidem in ſententia, ſi nihil aliud, illius ad minimum legis eximie nobis favere proviſionem arbitramur, quæ id *extra quartam* conſtituit, *quod in prælegatis à cohæredibus* accipitur. Cur exinde uncia prædiorum, quæ quartæ Falcidiæ immediate in triente Titii ſubjacet, ei imputanda, vel reliquus dodrans eximendus ſit, nemini amplius vel obſcurum eſſe, vel dubium poterit, niſi cui ſupra nobis probata aſſertaque, penitus vel negliguntur, vel diſplicent.

l.22.pr.ff. ad L. Falc. l.47.ff.eod.

l.91.ff. ad L. Falcid. add. l.30.§.7.ff.eod. l.63.§.11.ff.ad SCt. Treb. l. 24. C. Fam Erciſc. Coll. Jur. Arg. L. 35. Tit.2.th.15. Bachov. 2,14,3. Bet.C. Ant.Fab 6. Conj. 4,11. Govean.ad h.l.num 9. Arumæus diſp ad ff. 28, th. 14.

Quid? quod alias hærede Titio unciam illam non imputante, hæreditas reſtituenda, non tantum contra voluntatem Teſtatricis, ſed etiam ultra quantitatem legibus definitam diminueretur; cum certe ad fideicommiſſarios dodrans ejus non eſſet perventurus.

Nec illud mirum cuiquam videri debet, quod iiſdem principiis prælegata reſtituenda diximus, & imputanda: cum de ejus imputatione fruſtra quæratur, quod propterea, quoniam hæredi-

hæreditarium eſt, debet reſtitui. Nam tunc demum, quando alia juris vel circumſtantiarum ratio reſtitutionem etiam illius, quod alias videretur hæreditarium eſſe, impedit, ad imputationis quæſtionem deveniri ultro confitemur, ubi denique jus, quod deſignavimus, certum & in obvio poſitum eſt. *Vid. Gail. 2. Obſ. Pract. 134. 2.*

At cum ad contrariæ ſpeciei caſum, & deciſionem plane diverſam deſcenditur, varie denuo ambigi poteſt; ob quam rationem conſequentiæ Titium totum prædiorum trientem oporteret quartæ imputare; ſi totam hæreditatem reſtituere juſſus, contra Teſtatricis voluntatem, dodrantem tantum in fideicommiſſarios hæredes transferret? Reſtituat certe partis hæreditariæ, & inde prædiorum quoque dodrantem, ut in utroque deinceps fideicommiſſarius, quanquam non hæres ſit, hæredis tamen loco habeatur, & ex ejus perſona jus univerſale hæreditarium æſtimetur. An iſtud efficere Teſtatricis voluntas, vel propitia detrahenti quartam, vel adverſa efficax eſt, ut vel uncia tantum prædiorum, vel totus triens fideicommiſſariis debeat proficere? Voluntas iſthæc ultra quartam non extenditur: Nec ejus hæc vis & effectus eſt, quod, principali noſtræ legis caſu, nihil aliud quartæ, quam uncia rerum prælegatarum imputatur. Sed quod iſthæc uncia ſola hæreditario jure penes Titium remanſit. *Fab. 6. Conj. 4, 10. & 14.*

Finge tamen propter ſententiam Titiæ contrariam, ſicut cætera trientis hæreditarii ad Secundam & Proculam abſceſſiſſent, ita hanc quoque non niſi particulari jure ad Titium eſſe reverſam. aut ex uſitatis hucuſque principiis ne illa quidem: aut ſi præſumatur Teſtatrix voluiſſe, ut Titius prælegatis in vicem quartæ contentus eſſet; non triens duntaxat, ſed quicquid eſt prædiorum prælegatorum, donec impleatur & compenſetur Falcidia, in eam computandum erit. *Gail. 2. Obſ. 135. 3. & ſeq.*

Niſi forte dicas, non debere ad id, ut ab hæreditariis trientis oneribus liberetur, Titio in fideicommiſſo fidem prodeſſe, quam non impleverit: adeoque juſte & velut in pœnam præſumi totum trientem prædiorum hæreditario jure apud Titium ſubſtitiſſe, nec inſtitutioni primæ quicquam, quoad incommoda hæreditaria, fideicommiſſo decedere fas juſque fuiſſe. quod incertioris indaginis, & coloratæ conſequentiæ fore, nemo non videt.

Nec decuerit tamen accurate ſubtilinſque philoſophaturum in eo ſubſiſtere, ut dicat, hæc adeo diverſe non ob aliud obtinere, quam quoniam à JCto ita reſponſum ſit. cum nulli futurum ſit veriſimile, Julianum rationem abſque conſecutione propoſiturum fuiſſe, nedum ut illam exerto veluti digito indicaret.

§.6.I. de fideic.Hæred. Quæ fruſtra forte extra *Pegaſiani SCti* priſtinam conſtitutionem quæritur, *quod*, ad ſimiles noſtro facto ſpecies directum, *in eum, qui contra reſtantis judicium quartam detrahit, hæreditatis ejus omnia commoda æque atq; incommoda; & cum his hæredis non nomen duntaxat, ſed jus & juris effectum transfert.*

l.2. §.6. C. de V. I. E. Sed iſtud utique à Juſtiniano abrogatum eſt, & illa ſui parte, qua ſupereſt, in Trebellianum SCtum transfuſum: An illud vero futurum eſſe, Julianus, cum tam longo ante tempore *Perpetui Edicti Digeſta* componeret, per divinationem forte potuit animo præſumere; ut quod inde demum ab ævo Veſpaſiani Imperatoris, in recenti fori obſervantia uſuque poſitum fuerat, Juſtiniani quandoque ætate, vel ſpongiam paſſurum eſſet, vel in aliam formam aliudque nomen migraturum? Quanquam nec incuria, vel abſque ratione, Pandectarum Conditores in ſpeciem admiſere, quod nec tum in univerſum prorſus occiderat, cum detracto, nihil aliud, quam titulo, ſub generali nomine legis Falcidiæ, priſtini juris auctoritatem in opere ſuo retinuere. Quanquam ſi cum maxime uti nomen, ita tota res deinceps fuiſſet exploſa; illi tamen, qui Julianum, cum hæc commentaretur, ea in hac materia ſcribere vel reſpondere potuiſſe, arbitraretur, quæ conditis Juris Juſtinianei libris reſpondenda ſcribendaque fuiſſent; valde vereor, ut hujus argumenti quicquam aut approbari ſatis, aut explicari denique poſſit.

(Margin notes: §. 5. I. de Fid. Hær. — l.1.§.16,17, 20,21. ff ad SCt. Treb. §.7. & 9. I. de Fid.Hær.)

VIII. Sed nobis quidem accuratioris interpretationis uti ſubſidia, ita propoſitum hucuſque longe fuit, quod in illorum curis requirendum erit, quorum ſolennis ad hoc argumentum induſtria eminuit; Juriſconſultorum celebris eruditionis & nominis: Præter *Gloſſatores, Bartoli ad noſtram L. Alph. ad Bart. Alciat. ad L. 91. ff. ad L. Falc. Duaren. c.8. ad L. Falc. & Diſp. Anniverſ. l.2. c.10. Cujac. In Julian. ad h.l. & Obſ. l.7. c.4. Govean. ad h.l. Ant. Fab. 6. Conj. 4. & 5. Donell. ad l.16. C. de Fideicomm. Ferret. ad h.l.*

Fachin.

Fachin. 5. Contr. 16. Pac. eniant. 6. 50. Gail. obs. Pract. II. 135. Coll. Jur. Arg. l. 35. Tit. 2. th. 15. Treutl. Vol. 2. Disp. 14. th. 3. Bachov. ad h. l. Arum. Disp. ad ff. 18. th. 14. & 15. Nostra enim Academicæ collocutionis institutis, tum temporis & ingenii angustiæ data sunt, & ab aliis eo nomine condonari merentur; quo & nos non laudem, quod ambitionis esset, sed, quod cujusvis & hominis, & honestatis amantis est, atrociora judicia deprecamur.

ΠΑΡΕΡΓΟΝ.

CUm in casu legis nostræ quæreretur ratio, quæ duodecimam prædiorum partem, imputationi Pegasianæ subjiceret: Respondit Goveanus; illam duntaxat partem imputari, sine qua hæreditatis quartam hæres non retineret. Sed quid ille sibi velit tam obscuris verbis, ego plane, *inquit* Anton. Faber, non intelligo. Nam. & non imputata illa parte duodecima, nonne Titius quartam ex illa ipsa hæreditate, quæ restituitur, retinere posset, atque ita plus quam totius hæreditatis quartam haberet? *Procul quidem semper illius affectationis causas & studium habui, quæ magnorum Virorum laboribus, immaturos adolescentiæ profectus, in quibus pro experientia, ætatis & usus filia, nihil præter modestiam & excelsorum nominum venerationem memorandum esse oportuerat, nihil pensi moderatiq; habet velut exadversum obtrudere: Attamen* Goveanus, *dum legibus congruenter loquitur, vix poterit obscuritatis ullius vel accusari, vel cuiquam suspectus fieri. Non enim, sicut* Falcidia Lex, *ita* Pegasianum *quoq;* SCtum *hæreditatem vetuit ultra dodrantem Legatis exhaurire, sed si esset exhausta, hæredi quartam, non vero plus quarta retinere permisit. Ad quod verba sua* Goveano *fuisse accommodanda, & interpretanda aliis, mihi videor non sine ratione arbitrari. At enim* non est absurdum, plus quam quartam hæredem retinere, cum & imputata illa duodecima, præcipuum & supra quartam habeat quadrantem, qui in prædiis prælegatis hæreditario jure capitur, quique nec restituitur, nec imputatur. *Sed aut falsissime nos aliiq; rationes nostras subduximus, aut hæres illum quadrantem non habet universa iure, quod solum hic vel imputationem fundare, vel in universum debuit attendi.*



DISSERTATIO V.
DE
VEXILLO IMPERIALI.

CAPUT I.

Vexilli Imperialis nomina in formulis solennibus: Gundfanon: Fano Imperatoris: Regis Bannerium: Bareocium: Baverium: Standait: Saxonis Grammatici lectio defensa: Bandum: Explicatus Stephani locus.

Resp. Christoph. Josepho von Loh, Argent. 13. Novemb. 1673.

VExillum Imperiale ex quo tempore bellis ac expeditionibus publicis Imperii Romano-Germanici solenni quodam atque præcipuo auspicio præfulsit, in constitutionum quoque communium, in diplomatum & privilegiorum, cæterorumque publicorum negociorum & actuum formulis, elogio singulari atque eximio signari discernique consuevit. In quibus non sine peculiari charactere Styli curialis & practici nominari subinde videas *deß Römischen Reichs Sturm-Fahne, deß H. Römischen Reichs Renn-Fahne, deß Reichs Paner, deß H. Römischen Reichs Obrist Feldpanier.*

Suntque appellationes istæ non hodie demum aut heri excogitatæ: quarum in vetustissimis gentis nostræ monumentis vestigia supersunt. Nam & ante octingentos jam circiter annos *Otfridus Monachus Wissenburgensis* primarium crucis vexillum nominaturus, *Gundfanon* expressit; (*Evang. lib. 5. c. 2.*)

> *Drag thu giloubi thu mir*
> *Then Gundfanon anan thir.*

(*Comm. Lothar. c. 2. p. 10.*) Et in diplomate suo, quod ex tabulis Gorziensibus producit *Chiffletius*, ipse Imperator Otto II. *Fanonem Imperatoris* interpretatur *Imperiale vexillum.* Unde idonei se tueri exempli authoritate potuit *Leo Marsicanus*, qui in *Chronico Casinensi* totum (*Lib. 3. c. 72.*)

aureum

aureum *Imperialem fanonem* nominavit. Quam usurpationem à significatu simpliciori, quo varium lintei genus veteribus Germanis *fano* notabat, defluxisse argumento sunt loca, quæ *in Glossario Codici Legum Antiquarum* subnexo, copiosa eruditaque annotatione *Lindenbrogius* collegit. In quibus *Signa sine fanone* hoc sensu exaudienda sunt, quo in vetustis inscriptionibus *hastæ puræ sine vexillis*, & apud *Florum signa auro sericeisq; vexillis vibrantia* leguntur. *voc. fano.* *Inscr. Grut. p. 414. insc. 8. III, 11, 8.*

Baneriæ quoque & *Bannerij* in monumentis probatæ antiquitatis mentio occurrit. *Anonymus de vita Ludovici: Illa die faciebat antegardam Gaufridus de Rancone unus ex nobilioribus baronibus provinciæ Pictaviensis qui gerebat Regis BANERIAM.* Et addita interpretatione *Albertus Argentinensis* de Carolo IV. Rege tum Romanorum: *Rex BANNERIUM suum, quod dicitur* Sturmfahn, *super turrim Ecclesiæ Spirensis constituit: Et egressus civitatem cum sua gente armatus populo eum sequente cum BANNERIO ante castrum dictum Nova Curia, ipsum funditus destruxit.* Idem qui & mox *Helvetios sub BANNERIO Basiliensi constitutum iniisse memorat.* *ed. Pith. p. 144.* *A.C.M. CCC.XLIX.* *A.C.M. CCC. LI.*

Bareocium autem & *Baverium* quæ in *Epistola Burchardi Notarij de Excidio Mediolanensi* ex discrepante Codicum lectione *Freherus* exhibet, genuina non sunt; sed alterum ex *Carocio*, alterum ex *Bannerio* corruptum. De *Banerio*, quæ dicta modo sunt, fidem faciunt: *Carocium* autem dictum fuisse Mediolanensium vexillum quod Friderico I. deditum est, præterquam quod aliunde satis constat, *Abbas Urspergensis* in ejusdem excidii descriptione autor est: *Egressi igitur seorsim nobiles & seorsim populares processerunt usq; ad Laudam: Plebei vero vexillum Sancti Ambrosii super carociam suam advexerunt.* Quæ ad *Burchardi* narrationem optime congruunt. Nam & is *à populo Carocium advectum* scribit: *& in ejus summitate supereminuisse crucis effigiem, in cujus anteriore parte Beatus Ambrosius fuerit depictus.* *Script. Germ. tom. 1. p. 237.* *Chrō A.C. 1162. p. 222.*

Atque hoc Mediolanensium *carocium* Germanis *Standait* vocatum idem *Burchardus* asserit. Quod autoritatem haud mediocrem conciliat vulgatæ *Saxonis Grammatici* lectioni, Scriptoris Burchardo huic tantum non coævi: apud quem inter cætera Rugiensium signa memoratur *Stanitia magnitudine ac colore insignis*: nomine à *Standaitia* Germanorum, uti tum superciat *Lib. 14. Hist Dan. p. 322.*

erat adhuc multarum vocum Germanicarum cum ſermone Septentrionalium populorum conſenſus, non multum abhorrente: cujus loco *Suantoviti* ſubſtituendum, emendatione & conjectura ſubtili equidem eruditaque, ſed paulo violentiore Viri doctiſſimi *Henricus Ernſtius* & *Stephanus Johannes Stephanius* opinabantur. Sed & *Standalium* & *Standardum* Franco-Gallis uſurpari videas. *Rigord. de Geſt. Philipp. Rex Philippus deſuper corpora ſanctorum duo ſtandalia decenter inſignita propriis manibus accepit*, *Brito Armorican. Philippid.*

not. ad Sax. d. loc. ed. Pith. p. 186. Lib. XI. init.

Mox Otho Imperij declarans ſigna volenſq;
Jam quaſi promeriti rem prælibare trophæi
Standardum ædificat.

Bannerio, ut eò revertamur, illud quoque vetuſtatis authoritatem conciliat, quod *Banda* & *Panda* Romanis vexilla τὰ ἐν ταῖς τάξεσιν ἐπίσημα, ut *Author Etymologici Magni* loquitur, ante complura ſecula nominari conſueviſſe, *Procopius in Gothicis* & exinde *Suidas, Paulus Diaconus in Heraclio, Warnefridus in Longobardicis, Scriptores rei militaris* Græci Latinique paſſim teſtantur. *Stephanus Byzantinus* coævus *Procopio* Scriptor βάνδον à Caribus ad Romanos deductum, utrobique victoriam ſignificaſſe pronuntiat. Ἄλα μὲν τὸν ἵππον (inquit de Caribus) βάνδα δὲ τὴν νίκην καλοῦσιν. ἔνθεν καὶ παρὰ Ῥωμαίοις βάνδον τὴν νίκην φασίν. *Ala equum, banda victoriam illis deſignat, unde & apud Romanos bandum victoriam dicunt.* At vero *interpretationem illam unde accepit?* interrogat *Meurſius*. Nec ego certo affirmaverim: conjicio tamen, Byzantinis Labarum ab elogio crucis, quod in cœlo Conſtantinus viderat, ἐν τούτῳ νίκα *in hoc ſigno victor eris*: νίκην id eſt *victoriam* appellatum, cauſam *Stephano* præbuiſſe, ut apud Romanos quoque Labarum à victoria *bandi*, ipſamque adeo victoriam à βάνδα Carum *bandæ* nomen tuliſſe ſuſpicaretur. Firmat hanc conjecturam crux ænea, quam ad imitationem crucis in cœlo viſæ effictam & in Artopolio Conſtantinopoli ſtatutam ab inſcriptione νικᾷ Conſtantinum Magnum νίκος ſive νίκην, Heraclium ἀνίκητον vocaſſe *Nicephorus Calliſtus* memorat: Eodem haud dubie ſenſu, quo & vexillum crucis *Euſebius* ſubinde σταυροῦ τρόπαιον & τὸ σωτήριον τρόπαιον atque ad hanc rem alicubi

voc. σημαῖα. Lib. IV. & de Bello Vandalico Lib. II.

περὶ πόλ. v. Ἀλάβανδα.

Gloſſ. Gr. Barb. voc. βάνδ.

Hiſt. Eccleſ. VIII, 32.

alicubi propius *τὸ νικηλικὸν τρόπαιον* nominat: pro quo *vexilla victricia* apud *Ambrosium*, & in Constitutione *Justiniani* Imp. *signa victricia* leguntur. *Ep. 29.* *L. ult. C. Locat.*

CAPUT II.

Aquilæ, signa, vexilla distincta ex mente Veterum. Vexillum, velum: non à velo dictum: Vexilla centuriarum: Sociorum: Tironum: Calonum: Veteranorum: Prætorianarum cohortium: Aquila primum signorum in Legione Romana: Sub Imperatoribus tamen vexilla prævaluere, Imagine Principum nominibusq; insignia: Labarum, ab effigie Imperatoris laureata, nomen; à Constantino Magno novam formam novumq; auspicium accepit. Σωμείων Suidæ contra Gretseri emendationem defensum.

VExilla à *signis* non distinguit recentior militia: neque in expeditionibus Imperii usuque militari *Aquila Imperialis* aliter quam in vexillis exhiberi solet. Indeque & in publicis monumentis *deß H. R. Reichs Paner, deß H. R. Reichs Fahne* & *deß H. R. Reichs Adler* promiscue nominantur. Apud Veteres ista, si non semper verbis, quod *Lazius* asserit, forma tamen & usu discernebantur. Diserte *Tacitus*: *Medium inter signa Othonem milites vexillis circumdant.* *Suetonius* de Nerone: *Curuli residens apud Rostra triumphantis habitu inter signa militaria atq; vexilla.* Nec aquilam signis annumerant, qui proprie loquuntur. *Tacitus* iterum: *Legioni VII. abrepta quædam signa; ipsam Aquilam Atilius Verus servaverat.* & de Artabano *Suetonius*: *Transgressus Euphratem, aquilas & signa Romana, Cæsarumq; imagines adoravit.* Sed de Aquilarum quidem signorumque forma post *Lipsium* agere nihil attinet: Qui *vexilla* etiam graphice describit: *vela, quadra, expansa ad hastam; qualia fere sunt vexilla templorum, quæ in lustratione & processibus anteferuntur.* Extantque tales vexillorum figuræ passim expressæ è nummis & lapidibus.

de Republ. Rom. VII. 1. *1. H. 36. 1.* *Ner. c. 13.* *3. H. 22. 5.* *Calig. c. 14.* *de Mil. Rom. IV, 5.*

Non tamen hinc aſſentiendum Grammaticis fuerit, qui *vexillum à velo* tractum, contendunt. Ab uſu quidem, quem *vehendis* navibus præſtabant, translata ad exercitus *vexilla* conſtat: ſed quæ nunc *vela* navium dicuntur, ea veteres *vexilla* nominabant: poſtea demum, *fuga literæ vaſtioris conſuetudo elegans Latini ſermonis velum admiſit*: quod exemplis vocabulorum ſimilium *Cicero* confirmat.

Orator. ad Brut. c.45.

Sicut autem in exercitu Romano Aquila Legiones, ſigna cohortes diſtinguebant: ita vexillis in Legione & cohorte, manipulis & centuriis diſcernendis, extra Legionem vero, promiſcuus uſus fuit. In Legione itaque, aquila una; ſigna pro cohortium; vexilla pro manipulorum & centuriarum numero plura fuere. *Tacitus* de militibus ſeditioſis tres Legiones miſcere in unam agitantibus: *depulſi æmulatione, qua ſuæ quiſq; Legioni eum honorem quærebant, alio vertunt, atq; una tres aquilas & ſigna cohortium locant. Idem* mox de manipulis earundem Legionum: *Interea Manipuli ante cœptam ſeditionem Nauportum miſſi, poſtquam turbatum in caſtris accepere, vexilla convellunt.* Plenius rem totam *Vegetius* expedit: *Primum ſignum totius legionis eſt Aquila, quam Aquilifer portat: Dracones etiam per ſingulas cohortes à Draconariis feruntur ad prælium. Sed antiqui, quia ſciebant in acie commiſſo bello celeriter ordines acieſq; turbari, atq; confundi; ne hoc poſſet accidere, cohortes in centurias diviſerunt, & ſingulis centuriis ſingula vexilla conſtituerunt, ita ut ex qua cohorte, vel quota eſſent centuria, in illo vexillo literis eſſet aſſcriptum.* Ipſa res docet, *Vegetium* non de manipulis *mediæ ætatis*, ut *Stewechio* viſum, ſed de antiquiſſimis loqui: quos ex inſtituto Romuli militibus centum conſtitiſſe *Lipſius* docet: quoſque proceſſu temporis ſubinde auctos & in novos ordines novasque partes diſtributos ad noviſſima uſque tempora dirigi vexillis conſueviſſe, præter infinita aliorum teſtimonia, *Conſtantinus Porphyrogeneta in Tacticis, Mauritius in Strategico* paſſim confirmant.

I.A.18.2. — *I.A.20.1.* — *de Re Mil. II,13.* — *ad Veget. II,13.* — *de Mil. Rom. l b.2. dial. 2i. Polyb. lib. VI. Liv. VIII, 8.*

Sed horum quidem ævo communia jam erant Legioni & cohortibus vexilla, quæ prius in Legione centuriis manipuliſque fuerant propria. Neque enim ſubſcribere doctiſſimo *Schelio* poſſum: qui *vexillum centuriæ & cohortis ſignum*: peculiariter tamen cohortis fuiſſe tradit: cum vexilla conſtet diſcernendis

in Hygin. p.36.

nendis

nendis cohortibus non nisi extra ordinem adhibita. Testis locupletissimus iterum *Tacitus*: apud quem *adsistentem concionem* Germanicus *discedere in manipulos jubet, sic melius audituros responsum; vexilla præferri, ut id saltem discerneret cohortes.* 1. A. 34, 8.

Extra Legionem *vexilla sociûm* passim videas memorari. *Livio* præsertim: quem omnino fatendum est generaliter loqui, quoties auxiliaribus cohortibus attribuit *signa*: Legionario militi propria: ut præter alia argumento est notabilis & veluti perpetua distinctio, qua *subsignanum militem* ab *auxiliis* separant scriptores. *Tacitus* de Vocula: *id solum, ut in tumultu, monuit, subsignano milite media firmare; auxilia passim circumfusa sunt.* 4. H. 33, 2. Idem qui ἐπεξηγήσει memorabili *subsignanum militem & grave legionum agmen* alibi conjungit: postquam ab utroque, *Gallorum, Lusitanorum, Britannorumq; cohortes, vexilla Germanorum, alam Petrinam* discrevisset. 1. H. 70. 4. *Germanicorum* inde *vexillationem* dixit *Suetonius*: Galb. c.20. duravitque hoc discrimen, quoad aliquid speciei honorisque Legioni Romanæ ex veteri militia superfuit, ut *equites Legionarij*, quique in *vexillationibus* militabant, separatim nominarentur. Ut indistincte accipiendum non sit, quod apud Cedrenum βηξιλλατίωνες, οἱ Ῥωμαίων ἱππεῖς explicatæ leguntur. vid. *Veget. de Re mil. lib.2. c.1. l. ult. C. de his qui non implet. stip. Not. Imper. Orient. c.31. & seqq. Occident. cap.26. & seqq. Add. Lips. de Mil. Rom. lib.4. dial.5. Stewech. ad Veget. d. l. Scheffer. ad Maurit. Strateg. lib.2. c.5.*

Et invaluerat prorsus in regulam solennem, Romanæ militiæ observantia, ut non nisi qui pleno sacramento corpori Legionis inserti essent, sub signis; cæteri, quos vel conditio vel privilegium, justæ militiæ muniis exemisset, sub vexillis ducerentur. Quemadmodum apud *Livium* sæpius supplementa exercitibus sub vexillo missa legimus: & *vexillum tironum* ex hoc genere *in Suriam euntium interceptum à Pisone* memorat *Tacitus*. 2. A. 78, 3. Accipitque hinc lucem *Suetonij* illud de Augusto: *Libertino milite bis usus est: semel ad præsidium Coloniarum Illyricum contingentium, iterum ad tutelam ripæ Rheni fluminis: eosq; servos adhuc viris fœminisq; pecuniosioribus indictos, ac sine mora manumissos, sub priore vexillo habuit, neq; aut commistos cum ingenuis aut eodem modo armatos.* Aug. c.25. Sub *primore vexillo* legi mallet *Casaubonus*: Sed instituto

Augusti haud dubie convenientius fuerit, si quos indignos judicaverat, ut cum ingenuis commiscerentur aut eodem modo armarentur, neque Legionibus insertos; neque sub signa distributos, sed sub eodem vexillo retentos existimemus, sub quo primum fuerant adlecti. Ut quos vilitas status à signis segregaverat, certa militaris disciplinæ ordinisque cautio vexillis regendos addixisse censeatur.

Ex qua vilissimæ quoque & confusæ alias *calonum* turbæ *data vexilla* constat: ipsaque impedimenta etiam *sub quibusdam* *de Re Mil. III, 6.* *signis ordinata.* ut *Vegetio* notatum.

Sicut autem hos ab Aquilis signisque contemptus removerat, ita veteranum militem ad vexilla diuturnæ militiæ meritum redigebat. Sub quibus, dimissi jam exauctoratique & à Legionibus suis plerumque divisi, interim retinebantur, donec agri & justa emeritorum stipendiorum prœmia iis persolverentur. Unde nata seditiosis militibus querendi exprobrandique occasio: *Tac. 1. A. 17,3.6. & 1. A. 26, 1.* *ne dimissis quidem finem esse militiæ, sed apud vexillum retentos, alio vocabulo, eosdem labores perferre.* Neque tamen ultra his querelis profectum, quam ut nomine Principis rescriberetur: *1, A. 36, 4.* *missionem dari vicena stipendia meritis, exauctorari, qui sena dena fecissent, ac retineri sub vexillo; cæterorum immunes, nisi propulsandi hostis.* Estque de his inter eruditos quæsitum; an ad illos pertineret, quæ toties in veterum scriptis *vexillariorum* mentio occurrit? de qua re virorum doctissimorum *Turnebi, Lipsii, Salmasii, Schelij* nota, neque in hunc locum prolixius repetenda disputatio est.

Cæterum immunitatem à reliquis militiæ laboribus veterano militi concessam Prætorianis quoque cohortibus vindicat *Festus*: *voc. Prætor. cohor.* quibus itidem *vexillum* tribuit *Tacitus*. *3. H. 21, 4.* Et fuit fortasse Prætorianum vexillum, quale *Dioni* describitur: *Lib. 40.* Σημεῖον τι τῶν μεγάλων τοῖς ἱστίοις ἐοικότων, καὶ φοινικᾶ γράμματα ἐπ' αὐτοῖς πρὸς δήλωσιν τοῦ τε στρατοῦ καὶ τοῦ στρατηγοῦ σφῶν τοῦ αὐτοκράτορος ἐχόντων. *Vexillum quoddam ex illis magnis, quæ puniceis literis noscendum exercitum summumq; ejus Imperatorem exhibebant.* Noscebatur autem in Prætoriano vexillo non nomine tantum Imperator sed effigie: qualis apud *Tacitum* Galbæ imago fuit, quam *1, H. 41, 1.* *vexillarius comitantis Imperatorem cohortis dereptam solo afflixit.*

Unde

Unde & crevisse paulatim vexillis imagine Principum insignibus venerationem existimo, ut in Legione, alterum ab Aquila, indeque in universo exercitu primarium auspicio & religione locum occuparent. Nam cum abdicatâ *Romuli perticá*, inter alia signa militaria, aquila quoque, à Persis haud dubie ad Romanos translata, ordines anteiret, *C. Marius eam in secundo consulatu suo legionibus propriam dicavit*: mansitque hinc, etiam sub Imperatoribus, *Aquila primum Imperij Legionumq; signum, à quo victoriæ omen caperetur, quoties in hostem esset movendum.* Imagines tamen Principum unâ adorabantur: Fuitque adeo usitatæ venerationis formula, ad quam illectum Artabanum Parthorum Regem *Suetonius* tradit: *ut Aquilas & signa Romana Cæsarumq; imagines adoraret.*

Plut. in vit. Rom. *Plin. Histor. Nat. X, 4.* *Joseph. de Bell. Jud. l. 3.* *Veget. de Re Mil. II, 6.* *Calig. c. 14. add. Vitell. c. 2.*

In qua licet verbis ac specie primus Aquilis honor tribuatur, haud dubie tamen interior atque sublimior cultus militaris publicæque venerationis character ad imagines Principum pertinuit; quas *tanquam divina & præsentia signa* Romanus exercitus *venerabatur*. Ex quo præsertim in morem vertit, ut imposita vexillis vel inde detracta Imperatoris effigies nomenque pro delati abrogative Imperii pignore haberetur: quod exempla *Herodiano* aliisque relata testantur: quæ satis copiosum hujus observationis argumentum exhibent. unde cum *Salmasio* talia vexilla inter *insignia Principatus* σύμβολα τῆς βασιλείας jure optimo queas referre. Suffragante inprimis apparatus Imperatorii splendore, quo ipsa quidem vexilla *purpurea, auro argentoq; rigentia*, imagines vero Principum στεφάνοις καὶ δάφναις κεκοσμημέναι *coronis & lauro exornatæ* describuntur. ὅπερ ἦν σύμβολον εἰς τὸ διαγνῶναι τὰς βασιλικὰς εἰκόνας ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν. *Quod erat insigne, quo effigies Principum à privatorum imaginibus dignoscebantur.* ut immutata nonnihil *Herodiani* verba huc transferam.

Veget. de Re Mil. II, 6. *II, 6. & VIII, 1.* *in Lamprid. Sever. p. 210. ed. Paris.* *Herod. VIII, 6.* *VII, 6.*

Neque difficulter hinc moveor, ut existimem, etiam antequam à Constantino Magno vexilli Imperialis eminentia ad salutare crucis trophæum esset translata, vexillum præ cæteris magnitudine, splendore, & communi totius exercitus cultu reverentiaque eximium laureata Romani Principis effigie præfulsisse: & (si licet, in re contrariis magnorum virorum sententiis intricata, conjecturam ulterius producere) nominis quoque

originem hinc fluxiſſe; ut à regnatrice & venerabili lauro, *Lavarum* primo Romanis, & inde familiari literarum permutatione flexuque *Labarum* diceretur. Quorum *alteri* non lucem duntaxat ſed robur conciliat, quod paſſim Conſtantinus Magnus nihil aliud quam transformaſſe præcipuum Romanorum vexillum in ſignum crucis memoratur; τὸ ἐπισημότατον σύμβολον

H.E. lib. 1, c. 4.

τῆς ῥωμαίων ἀρχῆς εἰς χριστοῦ σημεῖον μεταβαλεῖν. ut *Sozomenus* loquitur. Apud quem præceſſerat: ἐκέλευσεν εἰς σταυροῦ σύμβολον μετασκευάσαι τὸ παρὰ ῥωμαίοις καλούμενον λάβωρον. σημεῖον δὲ τοῦτο πολεμικὸν τῶν ἄλλων τιμιώτερον, καθότι ἀεὶ τοῦ βασιλέως ἡγεῖσθαι καὶ προσκυνεῖσθαι νενόμιστο παρὰ τῶν στρατιωτῶν. *Juſſit in ſymbolum crucis mutare, id quod Romani Laborum vocabant: militare autem ſignum hoc erat præ cæteris honoratius: quippe quod & præcedere ſemper Imperatorem, & à militibus adorari conſueverat.* Sequitur de Juliano Apo-

Lib. 5. c. 17.

ſtata alibi: μεταποιεῖν ἔγνωκεν εἰς τὸ πρότερον σχῆμα, τὸ κορυφαῖον τῶν ῥωμαϊκῶν συνθημάτων, ὅπερ ὁ Κωνσταντῖνος κατὰ θεῖον πρόσταγμα εἰς σταυροῦ σύμβολον μετετύπωσεν. Ubi & in quibuſvis aliis monumentis ſtatuiſque publicis imagini Imperatoris præter Martem & Mercurium, Jovem additum, οἷά γε ἐκ τοῦ οὐρανοῦ προφαινόμενον, καὶ στέφανον καὶ ἁλουργίδα τὰ σύμβολα τῆς βασιλείας παρέχοντα: *Tanquam apparentem de cœlo, atq; Imperatori inſignia Imperij coronam & purpuram porrigentem,* Hiſtoricus recenſet. *Alterum* ſi cui nimis longe petitum videatur; ſolabitur nos *tum* exemplum

Orat. in Julian. I.
Lipſ. not. ad Lib. 3. de Cruc. c. 15.

Inſignis Theologi *Gregorij Nazianzeni*, cujus τὸ λυτήριον καμάτων (ſolutio Laborum) non minus, quam aliorum excogitatæ longo ſtudio conjecturæ, à viris eruditis ut nimis *longinquum* pridem exploſum eſt: *tum* quod ratio tamen & indicium ſupereſt, derivationem noſtram neque vocabuli genio, neque uſui tempo-

ad Veget. III, 17.
Anim. in Euſeb. p. 112 ed. noviſſ.
L. un. C. Publ. lat. vel conſ. nunt. vel inſin.
Lib. 56. tit. 17. c. 65.

rum illorum, neque Romani Byzantinique populi conſuetudini refragari. Nam & in vetuſtis monumentis pro *Labaro Lavarum* poſitum reperiri *Stewechius* annotavit; ne de permutatione iſtarum literarum *Scaligero* conſignata exſcribam: & imagines Imperatorias, quæ ſolenni pompa cærimoniaque inter publicæ lætitiæ feſtivitates ſubinde *populis inhiantibus inferebantur*, promiſcue λαβεράτα & λαυράτα Græco-Romanis dicta fuiſſe, multa nominum Scriptorumque congerie, ſi id nunc ageremus, poſſet demonſtrari. Præter *Eclogas Baſilicῶν*, luculentum

maxime

maxime teſtimonium ex *Optato, Meurſius*; & iiſdem verbis ex *Actis Synodi Nicænæ II. Cujacius* exhibent: *Laurata & iconas miſſas ad civitates vel regiones obvij adeunt populi, non cera perfuſam tabulam, ſed Imperatorem honorantes.* Quæ non penitus à *Labaro* noſtro abhorrere, argumento eſt, quod indidem *Cujacius* deſcripſit: *Sic Regum Laurata Græcorum vulgus apud Conſtantinopolim vocat Imperiale ſignum.* Nomen autem *Lauratorum*, non ab eo, quod arte ac *labore* ſummo effigiata eſſent, ut poſt *Gloſſatorem Nomicum Lindenbrogio Reliq. Obſervat. in Amm. Marcell. ad p.113.* viſum eſt, neque *à labris* oſculantium, quæ *Jul. Cæſaris Bulengeri* conjectura fuit, ſed à *Lauro* defluxiſſe omnino verior *Meurſii* ſententia eſt.

Gloſſar. Gr. Barb. voc. λαυρᾶτον *ad Lib. 12. Cod. tit. ult.*

de Imp. Rō. lib. 2. c. 12.

dict. loc.

Cætera, quæ de Labaro copioſe à multis & diligenter ſunt annotata, in hunc locum colligere neque animus fert, neque hujus ſcripturæ inſtitutum permittit. Illud tamen in hoc tranſcurſu vel duobus verbis, nec ſine veneratione Divinorum operum miraculorumque fuerit profitendum: Ab eo demum tempore, quo divinitus ſibi præmonſtratum cœleſtis militiæ ſymbolum in Labaro Conſtantinus M. expreſſit, *Vexillum Imperiale*, ut certa jam communis auſpicii in exercitu Romano præcellentia notari conſueverat, ita genuinam ſanctioris prærogativæ notam æſtimationemque meruiſſe. Formam ejus ex ipſius Imperatoris deſcriptione accurate præ cæteris *Euſebius de vit. Conſtant. I,30.* & complures nummi exprimunt, quos *Cardinalis Baronius in Annalibus, Gretſerus de Cruce Chriſti tom.1. lib.2. cap.32. & ſeqq. & tom.3. lib.1. cap.4. & ſeqq. Lipſius de cruce lib.3. c.15. Henricus Spelmannus in Aſpilogia*, & ex incomparabili cimeliarchio Amicus noſter *Carolus Patinus*, publicaverunt. Eſtque inprimis plena profundæ pietatis meditatio, qua Theologi Chriſtiani apud *Sozomenum* tam ſanctæ imaginis interpretationem ad naſcentis, patientis, reſurgentis Servatoris noſtri, de inferno triumphum producunt. Et, ſi licet ad reliqua reſpicere: cum præſentiſſimæ jam divinitatis vigore

A.C. 325. & ſeqq.

Impp. Rom. Numiſm. ſub nummis Conſtantij.

H. E. lib. 1. c.3.

Prudent. contr. Sym. I,487.

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signaret Labarum

Quo

Quo non aſcenſura ſperaretur *virtus militum, fides exercituum, Gloria Romanorum?* quid auctoramento ſanctius, quod robur Legionum, fiduciam cohortium, domino exercituum conſecraverat? quid auſpicatius militia, quæ in Imperatore & ſupra Imperatorem, divinæ gratiæ ſymbolum, teſſeram ſalutis, æternæ beatitudinis iauream venerabatur: quid auguſtius vexillo, quod cum Principis Sacrati majeſtate præſidium divinitatis, & familiarius quoddam interiuſque DEI promulgabat commercium? quid glorioſius victoria, qua per Imperatorem Chriſtus, Imperator per Chriſtum, cum Chriſto, in Chriſto, DEI & divinitatis hoſtes terrebat, vincebat, profligabat? Ipſe certe haud ſegniter hanc Imperii ſui temporumque felicitatem Princeps triumphator agnovit: qui deinceps, *Euſebio* teſte, τούτῳ τῷ σωτηρίῳ σημείῳ, πάσης ἀντικειμένης, καὶ πολεμίας δυνάμεως ἀμυντηρίῳ διεπαντὸς ἐχρῆτο. τοῦ δὲ στρατοπέδων ἁπάντων ἡγεῖσθαι τούτου ὁμοιώματα, προσέταττεν. *hoc ſalutari ſigno, tanquam munimento, adverſus oppoſitas quorumvis hoſtium copias ſemper eſt uſus; aliaq; ad ejus ſimilitudinem expreſſa ſigna cunctis exercitibus præferri juſſit.*

(de vit. Conſtan. lib. I. c. 31.)

Ad quæ ὁμοιώματα τοῦ λαβάρου commodius quam ad Labarum ipſum referri poſſe σαυείων arbitror: εἶδος σημαίας ἢ φλαμούλου. *vexilli aut flamulæ ſpeciem*: ut *Suidas* interpretatur. Id, cum ignorare ſe, quid eſſet, ingenue *Lipſius de Mil. Rom. IV, 5.* fuiſſet profeſſus: *Gretſerus* σταυρίων potius legendum conjecit: quod tamen uſitata *Suidæ* vocabulorum collocatio non admittit: præcedit enim σαυλοπρωκτιᾶν, ſequitur σαῦρος: inter quæ, niſi omnia me fallunt, σταυρίων locum accipere non poteſt. Retinendum itaque σαυείων: quo Græci ſtudio lenioris elegantioriſque pronuntiationis uti maluerunt. quibus ex eadem ratione σαυρωτὴρ cuſpis in ima parte haſtæ præfixa, atque à Græcis ad Romanos translata ὡς σταυρωτήρ τις ὤν· παρὰ τὸ σταυροῦσθαι dictus eſt: ut *Etymologici Sylburgiani Scriptor* obſervavit.

(voc. σαυείων. ad Codin. de offic. Conſt. lib. 3. c. 1. n. 19. Adde Scheffer. ad Maur. Strateg. lib. 3. cap. 1. Polyb. lib. VI. voc. σαυρωτήρ.)

CAPUT

Caput III.

Imperatorum Constantinopolitanorum διβέλιον. Auriflamma Regum Francicorum: Henrici Aucupis & Ottonis Magni Angelus: Friderici I. Aquila: Standardus Ottonis IV. Vexillum Imperiale majus sive pedestre: minus sive equestre: horum insigne Aquila nigra in campo aureo: Vexillum Imperiale rubrum: vexillum St. Georgii: de vexillo Argentoratensi digressio.

QUæ à tam illustri principio deinceps fata exceperint Labarum, alii curiosius inquisiverunt.

In Oriente novissimis temporibus, jam ad interitum vergente Græcorum Principatu, vexillum inter cætera primarium, διβέλλιον nominatum ex *Codino* discimus. *Divum velum* id *Hadrianus Junius*; Sed rectius, meo quidem judicio, *duplex velum* sive *divelium Meursius* (*Gloss. Gr. Barb. voc.* διβελ.) & post eum *Gretserus* reddidere. Formam ejus & insignia, nemo, quod sciam, expressit. qua autem dignatione habitum fuerit, passim *Codinus* indicat: cujus testimonio constat: *illud Imperatori, quocunq; se conferret, bello paceq; præferri consuevisse: & cum Imperatoria flamula reliqua essent gemina semper eadem figurâ insignita, hoc unum & singulare mansisse.* *vers. Curopalat. pass. vers. Codin. pass. de Off. Constant. c. 6. n. 63. c. 6. n. 62.*

In occidente, ex quo summa rerum ad Francos fuerat delata, non desunt, qui vexilli Imperialis honorem *vexillo Dionysiano* sive *Auriflammæ* vindicent: qua non Reges tantum Francorum sed & Imperatores inde à Carolo M. usos aliqui contendunt: quod ego tanquam incompertum, nec facile ex coævis monumentis demonstrandum, in medio relinquo. Post *Rigordum de Gest. Philipp.* & *Britonem Armoricanum* aliosque rerum Francicarum Scriptores proprios, qui non sine veneratione singulari & insigni elogio solent *Auriflammæ* meminisse, erudite inprimis illam à vexillo Regio distinxit *Chifletius Lum. Salic. ad vind. Hispan. lum. 4. fac. 2. & 3.* Cætera vero quæ huc pertinent, *ap. Pith. p. 186. Philippid. lib. XI.*

 dili-

diligenter admodum copioſeque collegit *Limnæus Lib.6. de I.P. c.6.n.114. & in Addit. tom.1. cap.14. n.33.* Add. *Notit. Regn. Franc. lib.1. cap.11.*

Vulgò Imperatoria ſucceſſorum Caroli Magni vexilla *Aquilâ nigra in campo aureo* inſigniri deſcribique videas: quod indiſtinctè admitti non poteſt: cum *Henrici Aucupis, Imperatoris, ſignum maximum vocabulo effigieq; Angeli inſignitum fuiſſe, Witichindus* teſtetur: & ex *eodem* conſtet, Patris inſignia filium quoque *Ottonem* I. in primario vexillo retinuiſſe. *In quinta Legione,* inquit ille, *quæ erat maxima, quæ & dicebatur regia, ipſe Princeps vallatus lectis ex multis militum millibus, alacriq; juventute, coramq; eo Angelus, penes quem victoria, denſo agmine circumſeptus.* Quæ verba Michaëlem Archangelum τὸν ἀρχιστρατηγὸν, uti Græcis dicitur, haud obſcure deſignant: Ut adeo characterem hunc Angeli Ottoniani, *penes quem victoria,* cum ex *Witichindo* cætera deſcriberet *Abbas Urſpergenſis,* non debuerit negligere.

Annal. Lib.1. p.13. edit. Meib. Lib.3. p.29.

Chron. A.C. 955.

Antiquam tamen & ante complura ſecula in Germanorum Imperatorum vexillis uſurpatam Romanam Aquilam, nemo inficias iverit. Friderici certe I. vexillum nuſpiam reperias aliter ſignari. *Radevicus* in deſcribendo exercitu, quo Mediolanum obſedit Fridericus, *circum Aquilam,* ait, *& ſigna alia, tubicines & cornicines: & Henricus Abbas, in Chronico Laurishamenſi, ſub Friderico Creman obſidente* Imperialibus *militaſſe Aquilis* traditur: Quas in eadem obſidione etiam *Guntherus* Friderico tribuit:

de Geſt. Frider. lib. 1. c. 32. p. 39. ed. Freher.

Ligurin. lib.10.

-- -- Sed nunc ubi regia ſigna
Cæſaris & Latias vento quatiente volucres
In campis volitare ſuis, ipſumq; verenda
Majeſtate ſuos hortantem ad bella maniplos
Aſpiciunt.

Ligurin. lib. 7. Regiam avem *idem alibi* vocaverat:

At qua Cæſareæ ſignum Latiale cohortis
Regia fulget avis:

Hancque ſplendido poſtea & magnifico apparatu Otto IV. Imperator inſtruxit: cujus Standardum memorabili deſcriptione *Brito Armoricanus* illuſtratum exhibet:

Philipp. lib. XI.

Mox

Mox Otho Imperij declarans signa volensq́;
Jam quasi promeriti rem prælibare trophæi
Standardum ædificat miroq́; insignit honore:
Imperij ut fasces tanto illustrante paratu
Se dominatorem toties disputet orbis,
Erigit in carro palum, paloq́; draconem
Implicat, ut possit procul hinc atq́; inde videri,
Hauriat & ventos, cauda tumefactus & alis
Dentibus horrescens rictusq́; patentis hiatu;
Quem super aurata volucer Jovis imminet ala,
Tota superficies cujus nitet aurea, solis
Æmula, quo jactat plus se splendoris habere.

Erectum in carro palum, quem *Brito* memorat, Othonem ab Italis desumsisse opinor: Quorum carocium in *Epistola Burchardi* apud *Freherum* describitur *currus multiplici robore conseptus, ad pugnandum desuper satis aptatus, ferro fortissime ligatus; de cujus medio surrexit arbor procera ab imo usq; ad summum ferro nervis & funibus tenacissime circumtecta.* Adde *plaustrum Florentinorum* eodem fere modo constructum, quod exhibet *Nicolaus Machiavellus Hist. Florent. lib.2. p.62. & crucem altissimam,* quam *in quodam plaustro* itidem *erectam & rubro vexillo decoratam, contra Henricum IV. Imperatorem, Suevos in prœlium deduxisse, Bertoldus Constantinensis* autor est. Aquila vero, quanquam Imperii insigne etiam tum fuerit, prout tamen imminens draconi exhibebatur, vetustissimum Saxonum, ex quorum gente Otho descenderat, vexillum referebat. Testis rei *Witichindus lib.I. Annal.* & ex eo *Urspergensis Abbas in Chronico. Hic arripiens signum* (inquiunt de Hathagasto) *quod apud eos habebatur sacrum, leonis atq; draconis atq; desuper Aquilæ volantis insignitum effigie, ait.* cum quibus insignibus etiamnum hodie Mathildem Augustam Henrici Aucupis conjugem in Monasterio Pœlede in agro Eichsfeldensi conspici *Meibomius* annotat. Cæterum in describendo volatilis draconis rictus patentis hiatu, veteres imitatus est *Armoricanus* noster: *Claudianum* præcipue in illis:

Tom.I. pag. 237.

Append. ad Herman. Contract. A.C. 1086.

p. 5.

p. 147.

de III. Consf. Honor. v. 138.

— — hi picta draconum
Colla levant multusq́, tumet per nubila serpens
Iratus stimulante Noto, vivitq́, receptis
Flatibus & vario mentitur sibila tractu:

Panegyr. Major. v.409. Vel, ad quem propius accessit, *Sidonium Apollinarem*, apud quem:

— — jam textilis anguis
Discurrit per utramq́, aciem, cui guttur adactis
Turgescit zephyris, patulo mentitur hiatu
Iratam pictura famem; pannoq́, furorem
Aura facit, quoties crassatur vectile tergum
Flatibus & nimium jam non capit alvus inane.

Infra quorum tamen efficaciam & spiritus facile nostrum ævi quo vixit genio coarctavit.

Cæterum ad tempora inde sequentia propius jam & solenniori applicatione spectat observatio, qua vexillum Imperiale in vexillum *majus* distinguit *Limnæus*, quod peditatui, & *minus*, quod equitatui adscribit: Alio penitus sensu usuque, quam quo vexilla *majora, minora, & ab his separata* ex *Leone Tactico* aliisque *Höpingius* enumerat: *de jur. insign. c.17 n.318.*

Addit. ad I.P. tom.1. lib.1. c.14. n.33.

Minus sive equestre vexillum, *deß Heil. Reichs Renn- und Sturm-Fahne* describitur apud *Hortlederum* in Actis investituræ Serenissimi Principis Eberhardi Ducis Würtembergici, *ein gelbe Fahnen mit einem schwartzen Adler*: & exhibetur in insignibus Serenissimæ domus Würtembergicæ. Sed Aquila in his uniceps est, quæ in vexillo Imperiali majore, cæterisque insignibus Imperialibus, iisdem quidem coloribus, sed biceps exprimitur: de quâ dicta prolixius aliis repetere, præter institutum fuerit: Unicum productis cumulatisque apud *Limnæum, Hœpingium* aliosque, testimonium addidisse contenti erimus, *Nicolai Uptoni, Canonici Sarisburiensis* ante ducentos amplius annos inter Heraldicos scriptores præcipui: cujus *lib.3. de militari officio* hæc insignium Imperialium interpretatio extat: *Portabit Romanus Imperator unam Aquilam nigram, fissam & explanatam in campo aureo, habebit autem campum aureum eo quod aurum est metallum mitissimum ac nobilissimum: Aquilam fissam, quia Imperator in suis factis debet esse indiffe-*

Act. Publ. tom.I. libr. 3. c.1. add. Lintur. Append. ad fascic. tempor. A.C. 1495. de I.P. l.14. 10. & seq. de jur. insign. c.6. n. 87. & seqq. tit. de color. Aur.

indifferens ad utramq; partem: & ille niger color in Aquila signat ferocitatem, pro eo quod Imperator non esset nimis mitis aut vecors. Quæ de nobilitate & eminentia coloris aurei hic traduntur, ea cum regulis artis Heraldicæ satis probe congruunt: neque ea quæ de Aquila fissa annotantur, post prolixas *de Aquila bicipite & bicorpore* disputationes inter *Scriptores Juris Publici* agitatas, quenquam morari possunt. Nigrum vero colorem longe commodius ex eo quis Imperiali Aquilæ vindicaverit, quod ex *Bartolo* repetit *Petrus de Andlo* aliique: *in figuris animalium & aliarum rerum, cum ars imitetur naturam, illa insignia nobiliora esse, quæ magis appropinquant naturæ & proprietati rei, quam designant.* *de insign. n.14. de Imper. Rom.Germ. lib.2. c.14.*

Præter hæc, aliud insuper *vexillum Imperiale*, præsertim in investitura feudorum regalium, subinde occurrit, *rubrum, quod sanguineum den Blut-Fahn vocant, ab omni armorum seu insignium pictura vacuum ac purum*: ut in enarranda investitura Electorali Mauritii Ducis Saxoniæ *Mameranus* describit: quod & in investitura Ducum Pomeraniæ prælatum, descriptio ejus solennitatis fidem facit, quæ & *in Politicis Imperialibus à Goldasto*, & à *Crusio in Annalibus Suevicis* publicata extat: ubi promiscue *vexillum puniceum Imperiale, vexillum Imperiale seu sanguineum, vexillum Imperij rubrum* videas nominari. *Franciscus Modius* itidem in investitura Ducis Ferrariensis auspiciis Friderici III. Imp. celebrata, prælatum *vexillum rubrum ex toto* memorat: addita interpretatione: *supremam Cæsaris & præsentem potestatem majestatemq; eo designatam fuisse.* Quod tamen *alij* ad *regalia*; *nonnulli* ad *merum Imperium*, quod investiendo conceditur, malunt referre. *vid. Höping. de jur. insign. c.17. n.313.* *apud Goldast. Pol. Imper. VI,4. p.368. VI,3. p.363. & 364. ap. Goldast. Pol. Imp. VI, 2. p.360. Lintur. append. ad fasc. temp. A.C. 1495.*

Trahunt huc nonnulli *Vexillum Sancti Georgij*, quod & in *Cerimoniali Romano Cæsaris vexillum* nominatur. Formam describit *Casparus à Lerch Reichs Ritterliche Adels Freyh. ber. fundam. 1. n.95.* ubi & ratio translatæ ad vexillum militare hujus imaginis indagatur. Controversiam de jure gestandi hujus vexilli exhibet *Limnæus addit. ad J. P. tom.1. ad VI,3. 57. p.71.* & aliam *p.73.* quibus haud dubie occasio constitutioni data, quâ in *Comitiis Spirensibus de Anno 1542.* gestatio ejus vexilli, *si Aquila Imperialis explicaretur*, inhibita est.

Sed hæc quidem, quæque alia vexillorum insignia usus & mos gentium publicus huic illive populo propria effecit, satis plerumque characteris solennioris vetustas, gravitas, autoritas, tuetur. In cæteris laxior censuræ locus datur vel relinquitur, ubi arbitrario emblematum invento artificioque & vario humani ingenii lusu, indolem inventoris temporumque & fortunæ publicæ genium, sæpe efficaciter exprimi, sæpius ambitiose ostentari videmus. Nam quod aliud de eo emblematum genere & instituto judicium ferri queat, quo Carolus Burgundus Novesium obsidens, usurpatam quondam *Catilinæ* sententiam in vexillo rubro aureis literis expresserat: HIS MAXIMUM EST PERICULUM, QUI MAXIME TIMENT. Et solet hic præterea subtili plerumque compendio sedem sortiri, prolixum humanorum affectuum ænigma, prout illi spe metuve, odio, cupidine impelluntur. Hic cum pietate superstitio, fiducia cum temeritate, gravitas cum arrogantia, cum ambitiosa affectatione decoræ & politæ elegantiæ solertia certat & interdum miscetur: Sicut exempla aliis collecta satis copiosum hujus disciplinæ argumentum continent. Quibus adjungi venerabili antiquitate, splendore, magnitudine sua meretur, Illustris Argentoratensis Reipublicæ pedestre vexillum; album, & ultra modum usitatum ingens, in cujus medio B. Virgo sedens, porrectis in altum expansisque manibus, & tunicæ, quam induta est, manicis laxe longeque dependentibus, puerulum orbis Salvatorem, in cujus manibus lilium Argentoratense, sinu præfert, additâ inscriptione literis majusculis atro colore in fundo aureo exaratis: VENITE AD PUERUM CHRISTUM OMNES QUI ONERATI ESTIS. Accurate, pretiose, splendide auro argentoque & quæsitissimis coloribus depictum opus. Cujus originem cum inquirerem, indulgente *Magnifico Patriæ Reipublicæ Syndico Jo. Jacobo Fridio, viro omnibus elogiis majore*, ex Beati Parentis Ejus *commentariis* discebam: *donatam ante complura secula gloriosæ Virgini civitatem fuisse: ejusq; rei validum indicium, priscam in precatiunculis nummisq; vetustissimis extare formulam:* URBEM VIRGO TUAM SERVA: *neq; mirandum adeo, consecrata ejus honori militaria civitatis vexilla, cui primariam quoq; in civitate ædem civium pietas dedicaverit.*

Chron. Belg. Magn. ap. Pistor. t.3. p.118. Salust. Catilin. c.58.

aliter Limn. Addit. 1. l. 7. c.3. n.15.

Cæterum

Cæterum ævo ad superstitionem proniore, persuasum esse rudi plebeculæ: Aliquando atroci prœlio, acie nostrorum jam inclinatâ supplicem B.Virgini quendam de civibus, impetrasse, ut augusta forma specieq; filium gremio gerens, cœlitus appareret: inde omen victoriæ: mox ipsam victoriam subsecutam, gratæ venerationis ardorem civibus incussisse, ut Virginem victricem, ob restitutam servatamq; gravi periculo rempublicam, vexillis aliisq; publicis monumentis, eo quo videndam se præbuerat habitu, consecrarent. Cujus fabulæ vanitate dudum explosâ, longe sinceriori splendore Sanctæ & inter mulieres Benedictæ Virginis honorem, longe certiori pignore Augusta Respublica credit publicam civium suorum securitatem salutemque sanciri; cum in gremio Matris, DEUM Filium, DEUM Alumnum, DEUM non Matris minus quam humani generis Servatorem, DEUM cujus omnis gloria, & à quo omnis gloria, DEUM sine quo nec securitas periclitantibus, nec salus laborantibus, nec oneratis solatium, nec robur pugnantibus, nec gloria victoribus est; Principem cœli, Redemptorem orbis Triumphatorem inferni, non vexillis aut lapidibus sed cordibus animisque, & purâ civium pietate consecrat, veneratur, adorat.

CAPUT IV.

De insignium & vexillorum militarium jure in universum alibi agitur: Imperialis vexilli gerendi explicandiq; jus, potissimum jure belli continetur: An à concessione Romani Pontificis dependeat? de jure Imperatoris Romano-Germanici, cum distinctione temporum causarumq;: facultas explicandi vexilli Imperialis Statibus quibusdam Imperij concessa: Privilegium Caroli IV. Munus gestandi vexilli Imperialis ambulatorium: arbitrarium: rejecto errore Nicephori Gregoræ: hæreditarium: civitatium Imperialium & inter eas Argentoratensis Reipublicæ prærogativa circa hanc rem: cum juribus annexis.

SEd de variis quidem vexillorum generibus hic professâ operâ tractandi locus non est: Sicut nec de jure concedendi usurpandi-

pandique vexilla, & vexillorum inſignia in univerſum: quo *alÿ* tanquam conceſſo ab Imperatore, vel eo cui vices ſuas Imperator delegavit, veluti Comite Palatino, *alÿ* tanquam proprio utuntur. Quemadmodum & Argentoratenſis Reſpublica vexilli atque inſignium jus non tanquam acceptum ab Imperio, ſed tanquam allatum ad Imperium, ſibi vindicat.

v. Hœping. de Jur. inſign. c. 10. n. 134.

Imperialis vexilli, quod in hujus diſſertationis argumentum primario venit, inſignia plurimorum ſeculorum uſu, ſicut ex dictis patet, ſolennia ſunt: quorum idcirco uſurpandorum jus habet, cuicunque gerendi explicandive Imperialis vexilli facultas competit. Quam ſi quis inſtituat ad rationem parteſque Imperii adminiſtrandi principaliores exigere, facile res ipſa docebit, in ſummo belli armorumque jure locum ei tribuendum. Nam licet interdum pacatis quoque expeditionibus cerimoniiſque adhibitum imperiale vexillum conſtet: attamen etiam in his nihil aliud quam bellici apparatus ſpeciem ac ſimilitudinem expreſſit, & ex medio certe bellorum apparatu fuit depromendum: quem inſtruere atque dirigere is demum jure ſuo poteſt, à quo ſummum rei militaris auſpicium dependet.

Neque ad hoc, conceſſione Imperialis vexilli aut indultu, translationeve vel denique acquiſitione ulla ſpeciali opus habet is, penes quem in Imperio ſupremum belli gerendi arbitrium eſt, ut illa expediat, quæ bello pro Imperio gerendo ſunt neceſſaria. Quanquam alias inde ab antiquo in more poſitum conſtet, ut in argumentum ſubjectionis publicæ modo ſubmitterentur vexilla, modo dederentur; ſed ut nihil aliud quam ſymbolum deditionis tantum, non autem translati juris fundamentum denotarent, à quo facultas accipientis poſſet ſuſpenſa exiſtimari. Ut adeo nulla idonea ratio ſuadeat, cum de titulo quæritur, quo à Carolo M. ejuſque ſucceſſoribus vexillum urbis Imperiique Romani bellicis expeditionibus adhibitum ſit, ad authoritatem Romani Pontificis confugere. Nam quod Carolo Magno vexilla Romanæ urbis Leonem Pontificem venerationis cauſa obviam miſiſſe, *Regino*; inter cætera vero munera donaſſe, *Annales Rerum à Carolo M. geſtarum* apud *Reuberum*, & *compilatio Chronologica à Piſtorio* edita referunt, illud donantis non ſuperioritatem, non jus, non eminentiam, ſed ſubmiſſionem deditionemque demonſtrat.

Valeſ. ad Amm. Marcell. lib. 26. p. 324.

A.C. 800. *A.C. 796.* *A.C. 801.*

Et

Et superearat sane Carolo ejusque successoribus tum ac postea satis validus titulus, quo armorum & Imperialis vexilli usum propria authoritate proprioque auspicio exercerent, quoties Imperatoris aut Imperii salus, tutela, dignitas id exposcerent; donec processu temporis ad arbitrium Imperatoris in bello Imperii suscipiendo gerendoque ordinum Imperii consensus legali requisito adjungeretur. Quod nimis longe *Limnæus* videtur arcessere ,quando loco præjudiciorum, ex quibus praxis Imperii circa hanc rem adstrui probarique possit, exempla Henrici II. Henrici V. Friderici I. aliorumque Imperatorum, ab iis temporibus repetit, quibus nihil quicquam adhuc de suprema Cæsarum potestate tum quoad alia , tum quoad belli armorumque jus, fundamentales Imperii leges delibaverant. Nam *Hippolithum à Lapide* minus mireris, ex facto parum dextre accepto intellectoque colligentem, *jam tum Friderici I. tempore dissentientibus Proceribus Imperatorem nemini bellum indicere potuisse.* Certius principium communicati vere cum Statibus juris bellici ad id tempus refertur, quo *Recessibus Imperij* primum, deinde *Capitulationibus Imperatoriis* modus hujus rei est definitus. Initium videtur sub Maximiliano I. factum *In der Handhabung deß Friedens zu Wormbs auffgericht* Anno 1495. ubi Imperator ipse bellum Imperii nomine suscipiendum à decreto Comitiali hac formula suspendit: *Auch sollen Wir und unser lieber Sohn Ertz-Hertzog Philips auch unser Chur-Fürsten, Fürsten und Stände deß Reichs, ohn wissen und willen jährlicher Versamblung keinen Krieg oder Vähd anfangen.* Accessit mox declaratio & restrictio Capitulationum Imperatoriarum,in quibus à prima ad ultimam promittunt Imperatores: *Wir sollen und wollen kein Gezänck, Fehde, noch Krieg in oder ausserhalb deß Reichs von desselben wegen anfahen, oder unternehmen, noch einig frembd Kriegsvolck ins Reich fuhren, ohne vorwissen Rath und bewilligung der Reichsständ, zum wenigsten der sechs Chur-Fürsten: Wo wir aber von deß Reichs wegen, oder das H. Reich angegriffen und bekrieget würden, alsdenn mögen wir uns dagegen aller Hülff gebrauchen.* Tandemque *Monasteriensis* etiam & *Osnabrugensis Pacis instrumento* sancitum denuo est: *ne bellum Imperij nisi de comitiali liberoq; omnium Imperij statuum suffragio & consensu decerneretur:* Sed & circa

Ad Capitul. Car. V. art. 11. verb. der Reichs-Stände.

de Rat. Stat. p. 1. c. 9. s. 1. n. 9.

Cap. Car. V. art. 11. &c.

Instr. Cas. Suec. art. 8. §. Gaudeant.

circa administrationem belli multa *Recessibus Comitialibus* statuta sunt, *de milite conscribendo, de ordinandis dispensandisq; militaribus officiis, de legibus & articulis militaribus sanciendis*, deque similibus aliis, quæ de absoluta Cæsaris in bello gerendo potestate non patiuntur secundum veterem formulam pronuntiari: Sicut index talium, à *Limnæo* diligenter concinnatus, fidem facit. Vexillum Imperiale quod attinet, de eo in *Comitiis Spirensibus Anni* 1542. dispositum est: *Daß in abwesen der Kayserlichen Mayestät oder deß Römischen Königs, deß Reichs Fahn nicht fliegen, sondern an seiner statt ein ander Fahn durch den obersten Feld-Hauptmann auffgericht und gebraucht werden soll.* Quod etiamsi *honori Imperatoris datum* recte *Limnæus* pronuntiet: non minus valida tamen ratione possis ad Statuum commoda referre: quibus per hanc Constitutionem leniebantur onera instructioris apparatus, graviorumque muniorum militiæ, ad quæ antea, explicato, etiam absentis Imperatoris auspiciis, Imperiali vexillo, frequentius subeunda fuerant adstricti. Ut adeo non eatenus tantum, quatenus extra bella causasque Imperii publicas *wo des Reichs Sachen im Feld gehandelt wird*, usus vexilli Imperialis communibus sanctionibus & consuetudine Imperii impeditur; sed eatenus quoque, quatenus expeditione Imperii nomine legitime suscepta, Imperatorem præsentem esse oportet, ut Imperiale vexillum explicetur, limitatum esse certisque legibus circumscriptum, quod circa vexillum Imperiale Cæsar hodie jus habet, nemo possit diffiteri. Neque tamen exinde communicatum cum Ordinibus existimari jus illud debet, quod in hunc diem Imperatori, independenter, & tanquam proprium competit.

ad Capit. Car. V. d. loc. n. 15. & seqq.

de I.P. II, 7. 48.

Est enim communicatio jurium Summi Imperii strictæ interpretationis; neque uno jure communicato, statim ea quoque quæ sub illo continentur censeri communicata debent: Sicut privilegiorum concedendorum jus nihilominus Cæsar sibi tanquam proprium vindicat, etiamsi in Legislatoriæ potestatis consortium adsciti sint Status Imperii. Et licet aliquando quibusdam è numero Statuum erigendi explicandique Imperialis vexilli facultatem dedisse Imperatores constet: Non tamen illa juris communicatio, sed usus potius concessio fuit, potestatem ab Imperatoriâ dependentem, vel per modum *privilegii*,

privilegij, vel ſub titulo *officij* munerisque delegati complexa.

Privilegij inſigne ſpecimen eſt, quod Eberhardo Comiti Würtembergico & Reipublicæ Argentoratenſi Carolus IV. Imperator Anno Imperii ſui XVII. poſt C. N. 1363. indulſit, his verbis:

Wir Karl von Gotts Gnoden Römiſchir Kaiſer zu allen Ziten merer des Richs und Kunig zu Behem. Emb e.en dem Edlen Eberharten Graven zu Wirtemberg Lant-Fogt in Nydern Schvvaben, dem Burgermeiſter, dem Raten, und den Burgern gemeinlich der Statt zu Strazeburk unſern und des Richs lieben getruvven, unſer meynung und Wille iſt, vver das Sache das jr uf das Felt ziehen vvürdet gen Roubern odir boſen Lüten, und mit Namen gen Hertzog Ruprechten von Ryn, der unſer offenbarer Vynd iſt, das jr denn unſere und des Richs Banyr von unſern und des Richs vvegen ufvverffen moget; und dorunder ziehen, und ouch die ſo bevvaren, altz vvir das uvvern truvven ſunderlich glouben und getrovven, geben zu Prag an Sand Johans Abend des heiligen Teuffers, unſerer Riche in dem fünfendzvventzigſten, und des Keyſertums in dem Sybentzenden Johr.

Munus gerendi Imperialis vexilli ſub Francicis Imperatoribus inter nobiles Regni ambulatorium fuiſſe, tum communis Regum Francicorum & ad ſequentia tempora etiam propagatus mos, tum inprimis exemplum ex aula Caroli Craſſi repetitum argumento eſt: ſub quo contigit, „quod de *quodam Caroli elati animi Capellano* graves irriſi Notkeri pœnas pendente *Ekkehardus Junior* memorat *in Caſibus Monaſterij S. Galli. c.3.* ubi memorabilis tragœdiæ cataſtrophe ita clauditur: *Abibat temptator ille & irriſor à ſuis irriſus, parvi pendens quid ſibi futurum Notkerus dixiſſet. Sonatur continuo ad concurſum & laudes Cæſaris*

 abituri.

abituri. Arripit ille infelix futurus labarum eo die ordinis sui dominum antecedendi: & equo superbus invectus ante portam civitatis offendens cecidit & misere in facie collisus crus confregit.

Inde sub Germanicis Imperatoribus factum *arbitrarium*, & prout Imperatori videretur è dignitate cujusque expeditionis esse, uni subinde ex Proceribus delatum, multa & eximia specimina demonstrant. Sic in expeditione Italica, *Fridericum I. Ottone Wittelspachio Comite Palatino, pro vexillifero usum ex Ottonis Frisingensis de Gest. Frid. I. lib.2. cap.16. & 25.* & *Guntheri Ligurino passim* constat: *In exercitu* vero *Rudolphi I. Ottocarum Boemum aggressuri, Henricum Hachbergicum Marchionem, Imperij Aquilam tulisse, Gerardus de Roo* Autor est: *Reinhardum vero Comitem Hanoicum Adolphi Nassovij vexilliferum hoc fato fuisse, ut pristina gentis insignia amitteret,* ex *Chronicis Alsaticis* discimus. & *Fridericum Austriacum cum Ludovico Bavaro prœlium commissurum, vexillum conflictus commisisse Comiti de Schlüsselberg, Alberti Argentinensis* indicio discimus.

Hist. Austr. lib. I. A. 1278. Herzog. Chr. Als. lib.5. p.62. A.C. 1323.

Unde haud difficulter judicium ferri potest de communi traditione, quam ex *Nicephoro Gregora* certatim viri docti, & inprimis interpretes Juris Feudalis describunt: *Marchionum ævo medio munus fuisse, ut Imperiale vexillum Cæsari præferrent.* Verba Nicephori è *septimo Historiarum*, ista sunt: ἡ γὰρ Μαρκεσίου τάξις οὐ τῶν ἐπισήμων ἐστὶ παρὰ Λατίνοις· ἀλλ' ὅπερ ἐν τοῖς Ῥωμαίων στρατεύμασιν ὁ τὴν βασιλικὴν κατέχων σημαίαν, τοῦτο παρὰ Λατίνοις Μαρκέσιος. *Non sunt apud Latinos in magna dignatione Marchiones constituti: Sed eum gradum tenent, quem apud Romanos is qui vexillum Imperatorium gestat.* Errorem his non levem subesse *Gretserus* jam vidit: qui tamen ad eum confutandum rationes attulit admodum infirmas; dum *neq; cum dignitate, neq; cum nomine, neq; cum potentia Marchionum hoc munus potuisse consistere* contra manifestam exemplorum fidem authoritatemque concludit.

Cujac. de Feudis lib.1. Tit.1. p.166. edit. Genev.

ad Codin. lib. 3. c. 1. n.21. p.226.

Validiora sunt, & ex quibus apertæ sive malignitatis, sive ignorantiæ, *Nicephorus* queat convinci: quod Jolantem, sive Irenen, ut ipse nominat, Andronici II. Palæologi uxorem, ex stirpe parum illustri oriundam contendit; quæ ab Aleramo Saxone & Atesia Ottonis II. Imperatoris filia genus ducebat: quod institutâ inter officia Imperii Romano-Germanici, & ministe-

ministeria Aulæ Constantinopolitanæ comparatione, exiguam dignitatem fuisse pronuntiat, in exercitu Imperatoris Germanici gerere Imperiale vexillum; qua neminem constat nisi genere meritisq; inter primos illustrem his temporibus consuevisse insigniri: quod Patri Jolantes Bonifacio III. Marchionatum Montisferratensem obtigisse scribit perpetuo munere annexo, εἴ τις ἐκ τοῦ ἔθνους ἀνίσταιτο βασιλεύς, τὴν τοῦ σημειοφόρου τάξιν ἀποκληροῦν πρὸς ἐκεῖνον. *Si quis ex ea gente Imperator crearetur, ut vexilliferi apud eum officio defungeretur:* quod in omnium ejus ævi annalium memoriis penitus inauditum. Illud equidem constat, Montisferratensem Marchionatum non hodie tantum, quod celeberrimus rerum Germanicarum instaurator *Conringius* pridem demonstravit, sed olim quoque regalibus Imperii feudis annumeratum fuisse: neque insolitum est, eos qui solenni ritu atq; adeo per Imperiale vexillum de Ducatu ad Marchionatum investiti sunt, *vexilliferos Imperij*, ipsosque etiam Ducatus exinde *vexilliferatus Imperij* nominari. Sicut in *Diplomate Ludovici Bavari*, quo Castrucium in Lucæ Ducem evexit, *Dux & Imperatoris Sacriq; Romani Imperij vexillifer, Ducatus & vexilliferatus* aliquoties conjuncta & promiscue posita leguntur: Sed alio penitus sensu, quam quo vexilliferi Imperii dicuntur, quibus Imperialis vexilli in expeditionibus ac bellis Imperii gerendi munus commissum est. Neque tamen abnuerim *Nicephoro*, ut seduceretur, occasionem hinc esse subnatam.

de fin. Imp. c. 23.

ap. Freher. Append. ad tom. I. script Germ. p. 31.

Eximio sane illo, eminentique significatu, solus sibi vexilliferi Imperialis nomen & jus hæreditarium Serenissimus Dux Wurtenbergicus vindicat: In cujus insignibus idcirco vexillum Imperii depictum extat. Qua origine in gentem inclytam hic honor derivatus manaverit, nondum certo comperi: nisi quod Eberhardum Wurtembergicum, cum in Comitiis Wormatiensibus Anni 1495. à Serenissimo Saxoniæ Electore controversia Illi de ea re mota fuisset, ad Ludovici III. Imp. privilegium provocasse *Limnæus* tradit: Prærogativam veterem indistincte *Lazius* nominat: *Ubi Sacri Imperij copiæ in aciem educuntur præsente Imperatore, tum & labarus aureus volitat, nigra Aquila adornatus, cujus ferendi facultatem ex veteri prærogativa Duces Wurtenbergenses habent.* Neque cæteri Scriptores rem specialiter designant.

Addit. tom. 2. lib. 1. c. 14. n. 23.

de Republ. Rom. VII, 1.

p. 3. lib. 6. c. 12. ſignant. Nam quod *Cruſius* in *Annalibus Suevicis* Ulricum Adamatum A. C. 1477. *vexillum Imperiale conſecutum* ſcribit; illud malim ad translationem vexilli in inſignia Würtembergenſia, quam ad Jus vexilli Imperialis in expeditionibus gerendi, referre.

Sereniſſimum Saxoniæ Electorem quod attinet, majus Illi ſive pedeſtre Imperii vexillum, ut Mareſchallo Imperii in acie concredi, ex narratione *Gallici Scriptoris* refert *Limnæus*, cujus tamen ipſe mox fidem in dubium vocat. Hæſitavique & ego in ea re non leviter: cum præſertim ex *Privilegiis Illuſtris Reipublicæ Argentoratenſis* meminiſſem, Civitatibus Imperialibus Vexillum Imperiale, majus haud dubie ſive pedeſtre, in expeditionibus Imperii inde ab antiquo concedi ſolitum, idque cum inſigni prærogativa Reipublicæ Argentoratenſis, cui primus in ferendo Imperiali vexillo honor tribuebatur. Excerpta ex illis Privilegiis ipſe etiam *Limnæus* exhibet: *Als auch in des Heil. Reichs Heerzügen des Reichs Paner von des Reichs Hauptmann den freyen Stätten zu führen befohlen wird, und nicht dem Adel, hat die Statt Straßburg je und je daſſelb zum erſten zu führen empfangen, darnach die andern Frey-Stätt, die einen Tag umb den anderen das gefuhret, biß es wieder an die von Straßburg kommen iſt.* Sed rem undique intricatam, neque ex editis monumentis fortaſſe ad liquidum deducendam, planam prorſus atque expeditam efficiunt *literæ* hactenus *ineditæ*, quas ex Archivo Argentoratenſi, *gratioſo Ampliſſimorum Dominorum Præfectorum indultu*, mecum communicatas, quanquam aliqua contineant non tam prope huc pertinentia, integras tamen publicandas hic cenſui, ut de fide illarum atque authoritate plenius conſtaret.

Add. tom. I. ad lib. I. c. 14. n. 33. Add. tom. I. ad lib. 3. c. 10. n. 27.

de I. P. VII. 3, 13. Adde Knipſchild. de Jur. & Privil. Civit. lib. 3. c. 51. n. 62.

Copia literarum Philippi à Müllenheim, in exercitu Friderici III. Carolo Burgundo Noveſium obſidenti, oppoſito, copiarum Argentoratenſium præfecti, ad Senatum Argentoratenſem: de Anno 1475.

STrengen Fürſichtigen Erſamen und Wiſen lieben Herren, uch ſy unſer ſchuldig vvillig Dienſt allzit voran

voran bereit, lieben Herren, Wir tunt uch zu vvissen, das die Käyserl. M. uff den bestimpten Tag, so uvver Wiszheit vor in geschrifft zugesant, uszgezogen ist, und sich uff ein gros Mile vveges vor Nuss by Suntz gelegert hat, uff Donnerstag vor dem heiligen Pfingstage, doselbs er noch lit, vvend oder vveliche Ziter aber neher hin by rucken vvill, ist uns eigentlich nit zu vvissen, es sind uff disen Tag vast vil guter und vvolerzugter Lut by einander, und ist man tegelich vil zuges vvarten. Der Hertzog von Burg: stat noch zur zit stille, es gat aber gemein Rede er sy geruft, und vvelle dem Keyser zuziehen, der Legat ritet vast darzvvischen, und sucht allerley, obe er die dinge gütlich hinlegen möge, uff den obgent Donrstag rite der Legat von dem Burgundischen Here, gab jm der Hertzog zvven Knecht zu jn zu geleiten, denselben auch der Legat Geleit zusagt biss gen Suntz und vvider an jr gevvarsame, in dem komment etlich unsers Herren Graff Eberhartz von Würtemberg Diener, als die uff der Wart vvarent besunder nach dem man fürter zohe dieselben an, noment jnen Gelt auch ytlich Silber, in der gestalt, das der Legat für sich selbs nit macht hette sie zu geleiten, vvie aber das nidergeleit ist uns nit zu vvissen, und uff den Tag als alle Fürsten und huffen zu Rosz und zu Fusz ins Velt zusamen kamen, Hohe und nyder, Ist dem Hertzogen von Sachsen das gros Paner geben vvorden, und jm blieben, und sunst allen Cur-Fürsten und Fürsten keins, nachdem ist der Regent unser Gnädige Herr der Marggrave von Brandenburg mit grossen gescheiden Worten an mich Philipps von Mülnheim Ritter &c. kommen, und ein Ritter

von Nürnberg, genant Herr Sigmund von Megloff-ſtein, uff ein ſit, und mich uff die ander genommen, und by jm gehabt den Hertzogen von Sachſen, und geret lieben Ritter, die Keyſerl. M. vvil uff dieſen hüttigen Tag tun den Erbarn Stetten, das nie geſchehen iſt, und jne ein des heiligen Richs Panir geben, und das zugeordnet dem genanten Herrn Sigmundt, an ſtatt der von Nürnberg, der ſoll das von aller Stette vvegen haben, ſo habe auch die K. M. verſchafft das dovvider nymans reden noch tun ſulle, doby jr mercken die Meynunge ſo gevveſen iſt, daruff ich als ein Haubtmann antvvort, vvas die K. M. mit uns ſchaffe vvellent vvir zu thun alzit gehorſam ſin, und uff ſtund unbedocht, desmols geredt dem nach zu kommen ſy ich gantz nit geneygt, und ſy das die Urſach darumb es unbillich und unzymlich vvere zuverfolgen, mir zvviefell nit der Statt Straſzburg loblich underthenig Dienſt dem heiligen Rich, auch K. und Künigen gethon löblicher Gedechtnus unvergeſſen ſy, auch in diſer Sach lange Zit mit Lib und Gut erlich und nutzlich zu vviderſtant, und abbruch dem Hertzogen von Burgunde, ſich loſſen bruchen und ſich abbruchlich erſcheint, die ander urſach darum es aber unbillich vvere, ſo ziehe ein Statt von Strasburg vor allen Stetten, ſy ſitze obe jn und tuge auch alle Rede vor jn, des mer ſo habe Sy aldo viel guter fromer Ritter und Edeln, auch jr Erſamen Burgere, die do nit ziehen um ſolt, ſunder als us Gehorſamkeit und um eren vvillen me dann kein Statt, ſo uff den Tag im Velde ſy, harumb und dann ere und Zucht den Stetten, mit eim des heiligen Richs Paner beſchehen ſolle, vor allen andern Fürſten,

ſten, ſunder dem Hertzogen von Sachſen, hoff ich das der Statt Strasburg als billich beſchehe als keiner Statt, beſchehe das, ſehe ich vvol, beſchehe aber das nit, ſo hieſth notdurfft furter darzu zu reden, und ſich des mit dienſt zu halten, das man ſehen ſolt, das ich mynen Herren von Strasburg kein veracht nachgeben oder zuverſchaffen vvolt, vvel ich bekant das die K. M. alle myn Herren und Fründe von Strasburg zu regieren hette, und auch mich, vvir jne nit, aber glich Regierunge und empfehle, brecht guten vvillen, denn ſolt das ſyn fürgang haben, konten vvir von Strasburg Gnade oder guten vvillen nit vermercken, doch ſo bete ich gnade min antvvort gnediglich uffzunemen, ich auch hoffe mir gebürlich ſin, daruff unſer gnediger Herre der Marggrave redte ich ſolte mit jm riten zum K. und die Wort auch reden, ſprach ich gern, und rit von ſtunden an mit jm zum K. und nach redte noch grüntlicher mit ermanunge aller guten gedat lange harkomen geton &c. redte der K. ſo, vverlach vvir müſſen in die Sach ſehen, und bevahl dem Marggraven die dinge zu gutem zu bringen, demnach ſind Hans von Kageneck, Adam Zorn und ich mit rat der andern zu dem vermelten uſſerm Herrn dem Marggraven geritten, und jm die Sach aber treffenlich fürgeleit, dar in zuſehen das die Statt Strasburg uff den Tag nit verachtet vverde, beduncke uns gut und nicht ſchade ſin, Uff das iſt betracht und angeſehen vvorden, das die Statt Strasburg, auch Cölne, Augſpurg, Nürmberg, Franckfort und Ulme, das Paner ein Tag um den andern haben ſullen, das iſt von den ytzgemelten Stetten allen fründlich verfolgt und zugelaſſen vvorden, und nach

M der

der Zuſage hat unſer Herr der Marggrave uns alle ſechs Stette tun zuſamen neben einander halten, und das Paner im Velde vor allen Fürſten in der Hende gehabt, und geredt, vvem ſol ich das nu geben, do iſt der von Colne Hauptmann, der von Arburg hinfür gevviſcht, und dem Marggraven das Venlin us der Hand genommen, hab ich kurtz geredt, der von Colne geben unſerm Herrn dem Marggrafen das Paner vvider, vvann ich las uch das nicht zu, dann er hat uch das nicht geben, das auch unſer Herr der Marggrav geſtändig vvas, uff das nam unſer Herr der Marggrav dem von Colne das Paner vvider, und gab mir Philipps von Müllenheim das zu mynen handen, daruff ich vor allen Fürſten, Herren und Stetten redte, das die Statt Strasburg es billich den erſten Tag ſo es usgeben vvürdte haben ſolt, habe auch das alſo mit erlichen und nothurfftigen Worten Mannlich uch zu eren behalten, darumb uns dann Ere und Lob geſagt iſt &c. Uff den Pfingſt Abend iſt der Hertzog von Burgunde ſelb im Velde gevveſen, mit eim groſſen Huff, und mit unſern Wardlüten ein Scharmützel angefangen, und uff unſerm teil ein Edelmann nidergevvorffen, ſteht unſerm obgenten Herrn dem Marggraven zu. Was ſich fürter machen vvill oder vvürt, vvollent vvir uvver Erſamen Wisheit auch verkünden, und bedencken im beſten das vvir uch nit mer ſchrieben, den uch vergeben ſo vvit botſchafft zu tun, bedunckt uns nit not ſin, vvas aber zu nutz oder zu ſchaden dient, vvellent vvir uvver Wisheit ilent zuſchrieben und nit verhalten, Wir ſint von den Gnaden des Allmächtigen all noch friſch und geſund, desglichen begehren vvir auch allzit als von

unſern

unſern Herren zu vernemm. *Datum* im Keyſerlichen Here uff den Pfingſtmontag Anno &c. LXXV.

Der uvvern Hauptlite im Keyſerlichen Here.

Atque hæc quidem ſicut prolixioris diſputationis laborem nobis lucrifaciunt, ita copioſiori explicatione diffundi non debent, niſi quod ad ea roboranda, ex ſimilibus monumentis quædam adduxiſſe haud intempeſtivum fortaſſe vel incongruum fuerit. In *literis* ex iiſdem caſtris eodemque anno ad Senatum miſſis ſcribunt expeditionis Præfecti: *Der Keyſer hat Hertzog Albrechten von Sachſen des Heiligen Richs Baner geben, der mag ſiben Furſten an ſin Rat beruffen, die jm zum nutzlichſten raten und helffen ſollen:* & in *mandatis caſtrenſibus, ſine die,* quæ in Archivo extant, quæque ad eandem expeditionem pertinere, ſcripturæ forma indicio eſt, *articulus primus* hoc tenore concipitur: *Item das gebeut unſer gnedigſter Herr Keiſer, ſin gewaltiger Marſchalck, Bannermeiſter und Hauptleuth, das morgen niemands füttern ſoll, ſunder uff das Renn Panner mit den zweyen Schvvertren leytten und harren, by ſtraffung des Keyſers.* Inprimis vero locum inter cæteras civitates Imperiales principem Argentorato præter gravem cordatamque *Müllenhemij orationem* afferunt *mandata Imperatoria* alia, quibus civitates Imperiales hoc ordine caſtra ingredi & in iis locari jubentur:

All Richſtatt ſollen nacheinander in die Wagenburg und ſunſt geordnet werden wie hernach ſteht:

Item Strasburg.
Item Cölen.
Item Augſpurg.
Item Nürenberg.
Item Ulm.

Item ſo ſullen die andern Stete volgen nach der Ordnung als ſie ſich angeben.

Quo accedunt jura, privilegia, prærogativæ militares atque caſtrenſes aliæ, quibus Argentoratenſis vexilli dignitas eo evecta eſt, ut non reliquas tantum Imperiales Civitates ſed pleroſque Statuum, eo nomine Inclyta Reſpublica antecellat:

Excerpt. Privil. ap. Limn. de I. P. VII, 3, 13.

quales inprimis sunt: I. *quod jure optimo atq; pervetusto in omnibus Imperij expeditionibus, Romanis aliisq;, Argentoratense vexillum explicatum Imperiali vexillo proximum geritur: quemadmodum illud in expeditione quoq; Rudolphi I. Cæs. contra Ottocarum Regem Bohemiæ, cum educeretur exercitus Imperatorius, primum, cum reduceretur, ultimum fuit. II. quod explicata Imperiali Aquila quoties & quoad usq; ullum ex Statuum vexillis imo ipsum etiam S. Georgij vexillum explicatum volitat, Argentoratensibus quoq; facultas competit explicandi vexilli sui. Unde, cum Fridericus III. Imperator Urbem Romam accipiendæ coronæ causa ingressurus, in honorem populi Romani præcepisset, ne præter Imperij Aquilam ullum aliud signum explicaretur, & eam rem multi ægre ferrent; inprimis vero Georgiani collegij signifer Henricus Comes Fürstenbergicus indignum esse diceret, & præter collegij institutum, malle se ab ipsis urbis mœnibus domum reverti, quam occultato vexillo intromitti; Argentoratenses quoq; graviter jura sua & receptum ab antiquo morem testati, non prohibitos fuisse majores suos explicare vexillum suum jaciebant, quo tempore cum Rudolpho in Boëmos militassent. Quas eorum voces tum quidem Cæsar autoritate sua facile compescuit; Georgiani præsertim collegij signifero vexillum suum submittente: cum autem Româ mox Cæsar moveret, explicavere rursus vexillum nostri erectumq; per Italiam ac Lombardiam domum retulere. III. quod Circularibus copiis adjuncti, ut vexillum suum submittant, adigi nullo jure Argentinenses Præfecti possunt. IV. quod nequeunt in supplementa copiæ illorum distribui.* Quæ cum longæva consuetudine usuque in publicum ac solennem morem (*das Herkommen des offenen Paniers*) adolevissent, ne prærogativæ tam insignis dignitas tractu temporis vanesceret, sollicite admodum studioseque majores nostri prospexere; perscriptis subinde ad præfectos copiarum suarum accuratis de ea re mandatis: quæ, in expeditione denique A.C. 1532. contra Turcas instituta, cum ad eam respublica nostra equites LXXX. pedites CCCL. subsidio mitteret, in solennem hanc atque perpetuam formulam sunt collata: *Und dann ein Statt Strasburg jewelts in allen des H. Reichs zügen und Heerfahrten herbracht, Ihr offen Panier by und neben des Reichs Adler zu führen, und so des Reichs Paner den freyen Stätten, und nit dem Adel zu fuhren befohlen soll werden, ein Statt Strasburg dasselbe je und je zum ersten zu fuhren empfangen hat, und demnach*

Gerard. de Roo Histor. Austr. Lib. V. p. 204.

v. discurs. B. Dn. Fridij, MSC. de Privileg. Reip. Argent. p. 46. & seqq.

nach je ein Statt um die ander das geführt, bisz das es wider an ein Statt Strasburg kommen, so sollen der Obrist Herr Bernhart Wormbser Ritter, desgleichen Schweikhart von Sikingen der Under-Hauptmann, so sie under des Reinischen Zirks Kriegs-Volk kommen, einer Statt Strasburg Fendlein führen, dasselbig auch nie zu oder under thun lassen in keinen weg.

So sie aber in das Veld zu des Heil. Reichs Kriegs-Volck kommen, so lang einiger Stand und insonders die von St. Georgen Schild ihr Vendlin offen behalten, so sollen Herr Bernhart und Schweikhart einer Statt Strasburg Fendlein auch nit zu thun: wurden aber gemeine Stände des Reichs, darzu die von St. Georgen Schild ihr Vendlein alle zu oder under thun, und es an sie Herr Bernhart und Schweikhart erfordert würde, so mögen sie einer Statt Strasburg Vendlein auch underthun und zuschlagen. Und so also alle des Reichs Stände auch St. Georgen Fendlein undergethan, und allein des Heiligen Reichs Fendlein im Velde wider den Feind fliegen und offen bleiben auch den Stätten und mit dem Adel zu führen befohlen werden wolte, so dann ein Statt Strasburg jewelts in des H. Reichs Veldläger und Heerzügen den ersten Tag geführt, und dann je ein Statt um die ander biß es ein Statt Strasburg wieder erlangt, so sollen sie, Herr Bernhart und Schweikhart inen den ersten Tag abermals zu befehlen erfordern. Wie es dann ein Statt Strasburg von alters löblich herbracht, und dasselb so viel müglich ist, nit nachzugeben. So sie auch mit einer Statt Strasburg Kriegs-Volck zu Roß und Fuß zu des Reinischen Kreiß Kriegs-Volck kommen werden, und des Reinischen Kreiß Hauptmann unterstehen würde einer Statt Strasburg Fuß-Volck under ander Hauptleut stossen und einer Statt Strasburg Fuß-Knecht Hauptmann abschaffen wolte, das sollen sie nit zugeben noch gestatten, und fürsehen das dieselben einer Statt Strasburg Fuß-Volck Hauptmann und das Fuß-Volk under demselben gelassen werden. Demnach auch in andern des Heil. Reichs Heerzügen und im Veld jewelts einer Statt Strasburg Fahnen neben des Reichs Adler vor allen Stätten geflogen und getragen worden, auch im Veldläger ihr Volck dermassen losirt und gelegen, und sonderlich im jüngsten Zug von Regenspurg wider die Böhmen; So sollen Herr Bernhart und Schweikhart, das es jetzo in diesem Veldzug und sonderlich in dem Reinischen Kreiß wiederum dermassen beschehe und gehalten werde anhalten, dasselbig auch mit keinem ding nach-

geben noch underlassen: cujus mandati auctoritas Anno subsequenti 33. d. 16. Januar. pœnâ signiferi peditum, ob servata parum religiose mandata exauctorati sancita est. Descriptio ejus facti in *Excerptis privilegiorum MSCC. sub tit. Freyheit der Tribut und Reichs Schilling* hæc extat: *unter dem Fueß-Volck bey diesem Zug seind Engelhardt von Speichingen Hauptmann und Caspar von Lohr Fendrich gevvesen, und wiewol demselben Caspar dem Fendrich (wie Er dann bey der Statt Strasburg Fendlein zu bleiben geschwohren) sonders befohlen solch Fendlein nit lassen under zuthun, hatt Er doch solch Fendlein zu Wien im Lager von der Stangen gethan und ein anders Herr Philipsen von Dhun, Herrn zu Oberstein, und Falckenstein, des Reinischen Kreiß-Obersten Hauptmanns farb habend an die Stang gethan, fliegen lassen und getragen. Darum Er alsbald Er wieder gen Strasburg kommen durch die Herren XIII. zu red gestelt, und als Er von meinen Herrn ein Zeitlang mit jährlichem Dienstgelt begabt gewesen, wardt Er deshalb geurlaubt und ihm sein Dienstgelt abgekündet.*

CAPUT V.

Custodes Imperialis vexilli: Præpositi Laborum: Duces expeditionum à munere custodiendi vexilli dicti Vexilliferi: Die Bander Herren: Suevorum præcedentia in exercitu Imperiali.

DE custodiendis muniendisque diligenter & accurate signis militaribus, prudentiæ atque disciplinæ bellicæ ex omni ævo regula, propriique rei militaris Scriptores præcipiunt: quos hic non exscribimus: uti nec illa quæ de antesignano & subsignano milite sunt à viris doctis disputata. Apud *Livium* frequenter videas nominari *robur militum circa signa*: pro quo *Plinius Hist. Nat. XIII, 4. horrida custodiis signa* usurpavit: quod tamen *de carcere apud signa* potius quam de præsidio signorum *Lipsius* mavult intelligi. Apud *Wittichindum*, quod huc propius spectat, *Angelus Ottonis M.* memoratur *denso agmine circumseptus:* & in expeditione Mediolanensi Fridericus. I. referente *Gunthero:*

Mauric. Strateg. II, 14. vid. Lips. de Mil. Rom. IV, 3. Schel. in Hygin. p. 36. de Mil. Rom. IV, 6. Lib. 3. Ligurin. lib. 7.

quæ

—— qua Cæſareæ ſignum Latiale cohortis
Regia fulget avis, magnorum denſa virorum
Agmina ceu magni glomeravit viſcera regni.

Ex inſtituto Conſtantini M. hæc tuendi primarii vexilli cura commiſſa eſt τῶν ἀμφ' αὐτὸν ὑπασπιστῶν τοῖς καὶ σώματος ἰσχύϊ καὶ ψυχῆς ἀρετῇ καὶ θεοσεβείας τρόποις ἐγκρίτοις. ἦσαν δ' ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν οὐχ ἧττους πεντήκοντα. *Lectis ex Protectorum numero*, uti *Henr. Valeſius* hunc locum vertit, *quotquot corporis viribus & animi fortitudine ac veræ religionis inſtitutis præſtare videbantur. Erant omnes quinquaginta viri*: Illi nimirum *qui* cum *ex devotiſſimis domeſticorum Scholis præpoſiti Laborum* (forte *Labors* legendum; *nam unicum eo tempore Labarum erat*) *eſſent promoti, ad ſimilitudinem decem primorum domeſticorum Clariſſimi erant inter allectos: atq; ita ut ex Conſularibus habebantur*, id eſt, *interprete Jacobo Gutherio, quaſi Provinciarum Conſulares fuiſſent*: quoſque Imperatorii *lateris comitatus inluſtrabat*. Secundum *Conſtitutionem Impp. Honorij & Theodoſii*: quæ producto *Euſebij* loco ſatis abundeque lucis mutuatur, & ab eo viciſſim recipit.

Euſeb. de Vit. Conſt. II, 8.

de Off. dom. Aug. I, 15. L. un. C. de Præpoſ. Lab. Add. C. Th. lib. 6, t. 25.

Propiorum temporum conſuetudine Ducibus cujuſque expeditionis & Præfectis curam vexilli cuſtodiendi ſeorſum atque eximie commendari obtinuit; quibus exinde haud raro *vexilliferorum* nomen tributum obſervare licet. Sicut Albertum Habſpurgicum Rudolphi I. Imp. Patrem, ipſumque etiam Rudolphum, *vexilliferos urbis Argentoratenſis, paralipomeνων ad Abbatis Urſpergenſis chronicon Scriptor* vocat: quos præfectos militares civitatis Argentoratenſis fuiſſe ex *Gerardo de Roo* diſcimus. *Chronicon MSC.* vetus, eos conjunctis elogiis nominat *Leyter und Venre der Stette zu Strosburg: Diſer Kunig Rudolff was Grofe Albrechts Sun von Habesburg der do was ein Land-Grofe des Oberen Elſaſes unn ein Leyter, unn ein Venre der Stette zu Strosburg unn behoup ouch die Statt zu Strosburg mit ſiner helfe manigen geſig by den Ziten, do Herr Heinrich von Veringen unn Herr Bechtolt von Tecke Byſchöffe warent zu Strosburg. Unn do Kunig Rudolfes Vatter geſtarp, do tratt Kunig Rudolff an ſines Vatters ſtett, unn ward ouch Venre der Stette zu Strosburg.*

A. C. 1273.

Hiſt. Auſtr. lib. 1. p. 7. & 9.

Ad

Ad ipſam vero cuſtodiam atque præſidium Imperialis vexilli, ne tum quidem, niſi honoratiſſimis aditus erat; quos ex munere tuendi gerendique alternatim, exemplo Præpoſitorum quos Conſtantinus M. conſtituit, vexilli Imperialis nomen tuliſſe, ut vocarentur *die Bander-Herren*, omnino probabilis *Caſpari à Lerch* ſententia eſt *in dem Reichs Ritterlichen Adels Herkommen und Freyheitsbericht: Fundam.* 1. *num.* 47. aliis nomen illud in ſenſum uſumque diverſum trahentibus. vid. *Hœping. de Jur. inſign. c.* 17. *n.* 313.

Et univerſa inſuper Imperialis aciei ordinatio ita inſtruebatur, ut in primis ordinibus tanquam προμάχοι τῶν σημείων *propugnatores ſignorum* collocarentur, qui bellicæ virtutis factorumque gloria præ cæteris nomen meruiſſent. quem honorem ex
A.C. 1075. peculiari privilegio *Lambertus Schaffnaburgenſis* Suevis vindicat: *quibus ab antiquis jam diebus lege latum eſſe*, ait, *ut in omni expeditione Regis Teutonici ipſi exercitum præcedere & primi committere debeant.* Quo nomine cum Albertus Auſtriæ Dux, in Thuricenſes movens, Epiſcopo Conſtantienſi, Suevorum in illa expeditione præfecto, controverſiam moviſſet, nec induci ſe pateretur, ut priorem Suevis locum relinqueret; *Epiſcopus cum ſuis receſſit: nolens minuere jus Suevorum.* (Chron. A. 1354.) *De quo Dux (Alberti Argentinenſis judicio) nimium eſt commodus: Gens namq; Suevorum à tempore Caroli & aliorum Principum, quod in expeditionibus primum conflictum habere debeant, viribus & virtutibus meruerant.* Neque tamen deſunt exempla, quibus non tam rigide ſemper urſiſſe jus ſuum Suevos conſtat. Nam & in exercitu Ottonis M. ſextam & ſeptimam legionem Suevos conſtituiſſe *Witichindus lib.* 3. (p. 161.) *Abbas Urſpergenſis in Chronico* aſſerunt: & in expeditione Joannis Lucemburgici contra Henricum Boëmiæ regem, Francos, Saxones, Thuringos, Suevos de primo loco ſorte conſueviſſe decernere *Mutius* autor eſt. (Lib. XXIII. circ. med.)

CAPUT

CAPUT VI.

Usus Imperialis vexilli communes perstringuntur: in bello promulgando: in prælio indicendo: in acie ordinanda: in deditione facienda: in inaugurationibus Cæsarum: in judiciis exercendis: in feudis regalibus conferendis: Usus proprius vexilli Imperialis, obligatione & jure Ordinum Imperij declaratus.

POteramus locum præcedentem latius diducere, & fortasse non erat inconveniens, postquam de custodibus Imperialis vexilli actum est, legum ac pœnarum enumerationem instituere, quæ *in desertores signorum* olim hodieque sunt sancitæ. Sed cum illud crimen, si quis accurate rem æstimet, non tam vexilli quam sacramenti militaris violatam religionem designet, nec ad Imperiale vexillum nisi generaliter & ex longinquo referri possit, facilius brevitatis veniam nos impetraturos speravimus, quam lineæ vel ruptæ vel desertæ, quæ ad Imperiale vexillum arctius tractationem nostram propiusque adstringit. Unde nec sub hoc capite expectari à nobis debet, ut diffusam narrationem texamus *de usu signorum militarium in universum*: perstringendus tamen annotatione summaria veluti per indicem fuerit *usus vexillorum*:

I. *In bello promulgando & convocando exercitu*: de quo *Servius* distincte ad illud *Virgilij*: *Æn. VII, 1.*

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit.

Exemplum recentius neque alienum ab hoc loco *Albertus Argentinensis* exhibet de Carolo IV. Reg. Rom. *Qui audito, quod Rupertus Dux Bavariæ haberet castrum dictum Nova Curia, distans ad unam leucam à civitate Spira, in qua latitarent latrones, qui mercatores transeuntes publicam viam versus Wormatiam, in nemore dicto* Rechholtz *despoliarent: statim bannerium suum, quod dicitur* *Chron. A.C. 1349.*

Sturm-Fahn, *super turrim Ecclesiæ Spirensis constituit, & populo civitatis ad arma mandari per magistros civium præcepit.*

de B. G. II, 20. II. *In prœlio indicendo*: quo referunt *Cæsaris* illud: *Cæsari omnia uno tempore erant agenda: vexillum proponendum, quod erat insigne, cum ad arma concurri oporteret.* Add. *Lips. ad Tac.* I. *A.* 39, 3.

III. *In acie ordinanda: cohortibusq; & ordinibus distinguendis*: cujus rei gratia Ægyptios primum signa militaria excogi-*I, 86.* tasse, *Diodorus Siculus initio Bibliothecæ* refert: de quo copiosa scriptorum militarium præcepta extant. vid. *Mauric. Strateg. lib.* I. *c.* 2. & *lib.* 2. *c.* 13. 19. *post Veget. de Re mil.* III, 5. *Leonem & Constantinum Porphyrogenetam in Tacticis passim.*

Annal. A. C. 1175. IV. *In deditione facienda*: *Godfridus Coloniensis* de Mediolanensibus: *Omnis illa terribilis acies ad castra Cæsaris prostrata, pacem & misericordiam postulabat, nudos in cervicibus gladios portantes. Certatim quoq; ad Imperatorem currentes vexilla cunctarum urbium ipsi resignaverunt.* Putant & illud *Scævæ* apud *Lucanum* huc *Pharsal. VI, 242.* pertinere:

—— pacem gladio si quærit ab isto
Magnus, adorato submittat Cæsare signa.

Sed vexilla submittunt non illi tantum, qui Imperio alterius subsunt, sed & ii, qui nihil aliud quam potentiam alterius venerantur, quique ex fœdere inæquali tenetur majestatem alterius comiter habere: quod legibus & formulis nauticorum præsertim sive maritimorum fœderum caveri solet: quibus diligenter plerumque videas definiri: *Welcher Theil vor dem andern soll die Flacken oder Segel streichen.* Add. *Henric. Vales. ad Amm. Marcellin. lib.* 26. *p.* 324.

V. *In inaugurationibus Principum* aliisque solennibus pu-*lib. I. Sect. 5. c. 3.* blicæ pompæ spectaculis: *In Cerimoniali Romano*, Imperatoris in Urbem Romam ingressus hoc modo describitur: *Postera die Cæsar per portam quæ est sub arce S. Angeli hoc ordine quasi triumphans ingreditur: Primo die equites vexilla duo Cæsaris portant, alterum S. Georgij quod ad Suevorum pertinet custodiam, Aquilæ alterum.* & jam olim in celebrando Honorii Aug. consulatu IV. describente *Claudiano*: *d. IV. Cons. Honor. v. 5.*

armo-

—— armorum proceres legumq́ potentes
Patricios sumunt habitus, & more Gabino
Discolor incedit legio, positisq́ parumper
Bellorum signis sequitur vexilla Quirini.

Et in ingressibus in urbem atque triumphis ambitiose semper Romani Cæsares *vexilla hostium, Legionum, collegiorum auro argentoq́ rigentia* ostentant. Exempla vid. in *Trebellij Pollion. Gallienis: Vopisci Aureliano: Amm. Marcell. lib.16. p.75. & seq. ed. Lindenbrog.*

VI. In judiciis exercendis: quò adhibita sequiori ævo vexilla, citationis præsertim causa, eaque ratione *bannum* dictum à *banneria* plures tradidere, relati *Lexicographis Juris Publici* & apud *Gailium de Pace Publ. l.2. c.1. n.7. Gryphiander* tamen, quanquam & ipse *Iliconem Ummium* secutus, *erectionem vexilli veteri consuetudine pro citatione habitam* tradidisset, *vexilla judiciis appensa nullibi legi asserit.* Apud Romanos olim, cum centuriata comitia haberentur, vexillum in Janiculo statutum confirmant illa ex *oratione Consulis ad Quirites* apud *Livium*: *Majores vestri ne vos quidem, nisi cum vexillo in arce posito comitiorum causa exercitus eductus esset, temere coire voluerunt*: & uberius explicat *Dio Cassius lib.37. ed. Leunclav. pag.42.* *de Weichb. Sax. c. 67. n. 14. c. 68. n. 19.* *XXXIX, 15.*

VII. In feudis regalibus solenni investitura conferendis, aut renovandis: cujus cerimoniæ descriptionem in exemplis memorabilibus exhibent *Otto Frisingensis de vit. Frid. I. lib.2. c.5.* & jungendus illi *Guntherus in Ligurin. lib.1. Mameranus apud Goldastum in Politicis Imperialibus. p.386.* & cum eo conferendus *Sleidanus lib.20. p.347.* Addatur descriptio investituræ Ducum Pomeraniæ apud *Goldastum in Politicis Imperialibus VI. 3.* & *Crusium in Annalibus Suevicis p.3. lib.11. c.6.* An autem hodie in usu adhuc mos iste? disquirit & contra dissentientes affirmat *Limnæus Addit. ad Jus Publ. tom.1. ad lib. 4. c. 7. n.32.* Cætera quæ huc pertinent exequuntur *Interpretes Juris Feudalis ad 1. F.14. & 2. F.10.* tum *Commentatores in Auream Bullam ad cap.5. §.1.* Annumerata autem & alias militaribus prœmiis vexilla non ex veteri tantum instituto Romanorum, ex quo *Probus donatus hastis puris quatuor, vexillis puris quatuor. ap. Vopisc. in Probo cap.5. Aurelianus hastis puris decem, vexillis bicoloribus quatuor.* apud *eundem in Aurelian. c.13.* me- *vid. Claud. Salmas. ad h. l.*

N 2 mora-

moratur, dignumque habitum esse constat, quod elogiis & titulis sepulchrorum insereretur, si quis bellica virtute vexillis ab Imperatore donari meruisset. vid. *in Opere Gruteriano* p. CCCLXXV: *inscr.* 1. CCCCIII, 1. CCCCXIV, 8. CCCCXXX, 5. CCCCXXXVII, 7. CCCCXCIII, 1. CCCCXCVIII, 13. MXXVIII, 6. Sed recentioribus etiam exemplis potest confirmari: inter quæ fas fuerit in publicam notitiam vindicare insigne Friderici III. Cæs. munus: à quo ipsum Imperiale vexillum, ob navatam fortiter operam in expeditione Burgundica, cujus supra mentionem fecimus, dono acceperunt Argentinenses: quod cum è castris Cæsaris domum referret *Jacobus Bockius hypostrategus copiarum nostrarum,* nam supremus præfectus Müllenhemius cum sedecim equitibus apud Cæsarem manebat, *Spirâ literas ad Senatum d. Lunæ post Margaretæ.* 1475. hoc tenore perscripsit: *Se venia Cæsaris jam redire & d. Mercurij circa meridiem in Urbe fore; Cæsarem sex civitatibus (den sechs Stätten) vexillum Imperiale commendasse in singulos dies alternatim & per vices gestandum, ita ut revoluto sex diebus orbe, à primis denuo initium fieret; cum itaq; Argentinenses in omnibus civitatum negotiis primum locum obtineant, vexilli quoq; gerendi munus illis primo die obtigisse: Und hat sich hiermit* (pergit ille) *also geschickt, do die K. M. mit sampt Kur-Fürsten und Fürsten öch mit allem Heerzug wider in Cölne gezogen ist, do hant wir des H. Richs Ventle mit dem Adeler aber gehabt, nun im Velde allernächst by Kolne do hat Herr Lips von Müllnheim und Hans von Kageneck mit unserm Gn. Herrn dem Margr. von Brandenburgk geredt, und sin Gnade gebetten, einer Statt von Strasburg uß Kayserl. Gewalt und Macht die Ere lossen geschehen, und des H. Richs Ventlin uns gunnen und lossen, der Statt Strasburg heim zu bringen, angesehen ihr kostliche gehorsame und gutwillig Dienst. Solches ist uwer Wißheit gegunt mit gutem Willen und uch lieber den andern Stätten.* Q. *Was wir uns mit demselben Venlin halten sollent, ob wir es an ein gleen sollent slahen, und offentlich in uwer Statt führen, oder es in dem Trog lossen beschlossen ligen do es inne lit.*

Sed hæc quidem quanquam præclara sint & annotatione non indigna, ad vexillum tamen imperiale non nisi communiter respiciunt: cujus usus vere demum eximius, solennis, singularis,

laris, proprius in hoc consistit, quod in expeditionibus Imperii publicis, commune totius Imperii auspicium exhibet & repræsentat: quo quantum reconditæ majestatis, venerationis, efficaciæ contineatur, calamo designari in hoc transcursu non potest: quatenus id tamen obvia magis faciliorique observatione atque descriptione se patitur comprehendi, haud difficulter queat referri, *tum* ad obligationem, *tum* ad Jus Statuum Imperii. *Obligatio* Statuum in eo consistit, quod erecta explicataque Imperii Aquila & expeditione Imperii nomine nunciata, Status ad Imperiale vexillum convocati, instructo probe & secundum calculum Imperii publicum numeroso milite adesse tenentur, & quo Cæsaris mandato vexillum Imperiale fertur, eò qua Imperio adstricti sunt fide, sequi: ita ut nec abscedere à vexillo Imperiali nisi Cæsaris venia possint. *Jus* Statuum maxime insigne in eo versatur, quod expeditione solenni vexillo Imperiali adjuncti, abstrahi ab illo atque alio ablegari inviti non possunt. Omnibus quidem in universum Statibus tribuere jus istud non ausim: sed Argentoratensis certe Civitas acriter illud cordateque sibi asseruit, memorabili exemplo, quod dicam: Tempore quo contra Carolum Audacem, Burgundiæ Ducem, non Novesio magis, quod obsidebat, quam Imperio gravem infestumque, Fridericus III. Imp. insignem ex Imperio exercitum contraxerat, Argentoratenses quoque cum lecta militum manu Cæsari adfuisse, jam ex iis quæ superius dicta sunt potest intelligi. Locum castris Cæsar subjectos Coloniæ Agrippinæ campos delegerat: ubi cum trahere bellum contra hostem ferocem statuisset, ut tamen consilia ejus & conatus omnes ex propinquo certius specularetur, nostris mandavit, ut oppidum imminens castris Burgundi, Suntinam, sive Sunzium nominant, occuparent, eique ad aliquod tempus essent præsidio: verba mandati hæc fuere:

Unſern und des Richs lieben getruvven N. den Houptluten der von Strasburg Volk.

Fridrich von Gotts Gnoden Römiſcher Keiſer, zu allen ziten merer des Richs.

Lieben getruvven, Wir haben beſtelt, das ihr mit uvverm Volk etlich tag zu Suntz ligen ſollent, und begern daruf an uch, ihr vvellet uch mit demſelben uvverm Volk doſelb hin gen Suntz fügen, und do bis uf unſer ferrer geſchefft uvvern Leger haben, daran tutt ir unſer meynung und gut gevallen. Geben zu Collen am Frytag vor dem Suntag Miſericordia Dom. An. LXXVto. Unſers Keiſertums im vier und zvveintzigſten Jore.

Ad mandatum proprium Dom. Imperatoris.

Hæc poſtquam ad præfectos noſtros eſſent perlata, illi in tanta re nihil temere aggrediendum rati, quanta poſſunt celeritate ac diligentia Suntinam ſe conferunt: exploraturi locum fidei ſuæ atque tutelæ deſtinatum: quem ubi neque validum munimentis ad vim ac impetum hoſtium ſuſtinendum, neque annona cœteroque apparatu militari ad tolerandam obſidionem inſtructum comperêre, inde propere in caſtra Cæſaris reverſi, cum apud ſe decreviſſent quocunque modo efficere, ne certiſſimo periculo atque dedecori ſuos cogerentur objicere, ad mandatum Cæſaris reſpondent: *Die K. M. habe an die Statt Strasburg begehrt, das man ſin K. gnaden ſolt Volk zuſchiken, alsdann wolt ſich ſin K. gnaden fügen in das Veld, und fürter mit hilff Gotts mit hereskrafft den Hertzogen von Burgun. underſton zubeſtritten: uf inhalt der mandat werent ſie uſſgevertiget zu ſiner K. gnaden, wann und uff wellicher zit ſin K. gnade in das Veld zihen wer oder wem das zu tun an ſtatt ſiner K. gnaden empfohlend wurde, undertäniglich und williclich nachvolgen, mit ſamt den Fürſten, Herren und*

und Stetten, und warten uff des Heiligen Richs Banner, aber das sie empfehle hätten, einich nebent Läger zunemmen, oder sich zu tun von Fürsten, Herrn, oder Stetten, oder des Heiligen Richs Banner, hetten sie nit. Simul scriptis festinanter ad Senatum literis *d. domin. Jubilate A. LXXV.* Eum & quid Cæsar mandasset & de suo responso reddunt certiorem: cumque Cæsar denuo urgeret mandata priora, iterum Senatum per literas *d. vener. post domin. Jubilate Ao. LXXV. scriptas*, de periculo suo edocent, si se abstrahi à Vexillo Imperiali paterentur: simul addunt, alias Civitates peculiariter se alicui Principum adjunxisse, sub quorum patrocinio ductuque sæpe præclara facinora perpetrent: suam virtutem ita notam in exercitu Imperatorio esse, & de ea tam bene sentire Principes, ut nisi Senatui aliter videretur, facile reperturos se sperent, à quibus cupide & magno cum honore suo reciperentur. Respondet ad hæc Senatus: quod ad mandatum Cæsaris respondissent præfecti, id se censere ex officio & dignitate bonorum ac fortium virorum esse responsum: cœtera in re præsenti ipsos Præfectos rectius atque prudentius æstimaturos: Literarum istarum hæc in tabulario Reip. formula extat:

Wir Diebold von Mülnheim Ritter der Meister und der Rath zu Strasburg, Entbietent den Strengen Vesten und Erbern, unsern der Statt Strasburg Houptlüten und Ratsfründen im Keiserlichen Here, vvas vvir früntschafft und guts vermögent, noch verhörung uvver geschrifft uns by Speckel den Botten gesand, Tunt vvir uch gütlich zu vvissen, das uns gar vvol gevellet uvver Antvvort vvie jr dann uff unsers Allergnedigsten Herrn des Römischen Keisers anmutunge Schlos und Stettels Suntz halb an uch bescheen geantvvort haben, und uch erbotten, by des Heiligen Richs baner zu bliben im Velde zu helffen striten, stürmen, und zu tun vvas frommen Lüten vvol anstande, uns beduncket ouch, das jr uch damit erelich und redelich erbotten haben, und vvir zvvifeln

feln auch nit vvas uch fürter anlanget, jhr vvissent uch darinne nach gebürlichheit aber vvol zu halten, fürbas als jr uns schriben, das sich etlich Stette zu etlichen Fürsten geton haben, vvas jr darinne tun sollen oder nit. Ist unser Meynunge, vvelchen Fürsten des Richs Venlin empfohlen vvürt, an stat der Keyserlichen Majestat, so verston jr selbs vvol vvas darinne oder noch aller ander gestalt, der vvir nit vvissen vvas sich machen möchte, uch gebürlich und uns erlich und nutzlich ist zu tun, Darum so tunt in den dingen allen das beste, vvas uch dann nach uvver besten Verstentnisse, by uvvern Eiden das beste geraten beduncket, als vvir uch des und aller eren und alles guten vvol getruvvent, Geben uff Mitvvoch nach dem Sontag Cantate Anno LXXV.

Interim Cæsar nihil sibi omittendum ratus, quo nostros ad cetera obsequia firmius adstringeret, à Senatu per epistolam petit, ut ad præstandum sibi sacramentum suos adigeret: his verbis;

Friderich von Gottes Gnaden Römischer Keiser zu allen Zyten Merer des Richs, &c.

ERsamen lieben getruvven, vvir haben an dem Volck und Zeugk so jr uns jetz vvider den Hertzogen von Burgundi hergeschickt habet, sunder danck neme gefallen, und begeren daruff an uch mit ernst entpfelhende, das Ir uvvern Houptlüten desselben uvvers Volcks fürderlich herabe schribet und ernstlich schaffet und bestellet, das sie uns Glübde und Eide tun, uns in der Hilff vvider den genanten von Burgundi von uvvern vvegen getruvv gehorsam und gevvertig zu sin, als sich dann gebürt, und

und domit nit verziehet, des tun Wir uns gentzlich zu uch verloſſen, Geben zu Collen an Fritag vor dem Sontag Jubilate Anno Dom. LXXV. Unſers Keiſertums im vier und zvventzigſten Jore.

Ad Mandatum proprium

Dom. Imperator.

Hoc ſic eſt acceptum à Senatu, ac ſi nihil aliud quam præſidium & robur mandatis prioribus quæreret Cæſar, quo facilius noſtros à Vexillo Imperiali Suntinam removeret: itaque agendi de ea re cum Cæſare hanc ad Præfectos ſuos formulam miſit.

Allergnädigſter Herr, als uwer Keyſerlich Gnade den Reten der Statt Strasburg hat tun ſchriben und entpfehlen, mit uns zu ſchaffen und zu globen und zu ſchweren uwern Keyſerlichen Gnaden in der Hülff von unſern wegen, wider den Hertzog von Burgunde getruwe gehorſam, und gewertig zu ſin, ſollichs haben ſie uns empfohlen zu tun mit ſollicher luterunge, das wir und die jren, nit von uwern Keyſerlichen und des heiligen Richs Baner in ander Leger geleit werden, ſonder by demſelben Baner bliben, als unſer Altforderen in ſemlichen Geſcheffden by ſollichem Baner je und je blyben ſint.

Simul additæ literæ prolixiores, quibus, quid in univerſo eo negotio ſibi foret agendum, prudentiſſima omnium momentorum & circumſtantiarum diſcretione præfecti monebantur. & id hoc quidem tenore:

WIr Diebold von Mülnheim Ritter, der Meiſter und der Rath zu Strasburg, Entbieten den Strengen und Erbaren unſern der Statt Strasburg Houptlüten in dem Keiſerlichen Heere, vvas Wir fründſchafft und guts vermögent, und ſchicken uch hie ein copie, vvie Unſer Allergnädigſter Herre der Römiſche Kayſer uns hat tun ſchriben, Glübte und Eide der gehorſamkeit halb, ſo ſin Kayſerliche Mayeſtat von uch begerten, und iſt daruff unſer Meynunge, ob jhr

O uch

uch vor zukunfft dis Brifes an anderer Stette Houptlüten nit erfaren hetten, das jr dann in einer geheim an jr zvven oder dryen von den redelichſten Stetten erfaren, ob ſolch ſvveren auch an ſie gemütet ſy, oder ob es an ſie begert vvürde, zu vvas vvillens ſie darinne geneiget vverent. Item ob es an ander Stette nit begert vvere, ſo haben villicht dieſelben Stett vormals der Kayſerlichen Mayeſtat ſelbs geſvvoren, darum und noch dem vvir vernommen, das in andern groſſen Heerzugen geſehen, und auch gevvonlich ſy, das man geſchvvoren habe, dem Obern Hauptmann getruvve und gehorſam zu ſin in Sturmen, in Striten und in Velt-Geſcheſſten des Herezuges, ſo haben vvir auch vvol bedocht, vvie Ihr uns vorgeſchrieben haben, das an uch gemutet ſy, uch gen Suntz loſſen zu legen, und das zu bevvaren, &c. Wann jr do die Gehorſamkeit ſvvuren, ſo vvurdet jhr dem Eide noch gemant deſſelben gehorſam zu ſin damit jr us dem Kayſerlichen Here zertrennet, oder von dem Kayſerlichen und des Richs Baner abgeſundert vvurdent, das uns nit lieb vver, noch dem vor alten Joren by lobelichen Gedechtniſſen alten Römiſchen Kayſerlichen und Küniglichen Herezugen, Unſer altforderen ſo die Zit dozu geſandt vvorent allevvegen by des Heyligen Richs Banier gevvertig und gehorſam gevveſzt und bliben ſindt, Solichs vvie es alſo by alten Züten gehalten und Unſer alt herkommen iſt, haben Ihr uch als vvir in uvver geſchrifft verſtanden haben, vor müntlich erelich und redelich erbotten, demnoch ſo iſt Unſer Rath, das Ihr uch zu der Kayſerlichen Mayeſtat fugen und reden; Allergnädigſter Herr, als uvvern Kayſerliche

liche gnade den Räthen der Statt Strasburg, hat tun ſchriben und entpfelhen mit uns zu ſchaffen, zu globen und zu ſvveren uvvren Kayſerlichen gnaden in der hülff von unſervvegen vvider den Hertzogen von Burgunde getruvve gehorſam und gevvertig zu ſin, ſolichs habent ſie uns entpfolhen zu tůn mit ſolicher lüterunge, das vvir und die jren nit von uvverm Kayſerlichen und des Heiligen Richs Baner in ander Leger geleit vverden, ſonder bliben by uvverm Kayſerlichen und des Heiligen Richs Baner, als unſer altfordern je und je bliben ſindt, und je ouch hoffen daby von unſervvegen erelich und redelich zu bliben und ouch getruvvelich zu thun, alles das from Lute als ſiner Kayſerlich gnade und des Heiligen Richs underthonen billich tun ſollent. Dodurch jhr in unzvvifelicher hoffnunge ſtont, von ſiner Kayſerlichen gnaden gnädigen dank gehorſamtlich und gutvvilliglich zuverdienen, und bitten ſin Kayſerlich Mayeſtat demütiglich, ſolch uvver demütig erbieten gnädiglich uffzunemmen; vvere aber das die Kayſerliche Mayeſtat dorüber meinen vvolt, jr ſolten die obgemelt lüterung abſtellen, und ſiner gnaden die gehorſamkeit unverdinget ſvveren, er vvolt uch dannoch by ſinen und des Richs Venlin loſſen bliben, und doby zu den ehren bruchen, ſo ſvverent in dem nammen Gotts, und tunt mit Gotts hülff das beſte, Wolt aber kein ſolich gnädig vvort uch begegnen, ſunder je ſtraks beharret vverden, jr ſolten one alle fürvvort ſvveren, ſo redent, jr vvellent als underthänige gehorſamen ſvveren uff gnade und uff gut hoffenunge, jr vverdent gnädiglich geloſſen bliben by dem Kayſerlichen und des Heiligen Richs Baner,

O 2 Es

Es vverde ouch von ſiner Kayſerlichen Gnaden gnädiglich bedocht, der Statt Strasburg gros darleigunge Coſt und übunge ſo ſie jetz mit jrem Volk und Gezüge mercklich donydenan habe, ouch vormals etvva lange Zyt in Oberland gehabt und noch hat, mit eim reiſigen Gezüge zu Mümpelgart, dorzu jetzt ouch einen ritenden Gezüg, dorüber Herr Friderich Bock Ritter, und Herr Peter Schott alt Ammeiſter Houptlüte ſind, uff hüt usgeſant, zu ritten zu unſern Fründen von Bern und etlichen jren Eidgnoſſen, als die in Obern Burgunde zu Velde gezogen ſint, und vvillen haben, etvvas treffenlichs fürzunemmen, mit hülff des Allmächtigen Gottes, ſolichs und vvas uch beduncket gnade und guten vvillen zu bringen, ſagent der Kayſerlichen Mayeſtat und tunt das beſte als Ir vvol können, und vvir uch des beſunder getruvven. Geben uff Samſtag nach Cantate Ao. LXXV.

Sed Cæſar de fide noſtrorum atque virtute ex multis atque illuſtribus ſpeciminibus certus, eis remiſſa obſequendi neceſſitate, jure ſuo integro atque illibato, & plurimis inſuper in ea expeditione, Auguſtæ benevolentiæ gratiæque pignoribus frui, permiſit.

DISSERTATIO

DISSERTATIO VI.

DE LEGIBUS AGRARIIS POPULI ROMANI.

QUi Romani Populi res pace belloque gestas ad institutionem Civilis Sapientiæ commendant, illi nec ignorare facile possunt, nec fere diffiteri solent, eminenti quodam & præcipuo laudis genere, hanc commendationem in illorum temporum acta congruere, quibus, post institutum à L. Bruto Consulatum, Principatus Cæsarum & Regia dominatio distinguuntur. abundante quippe tum maxime memorabilium consiliorum atque eventuum disciplinâ. cum enisura ex initiis suis libertas Principis Populi, & incomparabilis potentia, foris exercitus cum validissimis gentibus, domi Consules cum Tribunis, Plebem cum Optimatibus, assiduâ velut acie commissos, ad cotidiana magnorum facinorum experimenta incenderet. Quod præ cæteris eorum scripturæ dignitatem fructumque conciliat, qui veteres Populi Romani res composuere. *Ingentia illi bella*, ut profunde concinneque *Tacitus* complectitur, *expugnationes urbium, fusos captosq; Reges, aut si quando ad interna præverterent, discordias Consulum adversum Tribunos, agrarias frumentariasq; Leges, plebis & optimatium certamina libero egressu memorabant.* Atque hinc ad præsentes usus selecta observatio non ignobile argumentum exhibere videbatur, quod sub præscripto Indice, brevi delineatione comprehensum uberiori Commilitonum meditationi insinuaremus. non tam persequendo, quæ ad exhauriendam rei amplitudinem, quam excerpendo, quæ ad usum profectusque studii Civilis pertinere existimabantur. Nam neque proferre latius terminos instituti hujus commentationis patiebatur; quod non minus, quam privatorum fundorum fines, par erat prudentium Agri-

Resp. Jo. Georg. Ludov. Zollmann, Arg. 10. Octob. 1674.

4. A. 32, 2.

Sicul. Flaccus de Conditione Agror. pag. 2. Columell. I, 3.

mensorum præcepto regi: *ut modus cuiq; sua moderata voluntas facultasq; esset: neq; cupiditate amplius amplecteretur quam posset colere.* Quid vero mirandum, si sterile spicilegium reperiatur, quod post exactissimam legum Agrariarum enarrationem adornamus, quam *Antonius Augustinus,* & *Carolus Sigonius* suis operibus, ille *de Legibus & SCtis,* hic *de antiquo Italiæ Jure,* inseruerunt.

CAPUT I.

Origo Legum Agrariarum. assignatio agrorum à Romulo instituta. διάταγμα βασιλικὸν *Servij Regis. objectio ex Floro, submota. Livij testimonium ex originaria Legis Agrariæ significatione assertum.*

ORiginem agrariarum Legum à *Licinia* rogatione *de quingentis jugeribus, Appianus* (*de Bell. Civil. lib.* 1. *p.*354.) & *Plutarchus* (*in Tib. Graccho*) arcessunt: omissa mentione *Cassiæ* Legis; quippe intercessione Virginii Consulis, optimatiumque molitionibus antiquatæ, priusquam perferretur. à qua tamen seriem legum turbarumque Agrariarum orditur *Livius* II, 41. *Tum primum* (Spurio Cassio nimirum & Proculo Virginio Coss.) *Lex Agraria promulgata est: nunquam deinde usq; ad hanc memoriam sine maximis motibus rerum agitata.* Altius ascendit *Dionysius Halicarnassensis*, qui Regia quoque instituta sanctionesque memorat, neque Argumento ab Agrariis Legibus discrepantes; auctoritate vero successuque etiam superiores. Quibus si inter leges Agrarias locus tribuitur, vacillabit *Livij* auctoritas; neque tamen idonea ratio apparet, qua in hoc ordine, agraria potius plebiscita, quam Regiæ constitutiones tolerentur: si quis strictiori & *popularibus rogationibus tantum convenienti Legum acceptione* eas pararet excludere. Romulum certe non assignasse tantum & divisisse agros populo; sed divisos etiam certo modo circumscripsisse, multis & luculentis Veterum testimoniis confirmari potest. *Dionysius Halicarnassensis lib. II.* ὡς διεκελεύσατό τε ἅπαντες, καὶ συνετάχθησαν εἰς φυλὰς καὶ φράτρας, διελὼν τὴν γῆν εἰς τριάκοντα κλήρους ἴσους, ἑκάστῃ φράτρᾳ κλῆρον ἀπέδωκεν ἕνα. *digesto per tribus atq; curias populo, agrum in triginta sortes æquales divisit,*

visit, singulisq; curiis sortem attribuit. Alii mensuram addunt, qua divisus per Curias ager viritim singulis est assignatus. *Varro de Re Rustica I, 10. quantum attinet ad antiquos nostros,* (agrorum modos) *ante bellum Punicum pendebant bina jugera; quod a Romulo primum divisa dicebantur viritim. Plinius Hist. Nat. XIIX, 2.* de Romuli temporibus: *bina tunc jugera Populo Romano satis erant: nulliq; majorem modum* (Romulus) *attribuit.* Neque alio pertinet, quod apud *Siculum Flaccum* legitur: *cum antiqui Romanorum,* *de Condit. Agror.* *agrum ex hoste captum victori populo per bina jugera partiti sunt, centenis hominibus ducentena jugera dederunt, & ex hoc facto centuria juste appellata est.*

Nec minus nobilem rei agrariæ partem Servius Tullius *edicto Regio* complexus est. διάταγμα βασιλικὸν vocat Dionysius, *lib. IV. pag. 160.* ejusque hoc argumentum refert: ἐκχωρεῖν τῆς δημοσίας γῆς τοὺς καρπουμένους τε καὶ ἰδίᾳ κατέχοντας αὐτὴν ἐν ὡρισμένῳ τινὶ χρόνῳ, καὶ τοὺς οὐδένα κλῆρον ἔχοντας τῶν πολιτῶν πρὸς ἑαυτὸν ἀπογράφεσθαι. *ut illi qui agrum publicum usurparent, intra certum diem eo decederent, qui vero nulla prædia possiderent, apud Regem nomina sua profiterentur:* scilicet agri ex hostibus parti, quam sors cuique addiceret, portionem accepturi; ut ex antecedente *oratione Tullii* colligitur.

Nam *Flori* quidem nimium audax extenuatio est, qui Po- *I, 9, 7.* pulo Romano jamjam libero, *nulla patrii soli gleba* relicta, undiquaque *hostile pomœrium* circumdat: *oratoria potius licentia quam historico more,* ut Doctissimus *Freinshemius* pridem annotavit.

Itaque *de fide & auctoritate Livianæ Observationis quid pronuntiabimus?* an prætervidisse vel neglexisse acutissimum diligentissimumque Scriptorem hæc exempla: an quod propius verum est, hîc pariter, & alibi per universum opus suum, non ut fert usus popularis, sed secundum *proprietatem originariæ significationis,* Agrariæ Legis nomen adhibuisse? quod ipsi quidem constare optime poterat, ad invidiam *demagogicarum largitionum* compositum selectumque fuisse: ut una cum argumento legis, exoso maxime vocabulo illorum factio traduceretur, qui popularis studii auram hoc veneno, vel si magis proprie loquendum est, fascino, aucupabantur. quod *Agrariorum* etiam invisum, & vix

& vix unquam sine charactere seditiosorum moliminum, usurpatum elogium convincit.

Quæ non eo dicuntur, ut transductam ab aliis, inclinatamque in meliorem sensum, hanc vocem, negetur; sed quia contracta in unum *Livianæ* de Legibus Agrariis annotationis series abunde ostendit, peculiarem prorsus, & certi temporis, certarumque machinationum periodo propriam notam in oculis eum habuisse, cum agrariæ rei designatum superius principium præfiniret. De quo minus dubitabit, qui contulerit loca insigniora ex *libro II,42. & 52. tum lib.III,1. lib.IV,55. XXXII,38.*

CAPUT II.

Cassiæ Legis auctor: argumentum: successus. occasio & scopus L. Liciniæ de D. jugeribus: Fraus huic legi intentata: L. Flaminia: coloniarum ex ea deductarum conditio. Licinia Lex de VII. jugeribus ordini suo temporiq; restituta.

An. Ur. Cond. 267. EST autem promulgata LEX CASSIA, *Spurio Cassio Bicellino* auctore & tertium consule: cui *Fasti Siculi Rutilum* Collegam adjiciunt. Is est nimirum *Proculus Virginius Tricostus Rutilus*, ut in *Tabula Capitolina* nomen ejus plenius exprimitur. unde *Dionysii Halicarnassensis*, qui *Publium* nominavit, emendanda scriptio est. *Val. Maximus* Tribunum plebis fuisse Cassium asserit, *qui primus Legem Agrariam tulerit. V,8,2.* quem *à patre* affectati regni crimine damnatum *necatumq; ac peculium ejus Cereri consecratum* scribit. idem, qui alibi (*VI,3,1.*) *Spurium Cassium suspicione concupitæ dominationis oppressum, Senatus Populiq; Romani sententia, capitali supplicio affectum; interemtoq; domum superjectam, & in solo ædem Telluris factam*, recenset. quo manifestius patescit error, ex dissensu *veterum* ortus, qui de eodem Spurio Cassio utriusque condemnationis exemplum memorabant. Sicut *Livius* pariter & *Dionysius Halicarnassensis* annotatum reliquerunt. hinc enim seductum *Valerium*, ut ex uno Cassio, duos, alterum Consulem, alterum Tribunum Pl. efficeret, prorsus manifestum est.

Argumen-

Argumentum Legis ex *Livio* plerosque ita repetere videas: *Cassium id egisse, ut agri Hernicis adempti dimidium Latinis, dimidium plebi divideret: adjecisse huic muneri agri aliquantum quem publicum possideri à privatis criminatus esset.* II,41. à quibus quidem *Dionysii* narratio plurimum discrepat. lib. VII. Is enim nullius præterquam publici agri divisionem Cassium esse molitum, & in ejus partem æque Hernicos & Latinos fuisse assumpturum, aperte, nec uno in loco adstruit. apud quem palam etiam jactant Tribuni: *Hernicis adeo de publicis Populi Romani agris nihil sperandum esse, ut in lucro deputare debeant, quod nullam proprij agri partem amisissent.*

Sed & ejusdem indicio discimus, post diuturnas & acres contentiones, tum apud plebem, tum in Senatu, tandem industria C. Rabuleji Tribuni Pl. pacatum populum, Appiique & A. Sempronii Atratini auctoritate rem eo esse deductam, ut Senatus Consultum in hanc sententiam perscriberetur: *uti è Consularibus, qui ætate cæteris antecederent, Decemviri crearentur. horum de agro publico terminando, & quantum in vectigalia Populi Romani referri, quantum plebi dividi oporteret, cognitio esset. Socij vero in civium formulam recepti, imposterum agri communi militia quæsiti, secundum Leges cujusq; fœderis redderentur participes. utiq; Decemviris legendis agrisq; dividundis futuri Consules præessent: qui & cætera curarent, uti è Republica fideq; sua esse videretur.* Subjiciuntur deinde cætera, *de condemnatione Cassii, de consecratione domus, de dedicatione signi ex Cassia familia dati*: nihil admodum à sententia, cui *Livius* adstipulatur, discrepantia. addi meretur, quod de suæ domus consecratione disserit *Cicero pro Dom. cap.* 20, 37. *seqq.* dissidentium partes amplectitur *Florus* I, 26, 7.

Et videbatur quidem deinceps perinde optimatibus quies, ut plebi quietis fructus mansura; si ad exequendum decretum suum Senatus vel sincerum satis vel constans propositum attulisset: verum ubi sequentis anni Consules plebem agris, militem præda ex Volscis Æquisque capta fraudavêre; ira populi dulcedine Legis Agrariæ jam jam incitati, à Cassio in Patres conversa est: gravissimorumque & anniversariorum certaminum ea materies fuit: inde *Tribunis popularem potestatem, Lege populari celebrantibus*; hinc *Patribus horrentibus largitiones, temeritatisq; invitamenta.* qui, cum aliquandiu teli, suis opibus inten-

P tati

Liv. VI, 42. tati, acumen elusissent; tandem C. Licinii & Lucii Sextii artibus impares fuere.

386. Ab his enim Lex tandem perlata, quæ à nomine præcipui
Liv. VI, 35. Auctoris LICINIÆ nomen tulit: *ne quis plus quingenta jugera agri possideret.*

XX. A cujus scopo plurimum aberravit *auctor de Viris illustribus*, qui ad *plebeios* sanctionem ejus restrinxit. Patritiorum enim opibus accidendis destinatam fuisse, tum res ipsa, tum *Livius* indicat. & ipsi optimates abunde senserunt: quibus permolestam fuisse *Plutarchus in Camill.* testatur. neque occulte id intendebatur, ut quicquid agrorum ultra præscriptum modum opulentiores possiderent, modico pretio inter pauperes distribueretur. quod & *Appianus* notavit. Ut illi quoque suo potius, quam Legis instituto servire censendi sint, qui studium cohibendæ publicæ luxuriæ in ejus auctore unice commendant.
I, 3. *Varro de Re Rust.* I, 2. *Plin.* XIIX, 3. ut & *Columella*: qui non *de quingentis*, sed *de quinquaginta* jugeribus contra omnis historiæ fidem loqui videtur. Nisi tamen illa *quinquaginta jugera* alio relata voluit.

Adjecta legi jurejurando sacratæ mulcta est, adversus præsentem contemptum quidem aliquid valitura, sed coërcendæ fraudi, ut mox apparuit, non satis efficax: nam & illi, qui contra legem retinere vel augere agros suos non audebant: viam tamen, qua circumveniri lex posset, scrutati, simulatis cessionibus agros per necessitudines suas dispertiebantur: τὴν
B.C. I. pag. 354. γῆν ἐς τοὺς οἰκείους ἐπὶ ὑποκρίσει διένεμον· ut *Appianus* explicat.

Id nec in aliis ferendum, ab auctore Legis ipso admitti, merito intolerandum videbatur: itaque optimo jure *Licinius à*
396. *Marco Popilio Lænate decem millibus æris est damnatus, quod mille jugerum agri cum filio possideret, mancipandoque filium, fraudem legi fecis-*
VII, 16. *set*, ut *Livianis* verbis rem pluribus relatam exponam: *Antonius*
de Legibus & SCtis in l. Licinia. *Augustinus emancipando* legit: plano sensu, quem & *auctor de Viris Illustribus XX.* expressit: *Cum jugera quingenta haberet & altera emancipati filij nomine possideret.* Paulo aliter *Val. Maximus* IIX, 6.3. *cum lege sanxisset, ne quis amplius quam quingenta jugera possideret, ipse mille comparavit, dissimulandique criminis gratia dimidiam partem filio emancipavit.* Sensus tamen eodem recidit: nec *emancipatio* *agri*

agri aliud hic, quam *cessionem in filium factam* notat: ut apud *Suetonium in Othon. cap.* 4. *cuidam de parte finium cum vicino litiganti arbiter, totum agrum redemit, emancipavitq;.* *Tacitus mancipandi* verbo similem sensum exprimit *A. I,* 73, 2. *Falanio objiciebat accusator, quod venditis hortis statuam Augusti simul mancipasset.* Unde quis vulgatam *Livij* scripturam posset defendere: cum hæc vocabula permutari non magis absonum sit, quando *de manumissione liberorum,* quam quando *de agrorum alienatione* usurpantur. *VII, 17.*

Quies hinc ab agrariis motibus, non ad *Sempronias* usque *leges,* ut *Appianus* notat, sed etiamsi leviores turbæ prætereantur, Flaminiam tantum duravit. quippe quam *invito Senatu, & omnino contra voluntatem omnium Optimatum per seditionem ad populum* latam esse, *Ciceronis* indicio discimus: *Academ. quæst. II, 5. & de Invent. II, 17.* comprehendebatur illa: *ut ager Picenus in Gallia cisalpina, quem devictis Senonibus Romani ademerant, divideretur. Polyb. II, 21.* *B.C. 1. pag. 354.*

Cœptum Consulatu M. Æmilii Lepidi, M. Publicii Malleoli negotium A.U.C. IↃxxi. post quatuordecim demum annos perfectum est, P. Cornelio Scipione, Tib. Sempronio Longo COSS. quo tempore *Placentia & Cremona* Coloniæ sunt deductæ. *Epit. Liv. XX. Polyb. III, 40.* *535.*

Insignis de his dubitandi occasio est, quam *Asconius Pedianus* suppeditat *in Orat. Cic. contra Pison. p.155.* cum *Cicero* Placentiam *municipium nominasset*; *magnopere me hæsitare confiteor,* annotat *Asconius, quid sit, quare Cicero Placentiam municipium esse dicat. video enim in Annalibus eorum, qui Punicum bellum secundum scripserunt, tradi Placentiam Coloniam deductam &c.*

Quam solida enim ratio sit hujus hæsitationis, patebit, si quis ex *Gellio* differentiam inter *Colonias & municipia* huc retulerit. cum præsertim id, quod apud *Asconium* sequitur: *Placentiam novis colonis,* Roma scilicet deductis, *esse constitutam, Polybius* etiam confirmet: sicut & *Strabo*: qui *Romanos, suo tempore fuisse omnes coloniarum istarum incolas* aperte testatur; *quanquam aliis subinde nominibus appellati sint.* addatur *Liv. XXI, 25. XXXIIX, 46.* & quæ *de Latinis coloniis* erudite copioseque consignavit *Sigonius de antiquo Jure Italiæ lib. II. c. 3.* *XVI, 13.* *III, 40.* *Geogr. lib. V. pag. 216.*

609. Proximus post Flaminiam locus LICINIÆ legi *de septem jugeribus* dandus est. quam plerique non recentiorum tantum, sed etiam veterum longe vetustiorem faciunt: *Columella* certe alteri *Liciniæ de quingentis jugeribus* videtur præponere, *de Re Rust.* I, 3. quin & *Plinius*, cum de *modo Liciniano quingentorum jugerum* mentionem injecisset, subjicit: *luxuriantis jam Reipublicæ fuit ista mensura. Manij quidem Curij nota concio est: perniciosum intelligi civem, cui septem jugera non essent satis. hæc autem mensura plebi post exactos Reges assignata est*: quæ vix commode queant explicari, nisi *septenis jugeribus*, & *Manij Curij concio*, & altera *Lex Stolonis Licinij* postponantur. Quod tamen satis solide confutari posset; non *Livij* tantum testimonio, ex quo *bina Romuli jugera* usque Stolonem, *plebejæ assignationis modum implevisse* liquido constat. Sic enim apud eum *Textius Liciniusq;* ad Patres: *auderent ne postulare, ut cum bina jugera agri plebi dividerentur, ipsis plus quingenta jugera habere liceret.* Sed & aliorum fide auctoritateque. *Varronem* nominasse suffecerit, cujus diligentiæ debemus non auctoris tantum legisque, sed temporis etiam, quo lata lex est, accuratam præcisamque notitiam. *C. Licinius*, inquit ille, *de Re Rust.* I, 2. *Tribunus Pl. cum esset, post Reges exactos annis trecentis sexaginta quinq; primus populum ad leges accipiundas in septem jugera forensia è comitiis eduxit.* quo tempore, quia jam tertium cum Carthaginensibus bellum finitum erat; ultro apparet, quo jure meritove de militia ejus ætatis apud *Poëtam* dicatur:

(Margin: XIIX, 3. — VI, 36. — Juvenal. XIV, 161.)

Mox etiam fractis ætate ac Punica passis
Prælia, vel Pyrrhum immanem gladiosq; Molossos,
Tandem pro multis vix jugera bina dabantur
Vulneribus. merces hæc sanguinis atq; laboris.

quanquam Pyrrho quidem ex Italia ejecto, majus victoriæ præmium tulit populus Romanus: *decretis extra ordinem*, ut nonnunquam & alias, *septenis jugeribus*; *dividendis viritim. quibus qui contentus non esset, eum perniciosum intelligi civem, nota & celebri concione Manius Curius dictitabat. Auctor de Viris Illustribus* XXXIII. *quaterna dena jugera tum viritim divisa*, asserit. sed *Plinij* XIIX, 3. *Val. Maximi* IV, 3, 3. *Columellæ* I, 3. qui de *septem jugeribus* consentiunt, probatior auctoritas est.

CAPUT

Caput III.

Leges Semproniæ à se invicem & à lege Rubria distinctæ. Series & argumentum legum, quæ occasione Semproniarum sunt promulgatæ. Leges Apulejæ. de Titia lege Ciceronis lectio asserta. Martiæ L. & Livianarum Largitionum fatum.

JAm ex præcedente tractatione potuit intelligi, nos historiam rei Agrariæ non exponere, sed contrahere instituisse: nihil fere aliud quam indicando summatim, si quid vel supplendis, vel declarandis aliorum observationibus inservire videatur. Itaque Semproniae quoque leges enumerasse saltem paulo distinctius, contenti erimus: satis diligenter copioseque alibi passim descriptas.

Primam ex his *Tib. Gracchus* tulit P. Mucio Scævola, L. Calpurnio Coss. annotante *Vellej. II, 2, 3.* cujus idem, quod *Liciniæ de quingentis jugeribus*, argumentum fuit: nisi quod fraudem Liciniæ factam insuper Gracchus prævertit. Nam & *filiisfamilias dimidium ejus modi* (quingentorum jugerum) *habere permisit*, & *triumviros agris dividundis constitutos mutari annuatim* jussit: addito interdicto, *ne cui portionem sibi assignatam vendere liceret.* Refert hæc *Appianus de Bell. Civil. lib.* 1. *p.*354. cum quo & alii consentiunt *de quingentis jugeribus.* Nam quod apud *Siculum Flaccum Duocenta* leguntur, illud imperitiæ librarii potius adscripserim, errore non insolito notam numeralem D in *duocenta* convertentis.

620. *de condit. agr. p.* 2.

Neque dubium est, quin duæ leges, quas *Plutarchus in Ti. Graccho* tanquam distinctas nominat, huc congruant: quarum *alterâ* tanquam moderatiore, *pretium possessoribus restitui pro agris ereptis* jubebatur: *altera* vero duriore, quippe quam irritatus *Octavij intercessione* Gracchus rogavit, *agri injuste detenti omissa pretij mentione* in publicum jus vindicabantur.

Alterius legis eodem auctore ac tempore promulgatæ notitiam *Epitomator Livij LIIX.* nobis conservavit: qua Triumvirorum arbitrio permittebatur, *privatus ne an publicus quiq; ager esset,*

decernere: id moliente Graccho, qui & ipse inter Triumviros adlectus erat, ut liberiorem facultatem consequeretur, largitionem suam latius extendendi. cujus consilii recessus etiam in Servilià Legislatione detexit *Cic. cont. Rull. c.21.* Cui mox *tertiam* superaddidit; velut appendicem priorum: quibus nec vota sua, nec spes plebis explevisse, sibi videbatur. Sanxit autem, *ut pecunia ex hæreditate Attali Pergameni Romam allata plebi divideretur*; vel solatio illis futura, quibus agri lege Sempronia pro-

LIIX. missi, præstari non possent: ut *ex Livio Epitomator* ejus judicat:

v.Liv.VI,5. vel ad instruendos agros, vires iis subministratura, ad quos fru-

Ti. Gra. ctus legis Semproniæ pervenisset. quæ *Plutarchi* sententia est. *Florus* tamen fratrem Tiberii *C. Gracchum populo recentem Attali hæreditatem demum in alimenta pollicitum* tradit. III, 15, 2.

Aliâs certum est, *Cajum* in re *Agraria* nihil fere aliud, quam

629. *repetiisse fraternas leges vel confirmasse*: *primo* præsertim *Tribunatu* suo, quo & *agrum publicum pauperibus divisit*, testante *Plutarcho in Vita ejus*. Et *quenquam Civem plus quingentis jugeribus habere vetuit*, ut *Vellejus* annotat II,6,3.

630. Illa *nova Lex* fuit, qua *secundo Tribunatu Colonias Tarentum & Capuam deduci* jussit: quod ex *Plutarcho* itidem constat.

Cujus annotatio fortasse non inutiliter ad conciliandam Fastorum Scriptorumque Chronologiam adhiberi potest:

Oros.V,12. quorum aliqui legem *de restituenda Carthagine* in eundem an-

Cuspinian. in Fast. A. V.C.629.& 630. num referunt, quo Gracchanæ leges promulgatæ traduntur: aliis in annum sequentem eam rejicientibus.

Cæterum RUBRIAM fuisse Legem, qua colonia Carthagi-

in C. Gracch. nem deducta est, caret dubitatione: postquam *Plutarchus* auctorem ejus *Rubrium*, Gracchi minoris in secundo Tribunatu

LX. collegam, nominatim expressit. licet in *Epitome Liviana* ipsius Gracchi Legibus annumerari videatur. *Eutropius* auctoritate Senatus decretam esse hanc coloniam asserit: neque fidem denegabit, qui jam tum inter artes Optimatum fuisse meminerit,

Liv. II,48. IV,51. IIX,16. *attractis in partes suas aliquibus Tribunorum, cæteros quorum potentiam metuebant, propriarum largitionum exemplis oppugnare.*

Plutarch. in C. Gracch. Quod LIVIÆ inprimis leges ostendunt, quibus *Livius Drusus* Patritiorum instigationibus inductus, haud aliter pro aura populari, quam in scena mimus, cum Graccho decertabat. *de-*

cretis

cretis quippe *in Italiam Siciliamque duodecim coloniis*, quarum ſingulis *tria millia pauperum* adſcripſit. Quas tamen uſque ad C. Gracchi mortem dilatas *Appianus* ſcribit. *Appianus de Bell. Civil. lib. I. p.364.*

Nec alia fortaſſis origo *Legis* fuit *incerto auctore promulgatæ*, qua *facultas* promiſcue dabatur *alienandæ, quam quiſq; accepiſſet in agrorum diviſione, portionis.* Eo id quidem propoſito, quod ad diſſolvendam potiſſimam Legis Semproniæ vim unice pertinuiſſe, mox eventus comprobavit: itidem *Appiano* notatus. *de Bell. Civil. lib. I. p.371.*

Ad quem ſcopum jam apertius, quæ ſtatim inſecuta eſt, *Lex Agraria* graſſabatur: qua, *ſublatâ* penitus *agrorum diviſione, veteres poſſeſſores retinere fundos ſuos, eorumq; nomine vectigal plebi viritim dividendum, ſolvere juſſi ſunt.* Σπούριος Βόριος δημαρχῶν, auctor, *Appiano* dicitur. corruptâ procul dubio ſcripturâ. *Sigonius M. Bæbium* ſubſtituit. quem & *Tribunum Pl. & Triumvirum Coloniæ deducendæ fuiſſe*, ex fragmento *Legis Thoriæ* probat. Propiori literarum flexu cum *Fulvio Urſino* Σπούριος Θόριος legeretur: *pag.366. de antiquo Jure Italiæ II, 2. in Famil. Thoria.*

Niſi ipſum Legis THORIÆ argumentum reclamaret: de quo *Cic. in Brut. cap.36. Spurius Thorius ſatis valuit in populari genere dicendi; is, qui agrum publicum vitioſa & inutili lege, vectigali levavit.* ut illi potius legi *Thoriæ* nomen aptari debeat, qua *plebi omnia Legum Semproniarum commoda, ſublato agrorum vectigali,* tandem *adempta,* etiam *Appiano* memorantur. *Fragmentum Legis Thoriæ,* præter *Sigonium de antiquo Jure Italiæ*, exhibent *Barnab. Briſſonius de Formul. lib.II. Gruterus in Oper. Inſcript.* *lib.I. p.367. II, 2.*

Ita præſidium quidem Legis Semproniæ ſeditioſis hominibus, ſed non æque exemplum ereptum eſt. quod mox imitatus *L. Saturninus* ſexto Marii Conſulatu, novum legibus APULEJIS nomen comparavit: de quibus plerique contenti ſunt illam ex *Appiano* retuliſſe, qua *ager Cimbris ademptus, inter Colonos Roma miſſos diviſus eſt. Florus* tamen *III, 16, 2. Gracchorum inſuper Legibus rogandis incubuiſſe Saturninum,* notat. quem & præterea Legem tuliſſe, *ut veteranis centena agri jugera in Africa dividerentur*: & *Siciliam, Achajam, Macedoniam novis coloniis deſtinaſſe; aurumq; dolo Cæpionis partum ad agrorum emptionem convertiſſe*, ex *auctore de Viris Illuſtribus LXXIII.* diſcimus. *653.*

Neque

Neque omittenda erat illa *Legis Apulejæ diſpoſitio*, qua *Cicero pro Balb. cap.* 21. *C. Mario indultum* ſcribit, *ut in ſingulas Colonias ternos cives Romanos facere poſſet*: quo loco idoneum inſuper *de abrogatione Legum Apulejarum* teſtimonium extat: confirmatum denuo alibi ejuſdem *Ciceronis* auctoritate: *lib. II. de Legibus cap.* 6.

654. Proximum de hinc locum TITIÆ legi tribuit *Sigonius*, recte id quidem atque ordine, niſi quod biennio poſteriorem facit, quæ vix anno ab Apulejis diſtat. latam enim M. Antonio, A. Poſtumio Albino Coſſ. non tantum locus *Ciceronis de Oratore II.* etiam *Sigonio* laudatus; ſed *Julius Obſequens de prodig.* fidem facit. qui cauſam quoque & prodigium exhibet, quo haruſpices ad tollendam eam legem permoti ſunt: ut ambigi nequeat, probam eſſe conjecturam, qua apud *Ciceronem de Legibus* II,12. pro *Tetia* lege *Antonius Auguſtinus Titiam* reſtituendam eſſe monuit. videatur etiam *Val. Maximus* IIX,1,3.

Add. Fr. Fabric. vit. Cic. A, 8.

MARCIÆ quoque Legis, quam *de agris plebi dividendis* Philippus in Tribunatu rogavit, æque inconſtans fatum fuit: *ipſius* quippe *Auctoris moderatione ſtatim abrogatæ. Cic. de offic.* II,21.

662. Sicut nec LIVIANARUM largitionum, quarum fundamenta vivente adhuc C. Graccho jacta eſſe, ſuperius diximus, ultra mortem auctoris ſui fructus duravit: incendio belli ſocialis, quod mox ſubſecutum eſt, interverſus. de quibus ipſius Druſi gloriatio extat: *nihil ſe ad largitionem ulli reliquiſſe, niſi ſi quis aut cœnum dividere vellet, aut cœlum.*

Flor. III, 17. 6.

CAPUT IV.

Aſſignationis Sullanæ crudelitas, auctoritas, inſtitutum. Inſidiæ Serviliæ Legis. Flaviæ L. fautores & exitus. Supplementum coloniarum Juliarum: Leges Agrariæ C. Cæſaris diſtinctæ. Suetonij de iis locus explicatus.

NOndum enim innotuerat compendium inauditæ crudelitatis, quo ſibi mox ad novas aſſignationes viam Sulla paravit. non ſingulos modo poſſeſſores ab agris ſuis, ſed integras civitates

tates proſcriptione deturbans. idque ſucceſſu adeo fructuoſo, ut effrenatiſſima XLVII. Legionum avaritia ſatiaretur: è quibus Italia XXIII. in prædam ceſſit: *Epit. Liv. 89. App. B.C. lib.1. 671.*

Corneliis ne Legibus; an potius Valeria? qua, ut eſt apud *Appianum de Bell. Civil. lib.1. p.411. Plutarch. in Vit. Sull.* cum Dictatoria poteſtate, *Sulla liberam facultatem dividendi agros, L. Valerio Flacco interrege rogante conſecutus eſt.* Apud *Ciceronem* certe videas non conjunctim tantum, ſed promiſcue illas nominari: *contra Rullum III,2. Valeria Lege, Corneliiſq; legibus eripitur cum datur.* & mox de conditione agrorum Sullanorum: *at hoc Valeria Lex non dicit: Corneliæ leges non ſanciunt.* Licebit opinor, citra pudoris jacturam, indeciſum relinquere, quod ſe neſcire *Cicero* ipſe profitetur, *pro Sext. Roſc. Amerin. cap. 43. Verum hoc ego quæro, qui potuerunt iſta ipſa lege, quæ de proſcriptione eſt, ſive Valeria eſt, ſive Cornelia, (non enim novi nec ſcio) verum iſta ipſa lege, bona Sext. Roſcij venire qui potuerunt?*

Quæcunque illa fuerit, ab *inſtituto cæterarum Legum agrariarum* plurimum receſſerat. quippe oppreſſis partibus & potentia plebis, ſublataque popularitatis mercede, ipſa quoque popularitatis oſtentatio inutilis erat futura; donec vertente paulatim ſtatu rerum, eo deventum eſt, ut nec ipſi *aſſignationum Sullanarum poſſeſſores* alio præſidio confirmari poſſe opes ſuas arbitrarentur.

Inde tam ſollicite popularitatis larva Serviliæ Legi denuo prætexi cœpit. cujus fraudem præcipuam non ſubtiliter minus in *tertia Oratione contra Rullum Cicero* detexit, quam in *duabus prioribus* periculoſe, licet prudenter & circumſpecte celaverat. Cui parum profuiſſet, *dignitatem populi Romani, libertatem, commoda* denique *publica*, magnificis elogiis extuliſſe; niſi animis plebis potiſſimum errorem exemiſſet, quo *gratificari Sullanarum aſſignationum poſſeſſoribus, reſiſtendo Agrariæ Legi* credebatur; hoc enim rumore ſubdole vulgato, Agrarii ad ſuas partes, multos è concione Ciceroniana traduxerant: cujus magna pars non minus ac illa *plebes Etruſca* apud *Saluſt. Conjur. Catil. cap.* 28. *egeſtate ſimul ac dolore injuriæ, novarum rerum cupida erat; quod Sullæ dominatione agros bonaq; omnia amiſerat.* ut non ea re magis ad abdicandam Legem Agrariam, hoc eſt ex *Plinij* elogio, *VII, 30.*

Q *alimenta*

alimenta sua Tribus inductæ esse videantur, quod *ad paucorum dominationem scriptam*, quam quia *ad Sullanæ assignationis rationes esse accommodatissimam*, denique intellexerunt. Postquam *capitis quadragesimi* insidias *Cicero* aperuisset. qui & reliqua ejusdem rogationis capita potiora exhibet *Orat. contr. Rull. I. & II.* unde collegit & *Auctoribus Finium Regundorum* præmisit *Nicol. Rigaltius.*

Quis post hæc crederet Agrariæ legis curam ab eo susceptum iri, à quo non acriter minus quam feliciter oppugnata fuerat; nisi ipse profiteretur, *suis potissimum consiliis effectum, ne* FLAVIÆ *largitionis fructus militibus Pompejanis, in ipsá, quod ajunt,*
693. *herba interverteretur.* Exponit is consilii sui tenorem *ad Att. lib. I. ep. 19.* in quo illud equidem graviter & præclare susceptum, quod *ea tollebantur ex lege quæ ad privatorum incommodum pertinebant*: quod *liberabatur is ager, qui P. Mutio, L. Calpurnio Coss. publicus fuisset*; quale quid & alia quandoque lege sancitum fuisse, arguit *fragmentum Legis Agrariæ in Tabula ænea*, quod exhibet *Fulv. Ursinus Not. ad Leg. & SCta. p. 265.* quod *Volaterrani, & Aretini, quorum agrum Sulla publicarat, neq; diviserat, in sua possessione retinebantur*: cum subinde *agri alii lege Cornelia publicati, nec cuiquam assignati, neq; venditi impudentissime à quibusdam oc-*
Contr. *cuparentur.* Illud vero mirandum, *Sullanorum hominum possessio-*
Rull. III, 3. *nes confirmandas suscepisse eum*, qui *gratificationem impudentem cum*
Contr. Rull. III, 2. *acerba injuria in iis conjungi* & intellexerat & publice non ita pridem fuerat testatus: *agros adventitia pecunia, quæ ex novis vectigalibus reciperetur, emendos censuisse*, qui *neq; consuetudinem neque dignitatem populi Romani pati pronuntiaverat, ut agri emerentur, quo*
Contr. *plebs publice deduceretur.* Ne dicam ipsi Rullo patrocinium de-
Rull. II, 25. nuo parari, dum *sentinam urbis exhauriri consultum esse*, eâdem formulâ scribitur, quæ tam invidiose modo traducta apud populum fuerat. Sed tum quidem hæc res, utpote *levi initio cœ-*
Contr. Rull. II, 26. *pta belloq; interpellata refrixerat*: mox gravioribus momentis
ad Att. I, 18. ad Att. I, 19. aucta: cum *L. Flavius auctor Legis populum quoq; militibus Pompeja-*
lib. 37. *nis ad accipiendos agros adjunxisset.* Hoc enim adscriptum Legi, *Dio Cassius* auctor est: τὸ καὶ πᾶσι τοῖς πολίταις, ὅπως τοῦτό τε αὐτὸ ῥᾶον ψηφίσωνται, κλήρους τινὰς δοθῆναι. *ut omnes cives, quo facilius Legem promulgatam juberent, in sortem agrorum dividendorum admitteren-*

mitterentur. Ita enim vertendus hic locus: non ut vulgo: *omnibus civibus suffragium esse dandum*: sententiâ non minus à mente *Dionis*, quam à proposito Flavii Legislatoris abhorrente.

Cæterum *Pompejo*, cujus auctoritate permoti, *Flavius* quidem ad ferendam, *Cicero* vero ad juvandam legem incubuerant, istud quoque additamentum, ad perficienda destinata sua, parum profuit: mox præcipiti cursu ad pœnitentiam à spe ingentis potentiæ delapso: quod neque adversus invidiam, neque contra pertinaciam adversariorum, satis idonea præsidia sibi præparavisset. *Cic. ad Att. I, 19.* *Dio lib. 37.*

Circumspectior Socero, & hinc felicior in agris dividundis *Julius Cæsar* fuit. qui non tantum plurimas *colonias* deduxit, sed inter agrarias quoque Leges, Julias, de se nomen dedit.

Colonias ex *Frontino* & aliis recenset *Sigonius de Antiq. Jur. Ital. lib. 3. cap. 4.* Quibus addendæ, quas in Galliam deduci curavit. *Sueton. in Tib. c. 4. Pater Tiberij Quæstor* C. *Cæsaris, ad deducendas in Galliam Colonias, in queis* Narbona & Arelate *erant, missus est.* Neque illud hinc alienum est, quod *Cæsarem Lege Vatinia* Novocomum *colonos deduxisse; & octoginta civium millia in transmarinas Colonias distribuisse*, idem *Suetonius* annotat *in Jul. c. 28. & 42.*

Inter *leges Agrarias* Cæsaris, *duæ* sunt memoratu maxime dignæ, quas primo Consulatu suo tulit. altera, *ut pecunia è vectigalibus Pop. Romani, & Cn. Pompeji præda redacta, in emptionem agri publici converteretur, isq; viritim per XX. viros plebi divideretur.* altera, *ut Campus Stellatis, agerq; Campanus Civibus Romanis divideretur, quibus terni puresve liberi essent.* 694. *Dio lib. 38.* *Sueton. Jul. c. 20.*

Confundunt vulgo has Leges, & è viris doctis etiam plerique, *Vellejum* præcipue secuti, de iis, tanquam de unâ rogatione loquuntur. Sed præter *Appian. de B. C. lib. 2.* distinguit *Dio*, & in priori *agrum Campanum nominatim exceptum*, scribit; *ut propter bonitatem in vectigalibus Populi Romani relinqueretur.* A quo consilio Cæsar demum recessisse videtur, postquam priorem largitionem, adversantibus nonnullis, parum procedere, & ad aucupanda plebis studia non esse satis gratiosam animadvertit. *Cic. ad Att. II, 15. illud explicare non possum, quidnam invenire* *II. 44.* *lib. 38.* *vid. Casaub. ad Suet. Jul. c. 20.*

(Cæſar) *poſſit nullo recuſante, ad facultatem agrariam*: & mox clarius in *Epiſt. ſubſequente*: *quod de agro Campano ſcribis, ita me pupugit, ut ſomnum mihi ademerit, ſed id cogitatione magis, quam moleſtia. cogitanti autem hæc fere ſuccurrebant: primum ex eo, quod ſuperioribus literis ſcripſeras, ex familiari te illius audiſſe, prolatum iri aliquid, quod nemo improbaret. deinde ut me ego conſoler, omnis expectatio largitionis agrariæ in agrum Campanum videtur eſſe derivata.* quæ ſi quis *abſq; lege peculiari peracta eſſe* autumat; reclamat idem *Cic. ad Att.* II, 18. *habet etiam Campana Lex execrationem in coitione candidatorum, ſi mentionem fecerint, quod aliter ager poſſideatur, atq; ut ex Legibus Juliis.* Egerat autem *Cicero de priore Legiſlatione* ſeorſim antea: *ad Att.* II, 3.

Jul. c. 20. *Suetonius* quoque utriuſque largitionis hujus meminit ſeparatim. *Lege Agraria promulgata*, Cæſar, *obnuntiantem Collegam armis foro expulit.* & inferius: *Campum Stellatem majoribus conſecratum, agrumq; Campanum ad ſubſidia Reipublicæ vectigalem relictum, diviſit extra ſortem, ac XX. millibus civium, quibus terni pluresve liberi eſſent.*

Quo loco in dubium vocant eruditi, quod *Stellatem campum conſecratum Suetonius* nominat; cum *Cicero in Agrariis* de eodem loquatur, *tanquam qui coleretur exercereturq;, hominumq; adeo uſibus expoſitus eſſet.* Et *Turnebus* quidem prorſus exiſtimat: *Ciceronem & Suetonium de hujus campi conditione contraria opinatos. Quid nos?* ἐπέχομεν, ſubjicit *Berneggerus noſter p. m.* quin & *Caſaubonus*, cum *Torrentij* conjecturam retuliſſet, addit: *de hujus campi antiqua conditione, quin opinati ſint contraria Cicero & Suetonius, non poſſumus negare. cæterum utrius vera opinio fuerit, quærant amplius qui otio abundant*: Licet otio non admodum *abundemus*, deſtinaveramus tamen *quærere*: cum opportune *Doctiſſimus Rigaltius* facem nobis alluxit, laboremque quærendi lucrifecit. ejus enim indicio didicimus: *apud Suetonium* hoc loco *conſecrationem ſimpliciter intelligendam veterem agri conditionem, & legem ac terminorum conſecrationem.* Confirmat hanc interpretationem *Frontin. de Colon. pag.* 86. *Laurum Lavinia lege & conſecratione veteri.* *Id. pag.* 106. *Marſus municipium licet conſecratione veteri maneat, tamen ager ejus aliquibus locis in tribus limitibus lege Auguſtea eſt aſſignatus.* Ager itaque & *campus conſecratus* hîc non *profano* opponi-

Adverſ. II, 23.
in Suet. Jul. c. 20.
not. ad Aut. fin. regund. ad p. 86.

opponitur, ſed *ei qui ſine lege & finitione in abſoluto tenetur. Frontin. de Colon. p.96. Colonia Graviſcos ab Auguſto deduci juſſa eſt: nam ager ejus in abſoluto tenebatur. poſtea Imperator Tiberius Cæſar jugerationis modum ſervandi cauſa lapidibus emenſis R.P. loca aſſignavit: nam inter privatos egregios terminos poſuit.*

Illud obiter notandum, ſimilitudine nominis decipi, qui *Stellatem hunc campum eundem* pronunciant, *cum eo, à quo Stellatina tribus cognominata eſt.* Factum id enim A. V. C. 369. quo nondum hic ager in poteſtate Populi Rom. erat. & notat diverſitatem *Feſtus*: *Stellatina tribus dicta, non à campo eo, qui in Campania eſt; ſed eo, qui parum abeſt urbe Capena, ex quo Thuſci profecti, Stellatinum eum campum appellaverunt.* *de V. S. v. Stellatina.*

Caput V.

Rei agrariæ diſpoſitio ſub Impp. Romanis. agri inter miſſilia. Coloniæ militares. Lex Auguſti de aſſignatione agrorum. C. Cæſaris & Nervæ agrariæ Leges. edicta & ſanctiones quædam eo pertinentes. agrimenſorum diſciplina. formæ agrorum in Tabulario Cæſaris. Curatores locorum publicorum judicandorum conſtituti.

ALia deinceps, ſed hic non aliter, quam ſummatim attingenda *periodus rei agrariæ* ſequitur. poſtquam enim ſumma Reipublicæ ad unum eſſet delata; agrariæ quoque largitiones non, ut antea, per factiones & popularia certamina, ſed arbitrio & nutu Principis diſpenſatæ ſunt.

Cujus liberalitate *inter* cætera *miſſilia* conſtat agros quoque aliquando in vulgus ſparſos. *Sueton. in Ner. c. X. ſparſa & populo miſſilia omnium rerum, per omnes dies: noviſſime naves, inſulæ, agri.* Non quidem ut *Varronianus* ille *fundus*: de quo *Cicero in libell. joculari* (ſi *Quintiliano* fides: nam alii *Laureæ Tullio* tribuunt, v. *Pignorius Symb. Epiſt.* I, 11. *IIX, 6.*

Fundum Varro vocat, quem poſſim mittere funda,
Ni tamen exciderit, qua cava funda patet.

Sed per *tesseras*. quibus & alias omnis generis donaria distributa sunt. *lib. 49.* *Dio Cassius* de Agrippa Ædili: *σύμβολα τινὰ ἐς τὸ θέατρον ἔῤῥιψε τῷ μὲν ἀργύριον, τῷ δ' ἐσθῆτα, τῷ δ' ἄλλο τι φέροντα. tesseras in theatrum projecit, quibus argentum, vestis, resq; aliæ offerebantur.* *lib. 59.* *Idem* de Caligula Cæs. *διέῤῥιψε σύμβολα, καὶ ἐξ αὐτῶν πλεῖστα τοῖς ἁρπάσασιν αὐτὰ δέδωκε. Tesseris in vulgus sparsis, plurima iis, à quibus occupata essent, dilargitus est.*

Frequentius tamen Principes largitionem Agrariam exercebant, agris inter veteranos divisis; adeoque deductis *Coloniis militaribus*. quarum adeo ferax illa ætas fuit, ut solæ possint peculiarem commentarium implere. videatur de iis *Lazius de Rep. Rom. lib.12. Sect.1. c.2. & Sect.2. c.1. & seqq. Sigon. de antiq. Jur. Ital. lib.3. c.4.*

De hac *assignatione Augusti Lex erat: ut agrimensores agrum assignarent eatenus, qua falx & aratrum exierit.* quam explicat *Hygenus de limit. constit. p. 203.*

l. 3. D. de term. mot. Præterea *Callistratus lib. 5. de Cognition. legis Agrariæ* meminit *à Cajo Cæsare* (Julio ne, an Caligula?) *latæ*: qua constitutum erat, ut *qui dolo malo terminos extra suum gradum finesve movissent, in terminos singulos, quinquaginta aureos in publico darent, quorum ei qui vellet, actio, petitio esset.*

v. Lips. Elect. I, 15. Rigalt. Obs. ad h. l. p. 8. Sigon. de Ant. Ital. Jur. II, 2. l. 3. §. 1. D. de term. mot. Halicarn. lib. 2. Plut. in Num.

Qua sanctione Lex vel *Mamilia* vel *Flavia* (nam utrique nomini adscribunt eruditi) exasperata est: *qua in terminos singulos HS. XXV. dare damnas esse jubebatur, qui eos sciens dolo malo ejecisset.*

Secuta est *Lex Agraria Nervæ*: qua eodem *Callistrato* auctore cavebatur: *ut si servus servave insciente Domino, dolo malo terminos movisset, ei capital esset: nisi Dominus Dominave multam suffere maluissent.* adeoque de eo rigore aliquid in servis repræsentabatur, quo *Numa Pompilius* legis Terminalis religionem sanxerat.

Sed & in liberis hominibus pœnam pecuniariam in coërcitionem corporis *Hadrianus* Imp. rescripto commutavit: cujus verba itidem exhibet *Callistratus lib. 3. de Cognition.* & paulo *l. 2. D. de term. mot.* aliter ex *Ulpian. lib. 9. de Offic. Procos. Collator Legum Mosaicarum & Romanarum tit. de term. mot.* cujus parallelismus supplendus est *de Legib. IIX.* ex lege *Platonis*: in qua cum pœnis humanis notabiliter conjungi-

jungitur *divinæ vindictæ comminatio*: *à Magone agrimensore* luculenta περιφράσει explicata.

Ser. fin. reg. p. 265.

Custodes Legum istarum & vindices præcipui *agrimensores* fuere. quorum disciplina sub Augusto diligenter admodum constituta, insequentium Principum favore diutissime floruit; auctoresque illius, quorum etiamnum ingens inter doctos pretium est, in magna dignatione habiti sunt. sicut tum aliunde, tum ex publico & solenni testimonio constat, quod extat apud *Cassiodor. 3. Var. 52.*

Et in universum utique Principes Romanos nihil à provisione sua alienum putasse, quod ad rei agrariæ dispositionem pertineret, illud quoque argumento est, quod descriptas agrorum formas in *Tabulario* suo asservabant. Testis *Hygenus*: *libros æris & typum totius perticæ linteis descriptum, secundum suas terminationes, adscriptis affinibus, Tabulario Cæsaris inferemus.*

de limit. const. p. 201.

Quanquam *Aggeno Urbico* notante, ne hac quidem diligentia satis cohiberi agrorum publicorum limites potuere, quo minus longæ oblivionis interventu commoverentur. itaque subinde *Curatores locorum publicorum judicandorum* constituti sunt, qui *agros à privatis occupatos, in publicum restituerent*: quod munus, libera Republica, etiam Consulibus aliquando commissum est. *Liv. XLII, 1. priusquam Magistratus proficisceretur, Senatui placuit, L. Postumium Cos. ad agrum publicum à privato terminandum, in Campaniam ire: cujus ingentem modum possidere privatos, paulatim proferendo fines constabat.* Ipsosque etiam Imperatores id interdum curasse, *veteres Inscriptiones* testantur-

de Controv. Agror. p. 154.
v. Gruter. Inscr. p. cc. I, 5. & 6,
Grut. inscr. p. 200,

CESAR. AUG.
A PRIVATO IN PUBLICUM
RESTITUIT.

IMP. CÆSAR
VESPASIANUS AUG.
LOCUM VINIÆ PUBLICÆ
OCCUPATUM A PRIVATIS
PER COLLEGIUM PONTIFICUM
RESTITUIT.

Caput

CAPUT VI.

Quæ ratio gratiam & successum Legibus Agrariis conciliaverit. Unde invidia illarum & impedimenta processerint.

ET est utique *res agraria* inter ea referenda, quibus prudentis Legislatoris curam invigilare, cujuscunque Reipublicæ utilitas postulat: Sicut loco non uno *Aristoteles* quoque admonuit. inprimis *lib.II. Polit. cap.*4. & *lib.VI. cap.*4. solebantque Veteres agrorum assignationem inter insigniora facinora numerare, quibus heroes, urbium ac imperiorum conditores, immortalitatem commeriti feruntur. *Horat. Epist. II,1,5.*

Romulus & liber Pater, & cum Castore Pollux,
Post ingentia facta, Deorum in templa recepti,
Dum terras hominumq; colunt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt.

Neque dubitandum, quin plenam commendationem illorum consilia mereantur, quorum industria & provisu in Republ. Rom. vel initio ager vacuus distributus est, vel postea terminis, legibus, judiciis circumseptus. E quibus nimirum illi quidem, opus munusque τῆς δικαιοσύνης διανεμητικῆς, hi vero τῆς ἐπανορθωτικῆς egregie implebant. Cujus utriusque fundamenta & elogia alibi traduntur.

Liv.IV,48. Quanquam vacui quidem agri, qualis is fere tantum apud Romanos fuit, qui ex hostibus captus erat, portiones, non semper suæ cujusque virtutis meritum civibus assignabat: sed *v.Grot.I.B. III,6,11. & seqq. 7. Pol. 10.* ex usu Reipublicæ collecta instituta magnam ejus partem publico vindicavêre: eo consilio, quod *Philosophus* etiam suppeditat: *ut Resp. propriis subsidiis communes impensas eo facilius tolerare posset.* quod & *Cicero* passim in *Agrariis* inculcat.

Plut.inTib. Gracch. App. de B. C. lib.1, Unde cum potentiores occasionem mutuati essent implendæ avaritiæ suæ; occupatisque locis publicis, possessiones suas in immensa latifundia extendere cœpissent; valde speciosa ratio iis subnata est, qui legibus Agrariis partim accidere poten-

tiam

tiam optimatum, partim fortunas tenuiorum augere aggressi sunt. Cum I. ne ipsi quidem, qui molitionibus hisce repugnabant, diffiteri possent, justius esse, *agros maximam partem plebis sanguine ac labore partos, inter plebem dividi, quam paucorum opibus ultra modum augendis* inservire: *Quid enim tam justum* (inquit *Florus III,13,2.*) *quam recipere plebem jus suum à Patribus? ne populus gentium victor, orbisq; possessor, extorris aris ac foris ageret.* idque non *Cassius* tantum apud *Halicarnassensem*; sed *Appius* quoque *lib. IIX.* & *Atratinus* palam agnoscunt. Quin & *Fabius* Consul apud *Livium* suadet Patribus: *captivum agrum plebi quam maxime* *II, 48.* *æqualiter darent. verum esse habere eos, quorum sanguine ac sudore partus sit.*

II. Cum præsertim Reipubl. admodum interesset, *luxuriam avaritiamq; sine modo grassantem*, aliquo veluti freno cohiberi. quod institutum in *Licinia* & *Gracchanis legibus* Scriptores *Varr. de R. Rust. I, 2.* laudant. *Plin. XIIX, 3.*

III. Et videretur insuper ipsa publici status ratio flagitare, *ut ad quandam æqualitatem fortunæ civium reducerentur.* quod *vid. Plut.* in suis rebuspublicis ut obtinerent stabilirentque, varia ratione *in Agid.* ac via *veteres Legislatores* annisi sunt: quorum instituta exhibet *Pol. II, 4. II,7. VI, 4.* *Aristoteles lib.2. Pol. cap.4.* qui & *alibi* huic usui accommodatam fuisse scribit legem: *Ne cui partem, quam in distributione agrorum sorte accepisset, vendere liceret.* Quod *Gracchana Lege* cautum fuisse *Appianus* testatur; sed & *Lege Cornelia Serviliaq;* compre- *B. C. I.* hensum fuisse confirmat *Cic. contr. Rull. II, 28. coëment præterea:* *p.354.* *ista dena jugera continuabunt. nam, si dicent per Legem non licere: ne per Corneliam quidem licet. at videmus (ut longinqua mittamus) agrum Prænestinum à paucis possideri.* quin & de cæteris Legibus Agrariis idem colligere hinc licet, quod illarum auctores non alio fere telo fortius oppositos conatus represserunt, quam protractâ in lucem atque invidiam *inæqualitate* inter Optimates & Plebem: notatque *Historicus* efficaciam invidiosissimæ inter- *Liv. VI,36.* rogationis, qua Sextius & Licinius primores Patrum fatigaverunt: *auderentne postulare, ut cum bina jugera plebi dividerentur, ipsis plus quingenta jugera habere liceret? ut singuli prope trecentorum civium possiderent agros, plebejo homini vix ad tectum necessarium, aut locum sepulturæ suus pateret ager?* IV. Quid? quod ex æqua-

R litate

litate expectari potuit fructus æqualitatis, *concordia ordi-*
Liv. II, 48. *num?* quemadmodum is, quem modo nominavimus, *Fabius* Consul, *cum curam ageret, ut jam aliqua ex parte inchoata concordiæ spe, primo quoq; tempore cum Patribus coalescerent animi plebis*, prudenter censuit, *priusquam quisquam agrariæ Legis Auctor Tribunus existeret, occuparent Patres ipsi suum munus facere: captivum agrum plebi quam maxime æqualiter darent.* V. Quo minus ambigendum fuerat, quin è Republica esset, tales largitiones fieri: partim quia *in illis eximie popularitas eminebat*: qua nihil est ad animos plebis conciliandos efficacius. *Liv. II, 42. Sollicitati & eo anno sunt dulcedine agrariæ Legis animi plebis: Tribuni plebis popularem potestatem lege populari celebrabant.* VI. Partim quia *exhausta sentinâ urbis & submota à concionibus turba seditiosorum hominum, cæteris civibus haud dubie tranquillitas mansura erat*, quod *Cicero* etiam in tuenda lege Flavia se spectasse scribit: ad *Att. I, 19. Liv. X, 6. Romæ* testatur *plebem quietam & exoneratam*
6. pol. 4. *deducta in colonias multitudine fuisse*: quin & *Aristoteles* inter remedia seditionum numerat, *si plebs à concionibus per Leges Agra-*
Colum. I, 3. *rias removeatur.* VII. Quo & illud accedebat, quod *agri Italiæ, quos opulentiores supra vires patrimonij possidendo, vel deseruerant, vel mancipiis servitiisq; impleverant, vix aliter quam Legibus agrariis in eum statum reduci poterant, ut à civibus Romanis frequentarentur:*
Ti. Gracch. quod Tib. Gracchum potissimum intendisse, ex *commentariis Gracchi minoris Plutarchus* tradidit. add. *Appian. B.C. lib. I.* Ite-
ad Att. I, 19. rum *Cicero*: *Constituta diligenter divisione agrorum, Italiæ solitudinem frequentari posse arbitrabar.* Ne de usu nunc dicam, quem Populo Romano *coloniæ in alias provincias deductæ* præstiterunt.

Unde non immerito mirari quis possit, quid legum tam justarum tamque utilium non successum tantum impediverit, sed ipsum quoque nomen adeo invisum reddiderit, ut à cordatis Scriptoribus vix unquam sine infami nota appellentur. *Livius* subinde *invitamenta temeritatis, tribunitium venenum, faces novantibus res ad plebem in optimates accendendam* vocat, II, 42. II, 52. 54. XXXII, 38. *Polybius* eas *principium extitisse* pronunciat, τῆς ἐπὶ τὸ χεῖρον τῶ δήμυ διαςροφῆς. *mutatæ in deterius plebis.*
II, 21.

Cujus rei has fere causas deprehendere licet: I. quod in scrutandis insidiis ac fraudibus harum Legum facile reperiebatur:

batur: *Legislatores utilitatem publicam nihil aliud quam externa specie molitionibus suis prætexere, re autem ipsa unice privatis cupiditatibus inservire.* neque de illis legibus jam loquor, quibus per merum nefas justi possessores ab agris suis deturbabantur, quas apud *Appianum* Brutus, *Cicero in Philippicis* aliique passim exagitant. B.C. lib. 2. Eæ ipsæ enim, quibus jactabatur jus Reipublicæ ac plebis vindicari, sub speciosis nominibus, perniciosissimos Reipublicæ plebique ipsi conatus occultabant. II,39.&40. Inde cum Cassius plebi agros polliceretur, sagaciter odorati sunt prudentes: *pestilens id munus esse. agros illos servitutem iis, qui acceperint, laturos. regno viam fieri.* Liv. II,41. Et Tib. Gracchus quanquam & Crasso & Mutio Scævolæ consilium suum probasset; non fefellit tamen perspicaciores, quo minus intelligerent, *privatæ potius vindictæ, quam publicæ utilitatis studio* ad Legislationem suam incitatum fuisse. Plut. in Tib. Gracch. Cic. de harusp. resp. c. 20. Flor. III, 14, 2. De cæteris plerisque res manifestior est. II. Pro ratione temporis hominumque *nimium vehemens id ac violentum remedium erat,* quàm ut vel Pop. Rom. ad jus suum, vel optimates ad moderationem & continentiam eo reduci possent: quippe firmata jam diuturno tempore, & per multas successiones possessio, convelli sine rerum omnium perturbatione non poterat. *Florus III,13,5. reduci plebs in agros unde poterat sine possidentium eversione? qui ipsi pars populi erant, & tamen relictas sibi à majoribus sedes, ætate, quasi jure hæreditario possidebant.* Cic. de Offic. II, 22. III. Quin & in ipso *studio æquandorum bonorum* jam satis fomenti erat, unde *pestis* erumperet *universam Remp. infectura.* præsertim cum Leges Agrariæ huc eâ via dirigerentur, quam *Agis & Lysander* Lacedæmonii præiverant; de quibus videatur *Plut. in Agid. Cic. de Offic. II, 23.* Cic. de Offic. II, 21. IV. Estque ipsa experientia teste comprobatum, *nullam esse expeditiorem rationem labefactandæ concordiæ publicæ, quam si ea, quæ aliis adempta sunt, aliis condonentur,* quod itidem *Ciceroni* notatum *de Officiis II, 22.* qui & ibidem præclare monet, *eos qui se populares volunt videri, ob eamq; causam agrariam rem tentant, nequaquam consequi illam, quam putant gratiam, cum is, cui res erepta est, fiat inimicus: cui data, etiam dissimulet se accipere voluisse.* Appian. B. C. lib. 1. Cic. pro Sext. c. 48. Et pertinet huc tota ejus præclarissima dissertatio, qua *veram popularitatem à demagogica pravitate* docet discernere. contr. Rull. II, 4. pro Sext. c. 45.

 V. Præ-

V. Præterea fiebat, ut cum urbs seditiosis civibus exoneraretur, interim *nomen populi Rom. in contemptum & odium gentium externarum deduceretur*, quod præter *Ciceronem* etiam *Polybius* II, 21. observavit. VI. Ne de eo jam dicam, quod vix ulla fieri publice largitio poterat, nisi exhausto ærario vel accisis vectigalibus: h.e. nisi capitali vulnere ipsis Reip. visceribus inflicto. *Cic. cont. Rull. II, 4. Philipp. II, 39.* VII. Quanquam insuper haud raro illud obstiterit, quo minus ad usum publicum Legislatio agraria succederet, quod non satis idoneam facultatem cautionemque ac prudentiam Legislatores ad eam administrandam attulissent. prout facile apparebit, si quis *Legem Juliam*, in qua sagacissime omnia disposita fuisse, *Dio* commemorat, ad examinandos aliarum Legum errores contulerit. nam nobis quidem instituti nostri ambitus eo usque progredi non permittit: Cujus angustiis conclusi, nec artes varias hîc persequemur, quibus subinde optimates Legum Agrariarum successum interceperunt. Specimina nobiliora videantur apud *Livium* II, 43, 44, 48. IV, 48, 49, 51. VI, 35. IIX, 16.

cont. Rull. I, 1, & 3.

lib. 38.

Unum hoc, clausulæ loco, admonemus, ea quæ modo dicta sunt, non *in usum Legum Agrariarum*, sed *abusum illarum* dicta censeri debere. quem cum acerrime proscinderet profligaretque *Cicero*, libere tamen professus est, *ipsum genus Legis agrariæ nihil in se vituperio dignum continere.*

contr. Rull. II, 5.

DISSERTATIO

DISSERTATIO VII.

SPONSOR PACIS.

CAPUT I.

I. *In comparatione rerum eligendarum non aliam, quam fidam & stabilem pacem bello præferendam esse.*
II. *Homines ad colendam inter se pacem jure naturæ obligari.*
III. *Quantum roboris fœdera & pacta huic obligationi adjiciant.*
IV. *Media firmandæ pacis Veteribus usitata.*
V. *Fœderum & Sponsionum apud Romanos differentia.*

I.

QUemadmodum inter Gentes nullo civilis Imperij vinculo connexas, belloq; inprimis aut simultatibus collisas, pax firma sanciri, & adversus casuum ac propositorum humanorum inconstantiam stabiliri queat; consultatio est, in qua maximi quique publicorum negotiorum Tractatores præcipua dexteritatis & industriæ suæ specimina elaborarunt. & si quis indolem ac momenta civilium curarum rectè expendat; vix potest occupatione magis arduâ, tuendæ juvandæque societatis humanæ studium, gloriosius enitescere. Nam ipsum quidem contrahendæ pacis negotium expeditius plerumque & proclivius facit necessitas temporis, rerumque usus. Cujus inclinatio, nisi constructis operosè munimentis circumsepiatur, levi momento versa, in novos denuò & sæviores tumultus abripit, quos utilitas pacis, vel è bello pericula, spe metuve temporario concepta, in amicitiæ cujusdam & pacis imaginem copulavêre. Si tamen in illos conjunctionis ullius aut concordiæ nomen aptari potest, inter quos dilata magis prœlia, quam bellum finitum est, & armorum quidem strepitus, sed non metus & pericula quiescunt. Dulcissima utique pacis & quietis vocabula vix congruè

Resp: Joh. Ferd: Stauffer ab Unterach. 18. Martii 1675.

grue usurpantur, ubi paci fiducia, quieti securitas deest: quæ unicè prudentes & quietem & pacem æstimant. *In pace suspecta tutius bellum*, pronuntiant apud *Tacitum* aliqui: & in re præsenti demonstrant duo gravissimi Oratores, *Demosthenes* & *Cicero*. Omnis insuper ævi exempla loquuntur, *frequentius conventionum pacisq; simulationem credulis, quam arma nocuisse.* Unde apud eos, quos fortuna liberioribus auspiciis permittit consilia sua disponere, nunquam tanti esse otium debet, ut sine idonea cautione futuræ tranquillitatis optent pacem: cui tum demum vero elogio salus & incolumitas humani generis imputatur, quando non ad imaginarias fucatasque delicias, umbram quandam sui & speciem ostentat; sed cum ad sinceram constantemque felicitatem se ipsam mortalibus impertit: qualem precantur, qui in *ludo* ingeniosissimi *Poëtæ* non Paci magis quam Prudentiæ litant:

4. H. 49, 3.
de falsa legat. p. 213.
Phil. VII, 6.
Veget. de Re Mil. III, 3.

Aristoph. Εἰρήν. edit. Biset. pag. 697.

Ὦ σεμνοτάτη βασίλεια θεὰ
Πότνι' εἰρήνη
Δέξαι θυσίαν τὴν ἡμετέραν,
—— —— καὶ μὴ ποίει γ' ἅπερ αἱ
Μοιχευόμεναι δρῶσι γυναῖκες,
Καὶ γὰρ ἐκεῖναι παρακλίνασαι
Τῆς αὐλείας παρακύπτουσι,
Κἄν τις προσέχει τὸν νοῦν αὐτῆς
Ἀναχωροῦσι,
Κᾆ τὴν ἀπίει παρακύπτουσι.
Τούτων σὺ ποίει μηδὲν ἔθ' ἡμᾶς
Μὰ Δί' ἀλλ' ἀπόφηνον ὅλην σαυτὴν
Γενναιοπρεπῶς.

O veneranda, O Regina Dea,
Reverenda ô Pax!
Accipe nostra hæc sacra libamina;
—— nec fac quod facere solent,
Dum mœchantur fœminæ adulteræ,
Quæ reclusis paulum foribus,

Vix

Vix ſe oſtendunt deſpicientes,
Si quis ad ipſas ſtudioſè venit,
Regrediuntur:
Qui ſi abſceſſerit, iterum intervident:
Tu nihil in nos fac Dea eimodi:
Quin potius te pandas totam,
Prout addecet ingenuas.

II. Quanquam ſi votis bonorum res humanæ tranſigerentur, tranquillitatem hominum, non adverſus belli tantùm vim apertam, ſed contra occultas pacis inſidias, ſatis validis præſidiis Natura muniverat: cujus incorrupto dictamine, etiam citra pactum promiſſumve ullum, ad ſinceram ſtabilemque concordiam omnes obſtringuntur. Idque tàm explicato tamque potenti imperio; ut ejus vim illi quoque ſentiant, qui primas duntaxat, hominique cum cæteris animantibus communes inclinationes ſequuntur: quibus immaniſſimæ quæque feræ ad pacem inter congenera animalia miteſcunt. *Canis caninam non eſt:* Vetus παροιμία erat. *Varr. de L. L. VI. p.71.*

Neq; hic lupis mos, nec fuit leonibus
Unquam, niſi in diſpar genus:

inquit *Horatius*: Cujus ſententiam *Plinius* paraphraſticè diffudit: *Cætera animantia in ſuo genere probe degunt: congregari videmus & ſtare contra diſſimilia: Leonum feritas inter ſe non dimicat: Serpentum morſus non petit ſerpentes: ne maris quidem belluæ ac piſces, niſi in diverſa genera ſæviunt.* Eleganti verò carmine complexus eſt *Juvenalis*: *Epod. VII. 11.* *Hiſt. Nat. VII. procem.*

—— Serpentum major concordia: parcit *V. 15, 159.*
Cognatis maſculis ſimilis fera. Quando Leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam; ſævis inter ſe convenit urſis,

Quin

Quin imò ne in diversa quidem genera, nisi fame stipulante, irruere bruta animalia, tradit ex *Aristotele Porphyrius* περὶ ἀποχῆς Lib. III. §. 12. Ἀληθὲς γὰρ τὸ τοῦ Ἀριστοτέλους, ὡς εἰ ἀφθονίαν τῆς τροφῆς πάντα τὰ ζῶα ἐκέκτητο, οὔτ' ἂν πρὸς ἄλληλα, οὔτε πρὸς ἀνθρώπους ἔσχον ἂν ἀγρίως. *Verum est illud Aristotelis, quod si omnia animalia alimenti haberent copiam, neq; adversus se invicem, nec contra homines desævirent.* Cum autem homines insuper intellectu & rationali judicio ad cognoscendam perfectius hanc sui generis similitudinem natura deduxerit; eadem quoque illos intelligenda est longè potentiore affectu conciliasse sibi invicem, & ad pacem inter se colendam validioribus vinculis adstrinxisse. Chrysostomus ad Rom. Homil. 31. Ἔχομεν φυσικήν τινα πρὸς ἀλλήλους οἰκείωσιν, γὰρ καὶ θηρία πρὸς ἄλληλα κέκτηται. *Habemus naturalem quandam inter nos societatem, quam feræ quoq; inter se custodiunt.* Quod ex Ethnicis etiam viderunt, *qui universalem quandam inter omnes homines societatem ac amicitiam ab ipsâ naturâ statutam esse; homines ipso humanitatis intuitu impelli, non tantùm ne nocere aliis velint, sed ut prodesse studeant & auxilium ferre: utq; dum humani à se nihil alienum putant, lætis tristibusq; hominum casibus perinde adficiantur: quædam officia non tam hominibus, quam humanitati tribuenda, definiunt.* quod itidem Poëta expressit.

Juvenal. Sat. V. 15. 138.

Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ
Virginis occurrit; vel terra clauditur infans
Et minor igne rogi. Quis enim bonus & face dignus
Arcanâ, qualem Cereris vult esse Sacerdos,
Ulla aliena sibi credat mala? Separat hæc nos
A grege mutorum. ——
—— —— —— Mundi
Principio indulsit communis Conditor illis
Tantum animas; nobis animum quoq;: Mutuus ut nos
Affectus petere auxilium & præstare juberet.

Illis verò dilucidius distinctiusque hujus sententiæ veritas patet, qui voluntatem Summi naturæ Parentis è Sacris literis perspectam habent: quibus I. Vox naturæ, *non lædendum alterum; nemini hominum jus suum detrahendum; proximum diligendum*; evidentis-

dentiſſimis & paſſim obviis præceptis repetitur: certiſſimum univerſalis inter omnes homines pacis fundamentum: quæ non poteſt plenius, quam quieto juris ſui uſu definiri. Ut vel hinc ad illam cuſtodiendam ſe obſtrictos intelligant, quotquot rectæ rationis dictamini auſcultant: quod regula iſtorum præceptorum nullum bello locum relinquit, niſi cum adverſus illorum violatores pax eſt ſtabilienda. II. Promulgantur mandata expreſſa & ſpecialia, de colenda pace & ſectanda vitæ tranquillitate, addita execratione illorum, qui bella & diſcordias excitant. *Pſal.XXXIV.v.15. Diverte à malo & fac bonum: inquire pacem & perſequere eam. add. 1.Pet.III,11. Prov.XII,20. Dolus in corde cogitantium mala: qui autem pacis ineunt conſilia, ſequitur eos gaudium. Eſai. XXXII,17. Et erit opus juſtitiæ pax, & cultus juſtitiæ, quies, & ſecuritas uſq; in ſempiternum. Zachar.IIX,19. Hæc dicit Dominus exercituum: jejunia erunt domui Judæ in gaudium & lætitiam, & in ſolennitates præclaras: veritatem tamen & pacem diligite. Matth.V,9.* Μακάριοι οἱ εἰρηνοποιοὶ ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται. *Beati pacifici: quoniam filii DEI nominabuntur. Marc. IX,50.* ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας, καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις. *Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.* add. Joh.XIV,27. Rom.III,15. gravis deteſtatio exſtat eorum, ὧν ὀξεῖς οἱ πόδες ἐκχέαι αἷμα, καὶ ὁδὸν εἰρήνης οὐκ ἔγνωσαν, *quorum veloces pedes ad effundendum ſanguinem; & viam pacis non cognoverunt.* 1.Cor.XIV,33. οὐ γάρ ἐστιν ἀκαταστασίας ὁ Θεὸς, ἀλλ᾽ εἰρήνης. *DEUS enim non eſt DEUS diſſenſionis, ſed DEUS pacis. Adde 2.Cor.XIII,11. & 13. Ebr.XII,14. Rom. XII,18.* εἰρήνην διώκετε μετὰ πάντων *Conſectamini pacem cum omnibus.* III. Exponuntur indubia narrationis fide origines humani generis, vitæque primordia, ab uno conjugum pari latiſſimè diffuſa conſanguinitate per omnia ſæcula propagatæ. Unde, quia citra ullas ambages liquidiſſimè patet, neceſſitudinem inter nos *cognationemq; naturam conſtituiſſe*; irrefragabili concludendi efficacia *conſequitur: hominem homini inſidiari nefas eſſe.* L. 3. D. de Juſt. & Jur. Senec. *controverſ. neq; feris inter ſe bella ſunt: nec ſi forent, eadem hominem deceant, placidum proximumq; Divino genus. Quæ tanta vos fert ira, cum una ſtirps idemq; ſanguis ſitis?* Quod unum ſatis eſſet ad confutandam *Hobbeſii* ſententiam: ex vanis quibuſdam ineptiſque ratiunculis adſtruere conantis, *ſtatum hominum natu-* Elem. de Civ. I, 2. & ſeq.

S *ralem,*

ralem, non pacem, sed bellum esse. Qui error jam ab aliis, & non ita pridem plenius *à Clariss. Pufendorfio* est confutatus.

III. Loquimur autem hactenus de illa obligatione ad pacem, quæ naturalis præcepti authoritate unicè vel immediatè nititur, atque hinc eos etiam populos obstringit, inter quos nulla fœdera vel pacta de servanda pace contracta sunt. quæ cum accedunt, novum à dictamine rationis naturalis ad præcedentia præceptum adjicitur, *de fide inter paciscentes data firmiter servanda.* quod *Cicero* quidem *justitiæ*; *Aristoteles* verò *universi, quod est inter homines, commercij fundamentum* vocavit: ut non leve aut inutile momentum censeri debeat, quod ad pacem & concordiam diversarum gentium stabiliendam, pacta & fœdera adferunt: etiamsi nihil aliud in iis constituatur, quam id, ad quod jam antea gentes ipsa lege naturali tenebantur. Cujus generis fœdera non tantum inter hostes, qui à bello discedunt, sed & inter eos, qui antea nihil contraxerunt, quique inter se nec meritis nec odio cogniti sunt, locum obtinere, jam à *Grotio* admonitum est. quanquam & in iis conventionibus, quæ superaddunt aliquid juri naturæ, agitari hæc disputatio potest: circa efficaciam usumque articulorum generalium, quibus pacem & quietem servatum iri, injurias & offensiones abfore, aliaque similia, cultiores etiam populi, non solius utique solennitatis aut mutuæ contestationis causa paciscuntur. Et hunc quidem usum esse istis pactionibus, ut gentes quæ à pace naturali, bello, vel mala consuetudine recesserunt, ad eam reducantur, expeditum est. *Quod si* verò *inter populos, qui hactenus neq; beneficiis neq; injuriis, pace aut bello fuere cogniti, fœdera ineantur, in quibus circa peculiaria quæpiam præstanda non convenitur, illa amicitiæ sanciendæ causa iniri, adeoq; arctiorem conjunctionem, quàm naturalis illa Pax, producere* fatetur *Pufendorfius.* Qui de cætero, *tale pactum inire, cujus capita & conditiones nihil aliud contineant, quam quod quis im̃ediatè non sit violaturus id, quod jam à natura expresse fuerat præceptum, non inutile tantùm & à consuetudine hominum cultiorum abhorrens, sed parum quoq; reverens erga Divinum Numen* pronunciat. de quo tamen ex formula veteri *amplius* cognoscendum censeo. Nam I. quod ad utilitatem hujus pacti attinet, illud obligationem quidem ex præcepto naturali, de non offendendo altero, descendentem perfectiorem efficacioremque non reddit;

I. off. 7. Rhet. ad Theod. I, 15.

de Jur. Belli & P. II. 15. 5.

de J. N. & G. II. 2. 11.

reddit; quippe in ſuo genere & perfectiſſimam & efficaciſſimam: ſed novum tamen medium ſuppeditat, quo intercedente, præceptum naturale alterum, *ut ſi qua convenerunt, ea fideliter præſtentur*; quod paci univerſali contra *Hobbeſium* itidem à *Pufendorfio* ſubſternitur, demum incipit vim ſuam exſerere, obligationemque producit, objecto quidem argumentoque in priori illa obligatione comprehenſam, conſtitutione autem & effectu cum ea nihil aliud quam concurrentem. Unde & is, qui pactus non eſt de pace colenda, & is qui pactus eſt, æqualiter obligantur DEO ad obſervandum ejus mandatum, de non lædendo altero; is autem, qui pactus eſt, inſuper obſtringitur præcepto de ſervandâ fide: aliæque itidem gentes, ne turbentur lædanturque, à naturâ quidem adverſus utrumque æquale jus habent; ſed adverſus eum qui pactus eſt, ex ſua inſuper conventione atque illius adeo facto cum quo convenerunt. Atque hinc populus qui naturalem tantum pacem violat, impingit in juſtitiam univerſalem, tranſgrediendo naturæ legem, qua vetabatur lædere alterum; qui pacem fœdere firmatam, tranſgrediendo prætereà legem, qua jubebatur ſervare fidem. ille particularis juſtitiæ læſæ reus fit, quia jus à natura competens alteri; hic, quia jus ab humano promiſſo deſcendens inſuper infringit: adeoque & de injuſtitiâ, & peculiariter de perfidiâ admiſsâ, Authori quidem & Vindici legis naturalis DEO, ad luendam pœnam, læſo verò populo, ad præſtandam ſatisfactionem obſtringitur. II. Licet inter gentes cultiores ſuperfluum ſit, ſtabiliendæ paci naturali talia præſidia adornare, quæ præcepto Divino efficaciam authoritatemque majorem concilient: attamen adhibere media, quibus efficacia Divini præcepti in ſe abunde ſufficiens, ad præſentiores expeditioreſque uſus in humanâ vitâ attemperetur, nunquam inutilis cautio habita eſt. Cum hoc hominum ingenium ſit, ut qui ſibi eminentioris cujuſdam potentiæ præ aliis conſcii ſunt, ſola Divini Numinis veneratione immediate regi continerique ſe vix patiantur: & cum conſcientiâ ſuâ ſerioriſque vindictæ reverentiâ facilius plerique tranſigant, quam cum dedecoris damnive metu, quod ex violatione fidei datæ, ſi non certius, at præſentius apertiuſque imminet. Inde non rarò videas eos, apud quos Divinæ ultionis lentitudine, ipſa Divinorum præce-

ptorum authoritas in oblivionem & contemtum eviluit, opprobrio vanitatis ac perfidiæ absterreri, ne in eos irruant, quorum securitatem sciunt adversus se fœderis religione, totiusque adeo generis humani judicio munitam. Deinde inter eos etiam, qui non famæ, sed conscientiæ causa lædere alterum atque injuria afficere verentur, *sæpe habet aliquid obscuri in cæteris sui partibus justitia: at fidei vinculum per se manifestum est, imò ideo quoq; usurpatur, ut de negotiis omnis dematur obscuritas*, quæ *Hugonis Grotij* admonitio est. Nescio an hoc addere liceat: generalius esse pacis naturalis & laxius vinculum, talibusque exceptionibus obnoxium, quas interposita expressè fides non admittit. Pone duos populos, alterum pace tantum naturali, alterum expresso insuper fœdere tibi conjunctum; si tertius cum priore illo, bello non apertè injusto commissus, auxilium tuum imploret, & tibi conditio commoda videatur, poteris illæso naturali præcepto à conjunctione naturali recedere, ab expresso fœdere salvâ fide, casu & circumstantiis iisdem non æque. III. Sicut parum utique reverens foret erga Divinum Numen, si pacem à DEO naturaliter præceptam, fœdere insuper stabilire, isthoc proposito conaremur, quasi DEI jussum non satis jam necessitatis nobis attulisset, nisi & ipsi in idem ultro consentiremus; aut quasi ex nostro arbitrio ea obligatio dependeret: Ita facilè decedet consiliis talis fœderis sanciendi æstimatio irreverentiæ erga Divinum Numen; si adversus eum hoc pacto nobis eamus consultum, qui vel necessitatem, quæ revera inest legi naturali de pace servanda, non agnoscit; vel in uniuscujusque arbitrio positum disertè contendit, quousque jus naturaliter sibi competens in omnia, exercere, vique apertâ prosequi, aut remittere, pacemque cum aliis idem jus habentibus colere velit. Qualia principia vix est, ut inter arma suos assertores non consequantur, postquam inter Philosophos ne patrocinium iis deesset, ab *Hobbesio* præstitum est.

De J. B. & P. III, 25, 1.

Elem. de Civ. I, 2. & seqq.

IV. Quid? quod ne ipsa quidem sanctissima fidei vincula continendæ paci conventione fœdereque sancitæ plerumque sufficiunt. Quibus idcirco firmandis muniendisque, omnes ferè Gentes ætatesque peculiarem hactenus industriam impenderunt. Rarissima *Religio* est, quam apud Alexandrum

Curt. VII, 8, 29.

Mace-

Macedonem Scythæ professi sunt: *Jurando gratiam Scythas sancire ne credideris: colendo fidem, jurant. Græcorum ista cautio est: qui acta consignant, & Deos invocant. Nos Religionem in ipsa fide novimus. qui non reverentur homines, fallunt Deos.* Cæteris populis usitatissimum & veluti solenne pacis stabiliendæ præsidium, *Jusjurandum* fuit. Cujus vim appositè ad rem nostram expressit *Dionysius Halicarnassensis*, quando in fœderibus juratis, *lib. IV.* DEOS PACIS SPONSORES ἐγγυητὰς τῶν ὁμολογιῶν, fieri pronuntiavit. Cæremonias formulasque talium juramentorum fœderumque diligenter annotavit *Brissonius* in *Formulis*: cui addendus *Grotius de Jur. Bell. & Pac. II,13,10. & seqq.* *lib IV. & IIX.* Proximè ad institutum nostrum accedit vetustissimus Arabum ritus: apud quos, describente *Herodoto*, paciscentes non inter se tantum, sed Mediatori quoque sive Conciliatori pacis fidem suam obstringebant, *III, 8.* *se pacta conventa, uti fas & æquum esset, sancte, integreq; custodituros.* Juramentis adjungit in enumerandis pacis cautionibus *Obsides Polybius*: quos & apud *Livium* subinde videas *pacis pignora* nominari. *IIX, 2.* Notatque *Grotius* inter obsides & pignora alia, quæ nonnunquam ad firmandas publicas conventiones, *II, 13. IX, 15. de J. B. & P. III, 20, 59.* *in munimentis, agris, rebusq; etiam mobilibus* constitui solent, hoc tantùm interesse, quod quæ de aliis pignoribus est pactio, non tam strictè sumatur, quàm quæ est de obsidibus: cum non sit æquale odium: & res quidem natæ sint ut teneantur, non & homines.

V. Qui de moribus Populi Romani in pace contrahenda differunt, illi pervulgatam, inter *fœdera* & *sponsiones*, differentiam ita explicant, ut *fœdera* quidem dicant esse, *quæ jussu summæ potestatis fiebant*; *sponsiones, ubi hi, qui à potestate summâ mandatum ejus rei non habebant, aliquid promisissent, quod illam propriè tangeret.* *vide Grot. de J. B. II, 15, 3.* Et fœdera quidem solenni cærimonia feriri citra summæ potestatis jussum non potuisse, certum est. Sponsiones tamen quanquam præcedente jussu summæ potestatis factæ, non ideo fœderum jure censebantur: nisi solennes Fecialium ritus accessissent. Confirmare id licet ex eodem, quo plerique suam interpretationem adstruere conantur, *Livij* testimonio: *IX, 9.* apud quem Postumius de sponsione sua cum Samnitibus: *An*

si sana mens fuisset, inquit, *difficile illis fuit, mittere Romam legatos, cum Senatu cum Populo, de pace, fœdere agere? ea demum sponsio esset, quam* POPULI JUSSU *spopondissemus. Sed neque vos tulissetis, neque nos spopondissemus.* Quin id potius ex universa tractatione illa *Livianâ* de *fœderibus* & *sponsionibus* elucet: *Populum Romanum, liberâ Republicâ, non aliter quàm fœdere, hoc est, per Feciales, adhibitis cæremoniis solennibus, pacem fecisse, juramentoq; sanxisse. Cum verò Fecialium, apparatusq; solennis ad fœdus jurejurando sanciendum, copia haberi non posset; Duces belli, sponsoribus & obsidibus datis, promisisse, Populum Romanum fœdere pacem esse facturum.* Itaque sponsionibus non fiebat pax, sed in futurum promittebatur, pacem factum iri. Cæterùm neque fœderi, neque sponsioni, injussu Populi factæ vim aut efficaciam ullam ad obstringendum Populum

IX, 5. tribuebant Romani. Evincunt id apud *Livium* illa: *Cum de fœdere victor agitaret, negarunt Consules injussu populi fœdus fieri posse: nec sine fecialibus cæremoniaque alia solenni. Itaque non fœdere, pax Caudina, sed per sponsionem facta est. Quid enim aut* SPONSORIBUS *in fœdere opus esset, aut* OBSIDIBUS, *ubi* PRECATIONE *res transigitur? Spoponderunt Consules, Legati, Quæstores, Tribuni militum, nominaque omnium, qui spoponderunt, extant: ubi si ex fœdere acta res esset, præterquam duorum Fecialium non exstarent: & propter necessariam* FOEDERIS DILATIONEM *obsides etiam sexcenti equites imperati.* Sequitur mox

IX, 9. ex persona Postumii: *Neque ego infitias eo, tam sponsiones quam fœdera sancta esse apud eos homines, apud quos juxta divinas religiones fides humana colitur: sed injussu Populi nego quicquam sanciri posse, quod Populum teneat.* Denique in formula Fecialium, qua Sponsores Pacis dediti sunt, subjicitur: *quandoque hice*

IX, 10. *homines injussu Populi Romani Quiritium* FOEDUS ICTUM IRI *spoponderunt, hosce homines vobis dedo.*

CAPUT

CAPUT II.

I.

EXemplo itaque satis vetusto comprobatur, *Pacis Sponsores*, usu latinè loquentium rectè nominari, *qui alieno nomine pacem, vel factum vel servatum iri promittunt*: sed consuetudo publica solennis curialisque scripturæ ad eos restringit hanc appellationem, qui pacem alios quidem facturos vel servaturos promittunt; verùm nomine non alieno aut procuratorio, sed suo & proprio: sive id ipsi per se faciant: sive per Procuratores, Mandatarios, Legatos, Plenipotentiarios: quibus non nisi populariter loquendo competit *Sponsorum* nomen: in illos quippe proprie congruens, à quibus spondendi facultatem Mandatarii acceperunt. Ipsos autem Sponsores in *Actis & Instrumentis Tractatuum, Conventionumq; publicarum,* pro diversa negotii sponsionisque conditione, *Fidejussores, Expromissores, Custodes, Vindices, Executores Pacis* nominari videas: sicut *Sponsionem Pacis ipsam, Fidejussionem, Expromissionem, Securitatis Evictionisque præstationem* dici obtinuit.

II. Species excellentior hujus Sponsionis est, quam *Garantiam* peregrino vocabulo nuncupant: cum *Populi liberi, quive in libero populo summam potestatem habent, inter alios paciscentes fidem*

fidem suam interponunt, seq; effecturos promittunt, ut pax atq; amicitia contracta servetur, & læsa reparetur. Cui *fidejussioni,* ut rectè observavit *Pufendorfius, implicitum est fœdus circa ferendum auxilium illi, qui contra pacta invaditur, adversus injuriæ auctorem.* Idque in ipsis plerumque formulis talium sponsionum solet exprimi. Illustre specimen exstat in *Pace Anno hujus seculi sexagesimo inter Serenissimos ac Potentissimos Sueciæ ac Poloniæ Reges, Olivæ inita*: cujus *Artic.36.* Sponsio Pacis his verbis exprimitur: *Cum pro majore securitate hujus Pacificationis, tam Sereniss. & Potentiss. Rex Sueciæ, quam Sereniss. & Potentiss. Rex & Respublica Poloniæ, ut & Sereniss. Elector Brandenburgicus postulaverint, ut Sereniss. ac Potentiss. Princeps ac Dominus Dominus Ludovicus Decimusquartus Galliarum & Navarræ Rex Christianissimus, cujus ope ac studio inter præmemoratos Sereniss. Reges & Sereniss. Electorem Brandenburgicum promota, & mediatione ad optatum finem pax hæc perducta est, executionis & observationis illius inter eosdem* FIDEIUSSOR *existeret; Sacra Majest. Christianiss. postulationibus ac votis Illorum annuens, eodemq; animo pacis hujus perpetuitatem exoptans, quo eam procuravit, pro se ac successoribus suis Regibus Galliæ spondet ac promittit: idq; per Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Antonium de l'Ombres Legatum suum, plenariis mandatis ad hanc* GARANTIAM *cavendam instructum; se executionem horum pactorum eorumq; observationem ac perpetuitatem inter Eosdem supra memoratos Principes, omni meliori, quo fieri potest, modo, etiam armis, ubi amicabilia media non processerint, asserturam: & si quis Eorum aliquid sub hac fidejussione comprehensorum violaverit, arma viresq; suas parti læsæ, ad ejus requisitionem, juncturam. Integrum quoq; erit paciscentibus omnibus, eandem Christianissimi Regis Garantiam & Fidejussionem suscipere, & alios quoq; in tempore ratihabitionis, ad idem officij genus invitare & denominare Principes ac Potestates.* Interdum & *iidem* principaliter paciscentes, inter se mutuo Garantiam præstant: sub aliorum tamen respectu, & quatenus pro aliis compaciscentibus pacem spondent: exemplo quorumcunque reorum promittendi principalium: quos vice mutua fidejussores non inutiliter accipi, *Papinianus* respondit. Quo pertinet, quod in *pace Westphalica, omnes & singuli ejus transactionis Consortes in se recipiunt, universas & singulas ejus Pacis leges contra quemcunq;, sine Religionis distinctione,*

De Jur. N. & G. IIX, 8,7.

l. 11. pr. D. de duob. reis constit. Instr. Pac. §. 115. & 116.

ne, tueri & protegere, & si quid eorum à quocunque violari contigerit, læsumq; lædentem vel amicabili compositione vel juris disceptatione oblata, a via facti dimovere non potuerit, junctis cum parte læsa consiliis viribusq; arma sumere ad repellendam injuriam. Quemadmodum & in ante nominata *Pace Sueco-Polonica, quo firmior, stabilior, & securior pax coalesceret, & ab omni parte intemerata duraret, promittunt Partes paciscentes, omnes tam principales, quam fœderatæ, se eam transactionem & Pacem, omnesq; ejus articulos, capita & clausulas, sancte & inviolabiliter servare velle & debere; & ne inposterum violari queat, se invicem ad generalem Garantiam & Evictionem mutuam ac defensionem reciprocam, omni ex parte obstringunt: quam fieri potest firmissimè spondentes; ut si contingat, unam partem ab altera vel plures a pluribus, terra vel mari, bello contra hanc pacificationem impeti; aggressor ipso facto pro infractore hujus pacis ab omnibus haberetur: ac altera uti & reliquæ paciscentium Partes Parti læsæ communibus armis assistere, & tamdiu contra aggressorem bellum prosequi, donec pax communi omnium Partium consensu restituta fuerit, invicem tenerentur.* Unde illud etiam apparet, promissiones talium sponsionum tendere quidem præcipue ad aliorum utilitatem, quibus pax & securitas paratur: & ad factum quoque aliorum determinari, qui pacem & quietem se culturos promittunt; esse tamen facti proprii: quatenus Sponsores ad efficiendum quippiam præstandumve se obstringunt, nisi pax inter alios inita servetur. *Artic. 35.*

III. Ut aliquid annotemus ad momenta singula: Novum utique non est, *fœdere inter alios inito, alterius, quam cum quo fœdus initur, securitatem pacemq; sanciri.* Uti factum in fœdere *Smyrnæorum & Magnetum de majestate Seleuci Callinici comiter conservanda*: quod ex *marmoribus Arundellianis* publicavit *Seldenus.* Præmittitur ibi *decretum Smyrnæorum*: in quo illi profitentur, *se variis Seleuci beneficiis inductos, ut firmatum quam commodissimè Regi Statum rerum suarum cuperent: misisse hinc ad Magnesiorum incolas, eosq; ad amicitiam & belli societatem cum Rege Seleuco in perpetuum servandam invitasse: promisisse invicem illis, si conservarent illius Majestatem, & eundem cum illo hostem ac amicum æstimarent, fore eis & à Populo, & à Rege Seleuco omnimodum favorem & benivolentiam: Magnesios vero invitatos ad servandam Regi Seleuco amici-* *Marm. Arund. II. p. 15. & seq*

tiam & belli societatem, & ad conservandam ejus majestatem, suámet sponte pronos, ea quæ postulabantur, avidè esse amplexatos: pollicitosque eandem animi se habituros sententiam cum Smyrnæis ad omnia Seleuci Regis commoda. Sequitur *fœdus* ipsum, atque ea, quæ in decreto præcesserant, *jurejurando* inter hos duos Populos sanciuntur.

IV. Eodem referri debet, quod usu diuturno & frequentissimo in perpetuam quandam praxin & observantiam invaluit, ut *aliorum fœderibus alij nominatim comprehenderentur*: quibus hinc non minus, quam iis, cum quibus fœdus principaliter contractum est, quies & securitas debetur: ita ut ipsam quoque pacem principalem rumpi, si alicui eorum, qui suo consensu nominati sunt in pace, vis armorum inferatur, certum sit: uti *Grotio* etiam notatum explicatumque. Exempla talis nominationis tot ferè occurrunt, quot fœderum: præsertim in *superioris & hujus sæculi actis*: quæ hic exscribere nihil attinet. Formula in *Instrumento Pacis Westphalicæ* videri potest.

De J. B. & P. III, 20, 33.

V. Ita porro, etiam ubi de Garantia præstanda expresè non cavetur, inusitatum tamen non est, ut pacis inter alios tuendæ *jus studiumq*, interdum & *obligatio*, ex ipsa negotiorum indole, in alios conferatur. *Jus pacis inter alios tuendæ*, potissimùm *Arbitris* publicarum controversiarum competit: in quos quicunque facultatem sententiæ in sua causa pronuntiandæ transferunt, ejusdem sententiæ tuendæ asserendæque facultatem transferre intelliguntur: ipso quippe alias arbitrio in irritum recasuro, si Arbitri sententia vi & auctoritate sua destituatur: quæ inter eos, qui superiorem judicem non habent, alia ratione stabiliri vix potest, quam ut ipsi Arbitro cura simul & jus tribuatur providendi, ne quid arbitrio adversum ab alterutra Partium admittatur; aut quæ sopitæ sunt arbitrio controversiæ, denuo excitentur. Sicut enim & aliàs summum quisque causæ suæ judicem facit, quemcunque elegit: ita in Principalibus inprimis controversiis, vanum & derisorium est arbitrium ejus, qui non parentem coërcere non potest. Exempla pacis per Arbitros contractæ, copiosissimâ annotatione complexus est *Grotius de Jur. Bell. & Pac. II, 23, 8. & ibi not. III. 20, 46. & not. ad d.l.* Add. *Pufendorf. de Jur. Nat. & Gent. V, 13, 4. & seqq.*

Vellej. II, 50.

VI. *Sin-*

VI. *Studium concordiæ servandæ stabiliendæq; inter alios amicitiæ* in officio & propositis *Mediatorum* præcipuè eminet: quorum operibus potissima gratiæ gloriæque portio decedit, si consilia sua non ad firmandam continendamque concordiam porrigant. Non enim tam cogitandum est de sancienda in præsens amicitia, quam id curandum, ne bello iterum implicentur paciscentes: neque ad differenda, sed ad auferenda mala adhibentur Mediatores: ut *Dionysii Halicarnassensis*, paulum modo immutata verba huc transferamus. Et quod maximè huc referri meretur, observare sanè licet, in quibusdam fœderibus curam pacis conservandæ Mediatoribus ipso partium Paciscentium consensu disertè ac veluti solenniter commendari. Ut in *Tractatu Pacis Brandeburgo-Polonicæ die 19. Septembr. 1657. Welaviæ conclusæ*, cavetur: ut *si pars alterutra ei conventioni & fœderi contravenisset, & decenter admonita, satisfacere neglexisset, pars læsa monere teneretur Mediatores ac Serenissimos Reges & Status* (cum Mediatoribus fidem suam interposituros) *& Eorum curam adhibere procurandæ satisfactioni, & stabiliendæ concordiæ rationi.* Sequitur inde de futuris Sponsoribus, interque eos de Mediatore ipso, Sereniss. Bohemiæ & Hungariæ Rege: *pro securitate & horum pactorum firmitudine fidem suam quoq; ut interponant Serenissimi & Potentissimi Reges Ungariæ & Bohemiæ, item Daniæ Norvegiæq; deniq; Præpotentes Fœderati Belgij Ordines rogabuntur; ut injuriam aut vim contra hanc conventionem passo omni meliori modo consulatur, atq; debita ipsi satisfactio procuretur.* lib. III.

VII. Quin & *obligatio* quoque *ad defendendam custodiendamq; pacem*, aliis, præter Partes Principales, hinc subnascitur, si pacis tabulas subscribant: sive conciliandæ paci intervenerint, sive alia de causa fuerint ad id à Paciscentibus adhibiti. Atque huc respexisse arbitror *Frider. Furium Cæriolanum* in *Formula Pacis* inter *Philip. Hisp. Regem, & Fœderati Belgij Ordines* componendæ; cum admonuit, *ut, si Regem arctius pactis adstringi necesse esset, iis Hispani Proceres tàm Sacri quàm Profani Ordinis unà cum Rege subscriberent. Idem & volente Rege, Germaniæ Principes facerent.* Neque alienum hinc est, quod in *Tabulis Pacis Sueco-Danicæ Rotschildiæ 26. Februar. 1658. initæ* profitentur Paciscentes, *se à Regiæ Majestatis Franciæ, & Protectoris Angliæ, respectivè Ordinariis Ambas-* ap. Thuan. lib. LX. An. 1575.

ſadoribus & Extraordinariis Legatis tanquam Mediatoribus in illis Tractatibus Pacis, rogaſſe, ut pro majori firmitate ac meliore certitudine & teſtificatione, ea omnia unà cum ipſis Partibus principalibus ſubſcribere & ſubſignare non gravarentur. Exſeruitque ſe hujus *Mediationis* & *ſubſcriptionis* efficacia mox in *Tractatu Hagenſi, die 22. May 1659.* concluſo. in quo *Gallia Angliaq;, eo potiſſimum, quod paci Rotſchildenſi ſanciendæ graviter inſudaverant, ſe permotas eſſe* teſtantur, *ut partium ſuarum eſſe cenſerent, omnem diligentiam omnemq; operam bello recrudeſcenti amoliendo adhibere.* Additur paulo poſt *Sponſio Garantiæ futuræ, ſi pacem reſtaurari contingeret*, aſſumtis etiam *Fœderati Belgij Ordinibus*; ad quam ſe denique præſtandam in *Pace Haffnienſi de An. 1660.* ipſis quoque Partibus principaliter paciſcentibus Sponſores iſti obſtrinxerunt.

IIX. Sed illi quidem, qui ſubſcribunt aliena fœdera, tacite ſaltem & veluti ex præſumta voluntate, nec ultra quam ut Pacis curam gerant, obligantur: cæterum, quod ad naturam Garanticæ obligationis propius accedit, *expreſſæ ſponſionis vinculo, ad aliud quid ſuſtinendum præſtandumq;, niſi pax à Partibus Principalibus ſervetur,* obſtringuntur *Obſides,* qui ſua voluntate ſe obligant: quos benè diſtinguit *Grotius* ab iis, qui ab aliis jure ſummi Imperii traduntur. Ad quid alterutri teneantur, definiri generaliter non poteſt, ſed ex formulis conventionum dijudicari debet. Morte affici obſides, ſi pax non ſervetur, atque ad id propria voluntate eos ſeſe nonnunquam obſtringere, ſi factum reſpicias, exemplo non caret: ſi jus expendas, cordato maximè judicio pronuntiat *Grotius*: eos qui à peccato immunes putant, ſi qui ex conventione ſola vitam adimunt alicui, & falli ipſos, & periculoſa autoritate alios fallere. Digna eſt, quæ in exemplum Conſultationum de hoc argumento inſtituendarum laudetur *Cominæi* Philoſophia: graviter deteſtantis crudelitatem eorum, qui atrociora in obſides ſuaſerant, cum de iis interficiendis in concilio Caroli Burgundi deliberaretur. Conferatur *Alberici Gentilis* annotatio de *Jur. Bell. l.2.c.19.*

De Jur. B. & P. III, 11, 18. Add. Eund. III, 4, 14. & III, 20, 53. Comment. lib. 2.

IX. Certior vel certè expeditior plerumque *Fidejuſſorum* obligatio eſt; qui ſe *ad certam pecuniæ ſummam ſolvendam* obſtringunt, ſi vel id, quod in pace promiſſum eſt, non præſtetur, vel pax ipſa non ſervetur. Sic in *Formula Pacis Anno ſuperioris ſeculi*

59.

59. inter Elisabetham Angliæ Reginam & Regem Franciæ, in castello Cameracensi compositæ, disponitur, *ut octo mercatores exteri, non Gallo subditi, fidem interponerent pro solutione quingentorum millium coronatorum, nomine pœna, si Caletum non restitueretur.* In pace verò *inter Richardum Regem Angliæ & Philippum Galliæ Regem inita, ut omnia quæ conventa erant, rata haberentur* (verba sunt Rogeri de *Hoveden* vetusti rerum Anglicarum Scriptoris) *statuerunt inter se pœnam quindecim millia marcarum argenti: ita quod ille, qui hanc pacem frangeret, daret alteri quindecim millia marcarum argenti; & super hoc invenerunt sibi ad invicem fidejussores. Cumq; procedente tempore, Regem Galliæ pœnituisset initæ pacis, congregatoq; exercitu Albemarliam obsideret; Rex Angliæ præcepit saisiari in manu sua in omni loco dominationis suæ omnes res & possessiones Abbatum de Majur-Muster & Cluinni & de S. Dionysio & de la Charité; erant enim prædicti Abbates, fidejussores erga Regem Angliæ, quod Rex Franciæ supra dictam pacem servaret, & nisi fecerit, darent Regi Angliæ quindecim millia marcarum argenti.*

Camden. Elisabeth. part. 1. An. 1559. p. 18.

Annal. part. poster. in Richard. I. p. 765.

CAPUT III.

I. *An pro inconsultis & ignorantibus Sponsores Pacis intervenire possint?*

II. *An pro invitis & palam detrectantibus?*

III. *Utrum inter Superiores & subditos Exteri Pacis Sponsores possint existere?*

IV. *An subditi in pace à Superioribus suis conclusa?*

I.

COmmemoravimus *præcedenti capite* talium conventionum exempla, quibus Sponsores Pacis à Partibus Principalibus ad spondendum invitati vel spontè admissi, officio isthoc apud consentientes & pro consentientibus defuncti sunt: Cæterum exhibent nobis vetustæ pariter ac recentiores memoriæ, Sponsiones in spem pacis futuræ contractas *citra expressum consensum* vel *alterutrius* de Partibus Principalibus, vel *utriusq;*. Sic fervente adhuc inter Populum Romanum & plerasque Apuliæ civitates bello, Theates Apuli, *Pacis per omnem Apuliam præstandæ Populo Romano auctores, id audacter spondendo* impe-

Liv. IX, 20.

Tract. Hag. de An. 1659. artic. 5. *impetraverunt, ut fœdus daretur.* Et in *Conventione Hagensi*, in medio æstu belli Sueco-Danici conclusâ, *obstringunt sese invicem* Gallia, Anglia, & Fœderatum Belgium *in forma omnium optimâ amplissimâ securissimaq; ac reciproca obligatione, si pax inter Reges Daniæ & Sueciæ instauraretur; ut Sponsores, Fidejussores Vindicesq; essent eorum omnium, quæ inter eosdem Reges pactis sancirentur, ut ea ritè ac sedulo observarentur ac penitus per omnes numeros implerentur.* Neque præter rem equidem est, quod de pactionibus hujus generis *Pufendorfius* admonuit: *posse plures, quorum præcipuè interest litem sopiri, pactum inter se inire, super junctim suscipiendâ litigantium compositione, ac se mutuò obstringere, quousq; singuli bello isti sese possint immiscere*: Antequam tamen ipsæ Partes Principales in tale fœdus consenserint, pro vera fidejussione illud haberi, &, si arma deponere bellantes nolint, contra eos vis expediri, *ac si sponsio commissa esset*, non potest. Ejus enim indolis est Sponsio Pacis, ut tum demum committatur, cum ille, pro quo interposita est, vel non exequitur, vel non servat pacem, quam se executurum aut servaturum ipse promisit. Antequam hoc promittatur, Mediatori fortassis aliunde subnasci rationes possunt, cur licere sibi existimet, relictis Mediatoris partibus, illi se adjungere, quem vel justam bellandi causam fovere, vel ad æquas pacis conditiones propendere deprehendit: Fidejussio tamen inter alios contracta, vel una tantum bellantium parte consentiente interposita, neutiquam eas subministrat. Conf. *Grot. de J. B. III,20,33.*

de J. N. & G. V,13,7.

II. Idem multo magis tenendum, si belligerantium *utraque* vel *alterutra* pars Sponsoris apud eam vel pro ea intervenire cupientis officium *palam repudiet*: quo casu adversus contumaces, pro pace, vel pro iis qui seriò pacem optant, arma posse moveri, absolutè quidem non negaverim: attamen evictionis aut securitatis ex fidejussione præstandæ titulum iis cum ratione tribui posse, nequaquam existimo. Nam novas quidem in bello partes facere, aut se bellantium alterutri socium addere, unicuique pro jure suo, & antiquiorum fœderum ratione liberum, aut vetitum censetur: at inter invitos aut pro reluctantibus se Sponsorem Pacis obtrudere, nihil continet, in quo vel fiducia pacis, vel quietis perpetuitas, vel ullum denique ipsorum

rum paciſcentium jus aut obligatio ſolidè fundetur. Experti ſunt aliquando veritatem hujus Philoſophiæ Samnites: quibus parum utique profuit, ſibi quidem Tarentinos, intempeſtivos alterique Partium reprobatos & irriſos pacis auctores Sponſoreſque conciliaſſe: *increpantibus meritò Romanis vaniſſimam gentem, quæ ſuarum impotens rerum, aliis modum pacis ac belli facere æquum cenſeret.* Denuntiaverant autem Tarentini Samnitibus Romaniſque, *ut bellum omitterent: per utros ſtetiſſet, quo minus diſcederetur ab armis, adverſus eos ſe pro alteris pugnaturos.* Cum itaque per Samnites non ſtaret, per Romanos autem ſtaret, quo minus ab armis diſcederetur, cum *Illis* fœdere juncto belli ſocietatem contrahere Tarentini, ex communi populorum gentiumque libertate, potuere: in *Hos*, ex denuntiatione ſua, veluti ſponſione commiſſa, expedire arma nullo jure compotes futuri. Alterius inſpectionis eſt quæſtio: *An liberos populos bello inter ſe commiſſos, ad pacem adigere, jure poſſit, qui viribus ad id faciendum idoneis eſt inſtructus?* Quibus difficultatibus urgeantur Affirmantes; videri poteſt in *Diſſertatione Bœcleriana*, cui titulus: *Quies in turbis.* Hactenus ſanè intra votum ſubſtitit, ne ad ſpem quidem ſolidiorem provectum, *Grotij* monitum: *utile eſſe, imo quodammodo factu neceſſarium, conventus quoſdam haberi Chriſtianarum poteſtatum, ubi per eos, quorum res non intereſt, aliorum controverſiæ definiantur: rationeſq; ſimul iniri cogendi partes, ut æquis legibus pacem accipiant.*

Liv. IX, 14.

Diſſ. Grotian. V. pag. 139 & ſeqq. de J. B. II, 23, 8.

III. De *Subditis* quid dicemus? *Poterunt ne inter illos & Superiores eorum Exteri Pacis Sponſores exiſtere?* Equidem, ſi in excellentiori ſignificatu quis inſtituat hoc nomen uſurpare; ſicut *Bellum* non niſi inter Summas Poteſtates geri dicitur, ita nec *Pax*, nec *Pacis Sponſores*, niſi inter Eaſdem locum reperient: attamen quia Superiores aliquando contingit cum Subditis, civilium & inteſtinorum motuum turbis odiiſque pluſquam hoſtilibus collidi; inter eos quoque, expeditiſſimas quaſque concordiæ ſanciendæ rationes admitti, conſentaneum eſt. Inter quas efficaciſſima pleriſque videtur, ſi quies & ſecuritas ſubditorum Sponſione exterorum Principum Populorumque ſanciatur: ut qui fidem ſubditis rebellibus datam violare, imperii jure fas ſibi putant, authoritate ſanctitateque fœderis cum peregri-

Vid. Grot. de J. B. III, 19, 6. & ſeqq.

regrinis Principibus initi constringantur. quibus facultatem injuriæ, si qua subditis alienis contra pacta inferatur, vindicandæ competere, optima ratione *Bodinus* asseruit. Nec impedimento est, quod Subditis arma contra Superiores arripere fas non habetur, etiamsi illi pactis vel non stent, vel non satisfaciant: inde enim non sequitur, non posse pro ipsis ab aliis arma sumi. Nam quoties actioni alicui impedimentum ponitur personale, non ex re; toties quod uni non licet, alteri pro eodem licere potest; si modo tale sit negotium, in quo alter alteri prodesse possit. Venit autem impedimentum, quod resistere subditum prohibet, non ex causa, quæ eadem est in subdito & in non subdito; sed ex personæ qualitate, quæ in alios non transit. Apposité autem huc refert *Bodinus* Philippi Macedonis exemplum, cui pace cum Romanis inita, *jus sæviendi in Macedonas, qui in bello ab eo defecerant*, ademptum est; indidemque pronuntiandum innuit de Ferdinandi Neapolitani perfidia: qui *securitatem Baronibus Regni, Sponsore Pontifice, Rege Castellæ & Republ. Veneta, pollicitus*, hos pariter ac illos *per fidem*, ut *Cominæi* Interpres loquitur, *circumvenit*. Cæterum cautionis hujus valde nobile specimen exstat in *Pactis Monsonianis ad componenda negotia Rhætorum & Vallis Telinæ d. 5. Martij Anno hujus seculi 26.* inter Hispaniæ Galliæque Reges initis, *Artic. 5. & seqq.*

de Rep. V,6. p.605. — *vid. Grot. de J.B. II, 25,8.* — *Liv. XXXIX, 23.* — *de Bell. Neap. lib.1. & 2. Gramõd. lib.15. pag. 666. Minist. Card. Mazarin. pag. 182. & seqq.*

IV. Vicissim ne in alteram quidem partem desunt exempla *Subditorum*, tali sanctione *ad spondendum in pactis Principum suorum adhibitorum*, ut *si Principes pactis non stetissent, ipsi ab omni obsequij vinculo liberi, vel hosti adversus Principem auxilium ferre, vel Principi adversus hostem auxilium non ferre, tenerentur.* In priorem formulam conceptæ Fidejussionis specimen exstat in *Annalibus Anglicanis*, his verbis consignatum: *Ut pax firmior haberetur inter Philippum Regem Franciæ, & Johannem Regem Angliæ, statutum est, & confirmatum, quod si Rex Franciæ in aliquo violaverit pacem, quam ipse cum Rege Angliæ fecerat, Barones Franciæ, quos ipse Fidejussores de servanda pace assignavit, à fidelitate sua cum omnibus hominibus eorum soluti, redirent ad Regem Angliæ, ad auxiliandum ei contra Regem Franciæ. Similiter erit de Baronibus Regis Angliæ, quos ipse constituit Fidejussores de pace servanda, qui in obsequium Regis Franciæ converterentur, cum hominibus eorum, à fidelitate Regis*

Roger. de Hoveden Annal. part.2. in Johan. p. 823.

Angliæ

Angliæ soluti, si Rex Angliæ pacem illam fuerit transgressus. Posterioris exempla annotavit *Grot. de J.B. & P. I,3,16. in not.*

CAPUT IV.

I.

QUod *supra*, cum naturam hujus negotii summatim describeremus, *Sponsionem pacis, ad factum quidem alienum determinari, esse tamen facti proprij promissionem*, asseruimus; illud huc præcipuè tendit, ut non prius Sponsor ad ferendum Parti alterutri paciscentium auxilium obstrictus intelligatur, quam cum ab altera parte, *pax conventa rupta fuerit*: nam *si ex nova causa bellum moveatur, id non pertinet ad obligationem Fidejussorum*: uti jam est à *Pufendorfio* animadversum. Tribus autem modis pacem rumpi docet *Grotius*: *faciendo aut contra id quod omni paci inest, aut contra id quod in pace dictum est apertè, aut contra id quod ex pacis cujusq; natura debet intelligi.* Neque prætereunda est *Alberici Gentilis* admonitio; *in conventionibus similibus omnibus, videndum esse, quid pactis comprehensum sit: & si quid contra conventa patratum sit.* Quin & usum diversarum Gentium non levis ad hanc rem discernendam momenti esse, *idem* alibi observat: nec enim ad pacem rumpendam actus iidem inter omnes æque sufficiunt. narratque de Induciis inter Hungaros & Turcas *Paulus Jovius*: *Ex inveterata consuetudine, in finibus minuta prælia & extraordinarias incursiones eos admisisse. nisi justis copiis, cum justo tormentorum muralium apparatu, vis inferretur.*

II. An autem pacem pro rupta haberi, damnumque illatum sibi resarciri, aut vindicari velit, Is, cui contra leges pacis

[Margin notes: *II, 2.* — *de J. N. & G. IIX, 8, 7.* — *de J. B. & P. III, 20, 27. & seqq.* — *de J. Bell. II, 13.* — *de Jur Bell. I, 2. l. I. c. 4. p 703.* — *Histor. lib. XXXVI.* — *Add. Grot. de J. B. & P. II, 15, 15.*]

injuria intentatur, ab *Ejusdem* inprimis *judicio* suspensum debet intelligi: quo spectat, quod in plerarumque Sponsionum Formulis, *ad requisitionem Partium*, se auxilia sua præsidiaque paci tuendæ expedituros, promittunt Sponsores. Nam & post læsam ab altera Parte fidem, integrum est Parti innocenti, pacem servare: sicut *Scipio* fecit, post multa Carthaginensium perfida facta: quia contra obligationem faciendo, nemo se obligationi eximit: &, si additum est, ut tali facto pax rupta habeatur, adjectum id censeri debet in commodum innocentis duntaxat, si eo uti velit. qui, si jus suum sponte remittat, non magis officio Sponsoris conveniet operam suam quiescenti obtrudere, vel ad coercendum pacis transgressorem ferrum stringere, quam cuilibet alii fidejussori congruit, creditorem debitoremve principalem adigere ad accipiendam vel præstandam debiti solutionem, quod creditor debitori sponte remisit. Certè glorioso pacis tuendæ custodiendæve titulo inaniter conatus suos colorat, quem prava cupidine apparet, ex affectata pacis tutela, novi belli semina & prætextus aucupari. Conf. quæ *de liberandis ab invasore invitis*, monet *Grot. de J. B. & P. I, 4, 19. in not.*

Grot. de J. Bell. & P. III, 20, 38.

III. Ipsa de cætero *obligatio ad auxilium præstandum*, ex natura *fœderis defensivi* æstimanda est: iisdemque penitus regulis definienda pariter ac explicanda. Sic, ut in exemplum quædam annotemus, perinde hic atque in fœdere defensivo simplici, Is, qui auxilium alteri promisit, excusabitur, *quamdiu ipse domi periclitatur*, in quantum copiis opus habet. Huc enim eximiè pertinet, quod alicubi Seneca pronuntiavit: *Succurram perituro, sed ut ipse non peream.*

Grot. de J. B. II, 16, 27

de Benef. II, 15.

IV. Haud secus, ut in aliis fœderibus, quæ defendendi alterius causa contrahuntur, ita in hac etiam sponsione, si *de sumtibus & expensis belli* nihil expressè definitum sit, auxilia promissa ab una tantum parte, intelliguntur deberi impendiis ejus, qui postulabit: qui, si justa arma habeat, uti damna cætera, ita & sumtus à ruptore pacis est recuperaturus.

Grot. de J. B. II, 16, 12.

Grot. de J. B. III, 20, 11.

V. *Successores* Sponsorum in his sponsionibus disertè exprimi, solenne est. Si mentio eorum non fiat; æque ac in fœdere defensivo alio, nihilominus obligabuntur. Est enim favorabile, adeoque reale hoc fœdus: sive pacem spectes, cujus custodiæ

Grot. de J. B. II, 16, 16.

custodiæ destinatur: sive bellum, quod arcendæ non inferendæ injuriæ paratur: sive ipsum denique Fidejussionis negotium, quo Christianus Christiani, Vicinus Vicini, Amicus Amici, homo denique hominis securitatem & quietem non amare solum, sed tueri instituit: quod inter privatos quoque *charitatis*, ut Christiani loquuntur, & *officij* ac *humanitatis*, ut Cicero & alii vocant, favore sustentatur.

VI. De *tempore* quoque ac *modo auxilij expediendi* ex naturâ fœderis defensivi judicandum est: uti & de universo *Sponsorum officio*. quæ tamen omnia non tam generalibus regulis observationibusque includi, quam pactionum conventionumque legibus determinari amant. Unde non ingratum Civilis prudentiæ Studiosis officium me esse præstiturum confido, si pleniorem talis *Sponsionis Formulam*, à Viro quodam Celeberrimo *in exemplum compositam*, & à DN. PRÆSIDE mecum communicatam, hic inseruero. Est autem illa in hæc verba concepta:

Pacem inter - - - - & - - - - ad communem Christianarum gentium quietem pertinere, semper quidem judicatum est: sed præsertim novissimis temporibus sancitum fœdus amicitiæ, in perpetuum stabiliri, & pacem omni genere muniminis firmari, optarunt, expetiverunt, anhelarunt communia Christiani orbis desideria. Tantam pro publica felicitate consensionem, testataq; tot literis, nuntiis & quasi acclamationibus populorum, vota, non potuerunt non movere utriusq; populi Reges, ut officij, quo nullum inter Regia opera sanctius est, summam rationem habendam, neq; à salutari de pacando orbe sententia discedendum sibi uspiam judicarent. Ingenitum ipsis est, Justitiæ & Pacis tutelam, soli Regij munimentum amplecti. Quo factum est, ut & admitterent haud difficulter oblata, & requirerent ultro illa Amicorum officia, quæ ad securitatem Pacis & Garantiam constituendam idonea & possibilia videri possent.

Convenit igitur inter - - - - & - - - - Reges ab una parte & [hic inserantur Sponsorum nomina] *ex altera parte: & nova ac in perpetuum valitura pactione assecuratoria decretum est in hanc sententiam:*

Pacem inter Reges & Regna - - - & - - - - factam & conclusam juratamq;, in omnibus suis articulis & punctis sanctè & perpetuò servatum iri, denuo promittunt & jurant Pacificati Reges altissimè memorati.

Iidem Reges suæ Pacis secundos Auctores, Custodes, Firmatores, Fidejussores insuper constituunt, requisitos eo nomine & utrinq; probatos Sponsores, qui, pro suo in rem Christianam studio, & in Reges Pacificos affectu, non tantum in genere omnes & singuli videbunt, ne quid Pax detrimenti capiat, sed delati susceptiq; hujus officij sui munia particulariter ita explebunt:

Quicunq; ex Fidejussoribus compererit, aut famâ, etiam nondum certissima acceperit, aliquid ab alterutrâ vel utraq; parte Regnorum pacatorum, aut apud illa, ab aliis agitari, unde Pax periclitari queat, ille cæteros ad Garantiam his tabulis obligatos, ea de re per celeres nuntios aut literas moneat.

[NB. Hic potest ordo designari, quo à proximo ad proximum, atque adeo ad omnes citò perscribi aut nuntiari possit: addita semper sua cujusque sententiâ: ita ut ultimus unà cum nuntio cæterorum sententiam sciat.

In communicatione ejusmodi, loci opportunitas & temporis celeritas præcipuè spectatur, citra omne præjudicium prærogativæ cujusquam aut conditionis.]

Si vel unus de Expromissoribus, aut cum altero seu paucis, Paci sæpius dictæ metuant, aut periculum conjectura præsumant; vigore hujus pactionis licebit eis apud partem, unde periculum metuitur, vel si ab utraq; causæ existunt, per literas aut nuntios, suam solicitudinem ex officio profiteri, atq; ne firmitas Pacis labefactaretur, monere, &, ut suspiciones quoq; hujus rei vitentur, rogare: absq; periculo offensionis. Cunctatio enim & mora sæpe noxia est.

Quod si omnes, aut plures Expromissores pacem ruptam esse judicaverint, tum liceat singulis, & pluribus, & universis, ruptorem captis pignoribus inhibere, & conjunctis viribus vel læsæ parti assistere, vel eum hac lædentem adoriri, & ad res reddendas i.e. satisfactionem præstandam, pacemq; redintegrandam, quibus potest fieri modis, compellere: imò teneantur hoc communi ope præstare omnes.

Quando autem firmæ Paci nunquam satis consultum est, si ex alia causa armis agi potest: itaq; hic disertè constituitur, ne vel ex nova causa resumantur arma; sed potius ad Arbitros eatur, eosdem Expromissores Pacis, & viâ compromissi effusio Christiani sanguinis vitetur.

Quod si Fœderati hujus partis, alteri parti, aut alterius partis Fœderati, huic parti arma intulerint, ex capite aliquo pace definito complana-

complanatoq́; tum pars illa, cujus Fœderati arma ſumſerint, teneatur una cum Expromiſſoribus quantocyus pacem reſtituere. Si autem id factum fuerit ex aliis ad pacem prædictam planè non pertinentibus capitibus, ſinceritas tamen amicitiæ & pacis ſæpius dictæ ſuadebit, vel prævenire, ſi fieri poteſt, talem caſum, vel quamprimum emendare.

Si ſubditi hujus partis, militent alterius partis hoſtibus, aut alterius partis ſubditi, mereant ſtipendia apud hujus partis hoſtes, non miſſu publico, nec ſub ſignis & formatis cohortibus profecti, ſed ſeorſum, ex conſuetudine, cui connivere ſummæ poteſtates certis in locis ſolent, pax propterea non habeatur pro ruptâ: ſi tamen aliquid gravioris momenti pro re nata accedat, liceat parti gravatæ expromiſſoribus inſpectionem rei commendare, &, ſi ita videbitur, remedium expoſcere: qui non deerunt deſideriis petentium.

[NB. Peritos autem Duces, commodare hoſtibus pacatæ partis, an & quatenus liceat, videndum.]

Si hujus partis ſociis, ab altera parte, vel alterius partis ſociis ab hac parte vis inferatur, an rupta pax cenſebitur?

[NB. Cogitandum, & ſi quid affirmabitur, enumeratio ſociorum facienda.]

Ut ſubditi utriuſq́; regni, alteri ab alteris hoſtiliter habeantur, nullo modo fas eſt. Si quid tamen irarum aut pugnarum eveniret, vel ut inter privatos, vel ut à magiſtratibus; non ſtatim pro rupta, pax haberi debet, ſed diſceptatione juris, vel inter partes, vel apud Expromiſſores, definiatur.

A piratica mutua ſecuritas partibus maneat.

Si caput aliquod pacis non eodem modo ab utraq́; Parte accipiatur, aut extendatur contrahaturve, judicium Expromiſſorum in interpretando neceſſarium ſit & valeat.

Si altera pars queratur, præſtita non fuiſſe præſtanda, implenda non impleta eſſe, Expromiſſorum ſit arbitrium, juſta nec ne querela ſit.

Arces & munimenta extruere in finibus, quibus altera pars incommodetur, non liceat, niſi de conſenſu utriuſque partis, aut Fidejuſſorum arbitrio.

Copiarum conſcriptio an meritò ſuſpecta ſit alteri parti pacatæ, Fidejuſſorum ſit inſpectio: ſed extra dilationes poſita.

Recipere demigratores, sed singillatim, & exules licebit utrique parti: si tamen jus reddatur petenti adversus receptos, & contumeliæ propositum in recipiente absit.

Deniq; utraq; pars se obligat, ne etiam exortis querelis ad arma veniatur, antequam de jure apud Arbitros sive Expromissores disceptetur.

VII. Tam exacta sollicitudine, præterquam quod prævertuntur avertunturque multorum spes pravæ, & cupiditates turbandæ quieti ac dissolvendæ societati natæ; id præcipuè intenditur, ut talibus undiquaque vinculis pax constringatur, δι' ὧν (ut *Polybij* verba huc accommodem) ὁ πιστευθεὶς οὐ δυνήσεται τὴν πίστιν ἀθετεῖν. *per quæ is, cui fiditur, mutare fidem nequeat:* Quoniam autem, ut nihil ex omni parte firmum penitus & sincerum sperari potest, hic quoque subinde intercurrunt aliquæ aberrationes, fragilitati humanæ non utique semper vitabiles:
IIX, 2. δεύτερος ἂν εἴη πλοῦς, τὸ τὸν κατὰ λόγον φροντίζειν, ἵνα ἄν τι καὶ σφαλλώμεθα, τῆς παρὰ τοῖς ἐκτὸς συγγνώμης μὴ διαμαρτάνωμεν. *Proxima hæc quasi navigatio fuerit, si quantum ratione potest, caverimus, ut si quid fortè à nobis offensum fuerit, at veniam certè extranei nobis tribuant.* Τοῖς μὲν γὰρ ἀσκέπτως ἑαυτοὺς ἐγχειρίζουσι τοῖς ὑπεναντίοις ἐπιτιμητέον. τοῖς δὲ τὴν ἐνδεχομένην πρόνοιαν ποιουμένοις οὐκ ἐγκλητέον. τὸ μὲν γὰρ μηδενὶ πιστεύειν εἰς τέλος ἄπρακτον. *Nam illi quidem demum reprehensione digni sunt, qui temerè suorum hostium fidei se permittunt: illi verò non sunt culpandi, qui providè, pro ut possunt, sibi cavent: nam credere quidem prorsus nemini, amittere est facultatem rerum gerendarum.* Ut se adeo usu non infructuoso *Sponsi Pacis* commendet. At, inquis, *melius erat, pactorum firmitudinem ipsorum paciscentium fidei inniti: & ad perfidiam irritat,*
De benef. *qui de alterius fide nimium anxius est:* Respondeo *Senecæ* verbis:
III,15. *Utinam nulla stipulatio emtorem venditori obligaret, nec pacta conventaq; impressis signis custodirentur, fides illa potius servaret, & æquum colens animus. Sed necessaria prætulerunt* optimis, *& cogere fidem, quam spectare malunt.* Sæpe enim bellantes, odio, sæpe utilitatibus nulla arte aut tempore conciliabilibus distrahuntur: nec unquam fere desunt inter paciscentes, qui fidem hosti datam fallere, inter arcanas dominationis statusque regulas profitentur: ubi hosti credere, incauta securitas; Sponsori non credere,

dere, barbara diffidentia eſt. *Sed quis ipſum* (inſtas) *continebit coërcebitve Pacis Sponſorem, ſi ſecuritatem fidemq́ mihi promiſſam deſerere, vel ſuis compendiis aut lubidini ultro paret immolare?* DEUS & Conſcientia: imo DEUS per conſcientiam: quæ non teſtes modo mille, ſed totidem judices fœderum ruptorum, vindiceſque repræſentat. Scimus quidem ex veteribus noviſque hiſtoriis, alieni cupiditatem, & inprimis rerum quietarum apud alios turbandarum miſcendarumque lubidinem, ab ipſa Pacis Sponſione ſibi quærere colorem obtentumque: ſed non ideo ſtatim reprobari meretur, ſi quid à malis uſurpatur. Navigant & piratæ: ferro utuntur & latrones.



DISSERTATIO IIX.

DE RATIONE BELLI vulgo *RAISON DE GUERRE.*

CAPUT I.

I. *Belli rationem in ſe nihil vitij habere oſtenditur.*
II. *Definitio belli Grotiana, & Commentatorum animadverſiones in illam expenduntur.*
III. *Quid per Rationem Belli denotari olim hodieq́ receptum ſit, declaratur ex analogia & uſu loquendi in Politicis obtinente.*
IV. *Definitio Rationis Bellicæ, ut hac Diſſertatione accipietur.*
V. *Partitio ſequentis Tractationis.*

DE RATIONE BELLI, vulgo *Raiſon de Guerre*, non alii fere ſolent frequentius aut animoſius philoſophari, quam qui omnem in bello *rationem* contemnunt conculcantque. quorum importunitate, nomen in ſe nihil vitii complexum, Reſp. Magno Hermanno Fuchs, 17. Aprilis, 1675.

plexum,

plexum, ad obtegendam vagam quandam maximeque *irrationabilem licentiam* detortum, ægre jam ſe ipſum, & quorum patrocinio deſtinatur, ab odio publico poteſt defendere: ut parum abſit, quin idem experiatur fatum, quod alia ejuſdem generis vocabula: quæ in exoſam penitus perverſamque ſignificationem abuſus præcipitavit. Nam ipſa utique per ſe ſpectata *Belli Ratio* nihil habet odio aut deteſtatione bonorum dignum: ſive ad belli *principia* referatur, ſive ad *actus ſingulos*, qui in bello *cum ratione, & ſecundum rationem belli* adminiſtrantur. Bellum enim tuendæ ſalutis, vel arcendæ injuriæ cauſa ſuſcipere, adeo *ſecundum rectæ rationis dictamen* honeſtum eſt, ut interdum neceſſarium ſit: ſi quietus juris noſtri uſus obtineri aliter non poſſit. Cui conſequens eſt, ut nec gerere bellum *ad normam rectæ rationis* inhoneſtum eſſe poſſit. ex ratione concludendi, quam nimis generaliter pleriſque viſus eſt uſurpaſſe *Grotius*: *Quæ ad finem juris conſequendi ſunt neceſſaria moraliter, ad ea jus habere intelligimur*: & *ea quæ ad finem ducunt in morali materia, æſtimationem intrinſecam accipiunt ab ipſo fine.*

vid. Grot. de J.B. & P. I, 2.

de J.B. & P. III, 1. 2.

II. Et BELLI equidem RATIO, ut cum JCto loquar, τῶν μέσων ἐστὶν *res eſt indifferens*: qua in bonam & malam partem uti poſſis: ſicut & *bellum* ipſum. *Non enim militare, delictum eſt, ſed propter prædam militare, peccatum eſt*: ſcribit *Ambroſius*. Ideo & *Grotius* ſepoſita juſti injuſtique æſtimatione *bellum* definit: *ſtatum per vim certantium qua tales ſunt.* Nec ſane vituperium inde aut laudem merentur, qui *bellum gerunt, quod per vim certant*: nam & vis ipſa ex *propoſito certantium* dijudicari quidem debet, deſcribi tamen ex ſola *violentæ diſſenſionis indole* poteſt. ad quam ne id quidem requiritur, ut pleno armorum apparatu exerceatur: niſi cum *Alberico Gentili* ad excellentiorem quandam ſtrictioremque acceptionem *belli* nomen referas: ut ab *excurſionibus, latrociniis, duellis*, & quibuſcunque aliis commiſſionibus minus ſolennibus diſtinguatur. quo ſenſu boni Scriptores paſſim *latrocinia juſto bello* ſolent opponere. quanquam in *latrocinia* plerumque ne *certaminis* quidem appellatio congruit: ubi una tantum pars vim infert, altera vim non propulſat: ſicut nemo dixerit duello aut certamine periiſſe, quem ſicarii inermem aut imprudentem ſeque adeo non defendentem confecerunt. Eſtque

l. 1. §. 3. D. de Serv. corrupt.

Serm. VII.

de J. B. & P. I, 1. 2.

de J.B. 1, 2.

que adeo *status per vim certantium* in descriptione belli *Grotiana* non de conditione ac qualitate hominum *absolute* considerata accipiendus, ut aliqui ex *Commentatoribus in hunc locum* accepisse videntur: sed cum *respectu & in ordine ad alios homines*, cum quibus certatur: ut expressius intelligatur *modus quo sua negotia invicem expediunt homines*, inter quos bellum geri dicitur. quod satis tutam reddit *Grotianam* descriptionem ab instantia *Feldeni*, *conditionem eorum* objicientis, *qui apud Romanos cum bestiis pugnabant*. Etsi nec desint exempla Scriptorum, de *certamine cum feris instituto*, tanquam *de bellica dimicatione* loquentium. *Florus* de Romanis in Africa bellum gerentibus: *Nec cum hominibus*, inquit, *sed cum monstris quoque dimicatum est; quum quasi in vindictam Africæ nata, miræ magnitudinis serpens, posita apud Bragadam castra vexaret.* Nam quod *de conditione pugilum* Idem ingerit, nihil impedierit, opinor, quo minus *dimicationes pugilum* eodem sensu *prælia & bella* dicantur, quo sensu *certaminis & vis*, *statusque* adeo *per vim certantium* appellatio iis congruit: *æquivoce* nimirum, nec aliter quam quatenus *vim simulatam & imaginem* quandam *certaminis* referunt. Cæterum ad *respectum* illum inter certantes designandum rectè notat *Zieglerus* additam à *Grotio reduplicativam*: *qua tales sunt*: ex qua tamen alii minus idoneam rationem mutuantur ad redarguendum *Grotium*, quod hac formula adjecta *actionem belli* incluserit. Cum utique eam, definitione belli excludere, nec voluerit *Grotius*, nec debuerit: nisi quis forte existimet, *inducias* quidem *bello* adscribi posse, quia iis interpositis *status belli* non tollitur, *prælia & conflictus bello* adscribi non posse, quia iis ad *actionem belli* devenitur. Est autem manifestum, *actionem belli* à *statu* ita vere distingui, ut qui in *statu belli* sunt; *in actione belli* esse simul possint: qui *in actione belli* sunt; in *statu belli* non esse minime queant. quin imo ipse *status belli* si cum respectu ad pacem consideretur, citra comparationem cum præliis & conflictu, in *actu* consistit. Nec male applicatur ad illum, quod de *habitu* pronuntiant *Aristotelis interpretes Græci*: ἡ ἕξις πρὸς τὴν ἁπλῶς δύναμιν ἐντελέχεια λέγεται, πρὸς δὲ τὴν ἐνέργειαν καὶ προαίρεσιν, δύναμις. *Habitus comparatus ad potentiam simplicem, actus dicitur: ad exercitium autem sive actionem, potentia.*

vid. Cl Pufendorf. de J. N. & G. I,1,8.

II, 2,20.

Eustrat. ad Aristot Nicom. lib. VI.

X III. Ma-

III. Magis ambiguam dijudicationem RATIONIS BELLICÆ reddit, quod non uno ſignificatu nomen iſtud paſſim uſurpatur: dum alii ad notandam conditionem diſciplinæ
Aug. c. 25. militaris illud adhibent, quæ Svetonio *ratio militaris* dicitur: alii
Hiſt. III, 51, 2. *belli genus* & indolem eo deſignant: *Tacitus* de parricidio in *bello civili* admiſſo: *Nec illis aut honorare eam cædem, jus hominum: aut ulciſci, ratio belli permittebat.* nec deſunt exempla, quibus ſimplicem *belli adminiſtrandi modum* ſignificat: ut in illo *Svetonij*:
Tib. cap. 18. *Tiberius bello Germanico nihil non de conſilij ſententia egit: præterq; conſuetudinem cum pluribus de ratione belli communicavit.* Frequentius, & ad inſtitutum noſtrum accommodatius *belli ratio* nominatur; cum *uſus prudentiæ militaris* ex certo *conſiliorum habitu*
Bell. Gall. IV. 23. fieri aliquid poſtulat. quo ſenſu *Cæſar* Legatos Tribunoſque militum monuit: *ut rei militaris ratio, maxime ut res maritimæ poſtularent, ad nutum & ad tempus, omnes res ab iis adminiſtrarentur.*
Hiſt. IV, 63, 2. Simili ſignificatu *Tacitus* de Civili & Claſſico, excidium Coloniæ Agrippinæ agitantibus: *Sævitia ingenij, & cupidine prædæ, ad excidium civitatis trahebantur. Obſtabat ratio belli, & novum imperium inchoantibus utilis clementiæ fama.* Atque ſecundum hanc loquendi formulam olim hodieque obtinuit, ut quod *ſingularis* quædam *imperij, reipublicæ ſtatuſve utilitas* imperat; id ex *imperij, reipublicæ,* vel *ſtatus ratione* fieri dicatur. Specimen extat in illo
I, 8, 1. *Flori*: *Populus Romanus infantiam habuit ſub Regibus ſeptem: tam variis ingenio, ut Reipublicæ ratio & utilitas poſtulabat.* Et apud *eos*, qui de *Ratione ſtatus* tractarunt, paſſim.

IV. Authoritate itaque & exemplo non deſtitueretur, ſi quis eo, *quod in bellicis conſiliis, ex dictato prudentiæ militaris facto opus eſt, rationem belli* deſcriberet: Sed uſus obtinuit, ut *ad conſilia ſubſidiari.* & *dictatum* cujuſdam *prudentiæ extraordinariæ* hæc appellatio referatur; eâque ſimul includatur *moralis æſtimatio recti honeſtiſr.* quod enim *ex ratione belli* publica utilitate exigente, *factum eſſe* dicitur, id plerique eadem opera *juſte recteq; factum eſſe,* contendunt. Unde in ſubſidium commodioris diſciplinæ, forte non inconvenienter deſcribi poterit RATIO BELLI: *Principium practicum, ex certo belli ſtatu habituq; petitum, efficax ad producendam concluſionem, qua ſub æſtimatione juſti rectiq; excuſatur vel defenditur id, quod abſolute & ſimpliciter ſpectatum juſtum rectumque non eſt.*

V. De

V. De singulis constabit plenius ex sequenti tractatione: quam ita partiemur, ut I. inquiramus *in fundamenta & vim interiorem ejus argumenti, quod ex ratione belli deducitur.* II. *Conclusionem* ejus & *consequentias inde derivatas terminis & limitibus idoneis circumscribamus. Utrinq; usu ejus abusuq; in casibus & exemplis* illustrioribus *exhibito.*

CAPUT II.

I.

UT *de fundamentis & vi interiore ejus argumenti, quod ex* RATIONE BELLI *deducitur,* expeditius certiusque judicium possit formari; declarandum prius videtur, quid formula in descriptione *rationis bellicæ* posita denotet, qua, *sub æstimatione justi rectiq; excusari vel defendi* dicitur, quod ex ratione belli processit. Ut enim *justi* ambigua, sic *recti* laxa valde significatio est: *æstimatio* vero utriusque admodum diversa. ut loco non uno *Grotius* monet & explicat. Hic quia de illis actionibus sermo est, quæ à Summa Potestate Civili proficiscuntur; removeri debet acceptio, tum quæ *lege civili,* tum quæ *licentia impunitatis,* justi æstimationem metitur. quarum illa judicari, hac defendi actus Regum publici non possunt, citra insignem sermonis errorem, quo *licere,* & hinc *justum esse* dicitur, *quod cui-*

de J.B. I, 1, 3. & seqq. II, 20, 17. II, 23, 13. III, 4, 1. III, 10, 1.

que conceditur: Perinde ut interdum *juſtum* nominatur, quod *uſus* & multitudo delinquentium *de illicito licitum effecit*; ſicut *conſenſere in aliquibus jura peccato, & cœpit eſſe licitum, quod publi-* *de J.B. 1,5.* *cum eſt*: ut ex *Cypriano* refert *Albericus Gentilis*. Nec evehimus ſupra hanc claſſem ea, quæ à *Jure Gentium voluntario*, ratione quorundam effectuum peculiarium, *juſtitiæ externæ* æſtimationem mutuantur. non quod negemus, poſſe tacito Gentium conſenſu, actibus quibuſdam tribui effectus juris, ex internæ *vid. Grot. de J B. & P. II,4,3. & ſeqq. II, 6, 2.* juſtitiæ regulis minime procedentes: e. g. ut tanquam homicida vel fur conveniri punirique non poſſit, qui hoſti etiam ultra temperamenti bellici, juſtitiæve internæ regulas vitam vel res ſuas abſtulit: ſed quia in caſibus ad *Rationem Belli* referri ſolitis, nec de conſenſu Gentium ſubſumi firmiter ac certo poteſt: nec de conſenſu Gentium ſubſumi firmiter ac certo poteſt: nec ex illo ad moralem talium actuum æſtimationem efficaciter concludi. Viciſſim tamen *æſtimatione juſti*, quæ hic quæritur, excludi non ſtatim poteſt, ſi quid in *ſenſu ajente*, vel ut aliqui loquuntur, *poſitivo juſtum* non ſit, dummodo in *ſenſu negante*, non ſit *injuſtum*: adeoque naturæ ſocietatis ratione utentium non repugnet; aut ex facultate, per legem, vel jus alterius non impedita proficiſcatur. Quo ipſo *rectum* etiam includitur: quippe *lege naturali* ſecundum omnem latitudinem ſuam comprehenſum: qua legum civilium tabulas nonnunquam egreditur, *de Ira 1,27.* de quibus *Senecæ* illud exaudiendum. *Quam anguſta innocentia eſt, ad legem bonum eſſe? Quanto latius officiorum patet, quam juris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, juſtitia, fides exigunt, quæ omnia extra publicas tabulas ſunt.* Neque hic à *recto* aberrare pronuntiabimus, quod propoſitis duobus honeſtis, ad id, *quod honeſtius eſt*, non aſcendit, vel citra illud ſubſiſtit, *quod decet*. quando ne ipſi quidem, qui *Ratione Belli* liberaliſſime utuntur, diffiteri poſſunt, ſe dum hanc ſequuntur, non ſpecioſa dictu, ſed uſu neceſſaria ſequi. ad quorum defenſionem excuſationemque non requiritur, ut perfectæ virtutis laudibus abundent. Sed nec illud quidem inuſitatum, aut incongruum eſt, ut vel *defenſio* vel *excuſatio ſub æſtimatione juſti rectiq;* illis tribuatur, quæ *ſimpliciter* quidem ſpectata, *ab alterutrius norma* recedunt; ex *innocenti* tamen *propoſito* veniunt: juſtique adeo vel

recti

recti nomen ferunt, acceptione non ad *opus*, ſed ad *operantem* pertinente: cui malitia vel culpa, niſi quæ ex propoſito alterutriu participe deſcendit, imputari non poteſt. quo refertur *Ariſtotelis* diſtinctio inter τὸ ἀδικεῖν & τὸ ἄδικον πράττειν *injuſte agere, & agere quod injuſtum eſt*: prolixe paſſim à *Scholaſticis Doctoribus* explicata. Ad ea tamen, quæ *imbecillitati humanæ*, vel *affectuum* inter arma plerumque indomitorum *vehementiæ* indulgentur, hæc æſtimatio porrigi non debet. quæ hoc ipſo in rectitudine vel juſtitia præſidium non habere intelliguntur, quia veniæ in proborum vel juſtorum hominum judiciis indiga ſunt, aliunde quam à juſtitia aut rectitudine mutuandæ. Admittimus interim de his *Nicephori Gregoræ* pronuntiatum: *in pugna & acie quicquid feceris, excuſationem habet. cum ratio oppreſſa jacet, & manus velut ebriæ mente non reguntur.* & ſcimus pleriſque ſufficere, ad ignoſcendum atrocioribus facinoribus, rationem, qua Trojæ excidium excuſat Agamemnon apud Poëtam: *VI. p.140.* *Sen. Troad. v.278.*

--- --- Regi frænis nequit
Et ira, & ardens hoſtis, & victoria
Gladiuſq; felix, cujus infecti ſemel
Vecors libido eſt.

Nec *Ariſtoteli* refragari animus eſt, qui *improbos* aut *injuſtos* ob hæc habendos negat, qui *ira aliiſq; affectibus impulſi* talia perpetrant. Niſi quod ad rem noſtram nec defenſionem ſatis validam, & excuſationem inſufficientem eſſe putamus, quæ cum facinus ultro damnet, facientem à dolo tantum, & præmeditata fraude abſolvit. Add. *Pufendorf. de J. N. & G. I,4,6. I,7,16.* *Eth. Nicom. V,10.*

II. Iſthuc itaque utrum ex RATIONE BELLI concludendo perveniri queat, periculum eſt faciendum. Ordinem nobis ſubminiſtrabunt *perſonæ*, adverſus quas hæc argumentatio dirigitur, & à quarum reſpectu robur ejus varie intenditur minuiturve. quandoquidem hic non quid *abſolute*, ſed quid *in ordine ad alios* juſtum rectumve ſit, ſpectatur. Hi ſunt 1. qui *adverſas*: 2. qui *noſtras*: 3. qui *neutras* in bello partes ſequuntur. Tam autem adverſus iſtos quam adverſus illos id demum *Ratione Belli* defenditur, quod à tenore & regula juris ordinarii defenſionem mutuari non poteſt: ſive, ut in deſcriptione *Rationis*

de J.B.II,18. p.388. p.387. *Bellicæ* expressum est, *quod absolute & simpliciter spectatum justum rectumq; non est.* Sicut *Albericus Gentilis* jam agnovit, *quædam contra jura belli ordinaria fieri, & esse tamen ab extraordinario atq; singulari jure.* quæ ab aliis Scriptoribus *rationi rei militaris* tribui, *Idem* notat. Et possis non inconvenienter huc accommodare, ad Hipp. à Lap. de Ration. Stat. prolegom. p.9. quod de Ratione Status *Bœclerus* observat: *Per Rationem Status proprie dictam non fieri, nisi quæ modo & ratione extraordinariâ & subsidiariâ, pro certo Reipublicæ statu ad summum in Republ. finem accommodantur.* Neque multum hinc discrepant, quantum ad declinationem à communi & generali regula attinet, *prudentia πολιτικὴ, jus singulare, æquitas*: in quibus omnibus non statim ad malitiam aut injustitiam degenerat, quod rigori normæ ordinariæ, rerum temporumque habitus & circumstantiæ subducunt. de Offic. I, 10. Pertinent huc *Ciceronis* illa: *Sæpe incidunt tempora, cum ea, quæ maxime videntur digna esse justo homine, eoq; quem virum bonum dicimus, commutantur, fiuntq; contraria: ut reddere depositum, facere promissum, quæq; pertinent ad veritatem & ad fidem, ea negare interdum & non servare sit justum.* de Offic. III,4. Itemque: *Sæpe tempore fit, ut quod plerumq; turpe haberi soleat, inveniatur non esse turpe.* Addantur quæ de *jure singulari* disserunt *JCti ad L.14. & seqq. D. de Legib. l.141.162. D. de Reg. Jur.* de *Æquitate* autem videantur *Interpretes Aristotelis ad Eth. Nicomach. V,10.*

III. Istud vero RATIONI BELLI peculiariter, & modo quodam proprio competit, quod non ex *emendatione qualicunq; juris universalioris,* nec ex *personæ aut causæ favore,* aut *quacunq; circumstantiarum inclinatione,* vel denique *aliorum negotiorum statu in republica administranda*; sed ex *certo belli habitu* desumitur: Indeque justi rectique æstimationem trahit. Non quod rerum aut negotiorum conditio ipsam juris atque honesti naturam dirigat aut formet: Sed quia deductis in certum statum habitumque negotiis bellicis, eæ actiones juri ac honestati desinunt contrariæ esse, quæ secundum hunc bellicorum negotiorum statum habitumque, ad finem necessarium tanquam vid. Grot. de J.B.I, 1, 10. media propria & adæquata coordinantur. quæ non juris aut honestatis, sed objecti rerumque mutatio est: ad id solum efficax, ut modo actionem ipsam ab injustitia, modo agentem ab injustitiæ imputatione liberet: cujus reatus extra hunc negotiorum

tiorum ſtatum, atque adeo citra mutationem objecti rerumque, huic aut illi adhæſiſſet. vid. omnino *Pufendorf. de J. N. & G. I, 4, 9.* Sed hæc in re præſenti, adhibita perſonarum cauſarumque diſtinctione, rectius definiuntur.

IV. Adverſus *hoſtem* quodcunque facinus BELLI RATIONE tueri ſuperfluum & inutile foret, ſi tam vera, quam vulgata eſſet illorum ſententia, qui nihil à jure belli ordinario exorbitare, quod in hoſtem fit, aſſerunt: uſitata illa in ore habentes: *Quodcunq; libui. facere, victori licet: omnia in victoria lege belli licent: omnia dat qui juſta negat.* vid. *Grot. de J. B. III, 4, 1. & ſeqq.*

V. Nec leviter patrocinari huic aſſertioni primo intuitu videtur eorum doctrina, qui tradunt: *eum qui me injuria afficit, adeoq; hoſtem ſe mihi profitetur, mihi eo ipſo dare jus, hoc eſt, facultatem quandam moralem adverſus ſe in infinitum: nec lædi juſtitiam expletricem, etiamſi intra terminos æqualitatis in depellenda injuria minime ſubſiſtatur.* Sed loquuntur nimirum hi Scriptores de *facultate injuriæ depellendæ,* prout ſe habet *in ordine ad eum qui mihi injuriam infert.* qui defenſioni meæ nullum jus aut facultatem contrariam obtendere poteſt, qua facultas mihi competens reſtringatur, vel ex qua modum defenſionis adverſus injuriam ſibi ſecundum æqualitatem juſtitiæ expletricis deberi, evincere queat. Cæterum tum hanc ipſam facultatem depellendæ, tum vero inprimis vindicandæ injuriæ, manſuetudine, æquitateque atque adeo dictamine juris naturalis reſtringi temperarique, *Iidem* palam profitentur. Addunt huc *Alij* non ſine ratione ipſum quoque ordinem naturæ ſocialis, docentque: *jus defenſionis & reſiſtendi injuriæ, nunquam naturale fuiſſe, niſi cum reſpectu ordinis, ſive ſalvo ordine, quem natura ſocialis ſuo fini conſequendo ſupremo loco deſtinavit:* Atque hinc inferunt: *Naturalem eſſe hanc reſtrictionem: ſive ineſſe in jure reſiſtendi naturaliter hanc exceptionem:* niſi reſiſtendo violetur ordo ſocialis. *cujus primam & ſummam rationem ipſa natura habet.* Cujus obſervationis uſus non debet eo detorqueri, ut facultas injuriæ depellendæ coërceatur, ſine qua ordo ſocialis conſervari non poteſt; ſed ut licentia inhibeatur, quæ ultra finem ac ordinem naturæ ſocialis in depellenda injuria graſſatur. de modo vindicandæ injuriæ, à natura

Grot. de J. B. II, 1, 10.

Pufendorf. de J. N. & G. II X, 6, 7.

Bœcl. ad Grot. I, 4, 2.

Pufend. de J. N. & G. II, 5, 3.

de off. I, 11. natura præscripto celebre exstat *Ciceronis* testimonium: *Sunt quædam officia etiam adversus eos servanda, à quibus injuriam acceperis. Est enim ulciscendi & puniendi modus.* Aliaque similia, quæ cumulat *Grotius de J.B. & P. III,11,1.* Add. *Alb. Gentil. de J.B. III,2. pag.*474.

VI. Dehinc valde coarctabitur quoque BELLI RATIO, si admittatur, tanquam defensio juris bellici ordinaria, *Talio* contra eos hostes exercita, qui crudeles in bello aut immanes fuerunt. Nec desunt sane, quibus hæc ratio ad sævissima etiam *Sen. Thyest. II. 5.* exempla defendenda sufficit. *Sceleri modus debetur*, inquit ille, *ubi facias scelus, non ubi reponas.* Et alius:

Pind. Nem. IV. St. 2. v. 10.

-- -- Απειρομάχας
Ἐών κε φανείη
Λόγον ὁ μὴ ξυνιείς. ἐπεὶ
Ῥέζοντά τι, καὶ παθεῖν ἔοικεν.

-- -- *Inexpertus belli esse videri queat, dictum hoc qui non intelligit: Quoniam facientem aliquid etiam pati convenit.* Atque ex hac ratione tuetur *Albericus Gentilis* tum alia multa, tum *de J.B. II, 18.* Romanorum etiam factum, qui *nobilissimos Pœnorum captivos liberis Reguli dederunt crudelissime perdendos in Patris vindictam, qui* *Gell. N. A. VI, 4.* *Carthagine fuerat sævissima interfectus morte.* Cumque in isto & similibus exemplis facile prospiceret, justam & proprie dictam *Grot. de J. B. & P. III, 4, 13.* talionem ob id plerosque agnituros non esse, quod illa in eandem personam, quæ deliquit, exercenda sit: hic autem, id quod talio dicitur, in malum redundet eorum, quorum in eo, quod accusatur, nulla est culpa. huic rationi, velut in antecessum, obviam iturus, subjicit: *Nec dici hic valet, non illos esse se, qui crudeliter egerint: adeoq; non se esse tractandos crudeliter. Nam unum corpus sunt hostes: ut unum corpus est exercitus. Unum corpus est eorum, qui ab una parte faciunt pacem: alterum eorum, qui ab altera. Et sic ab una parte qui bellum faciunt. Et singuli tenentur, etiamsi delictum ab universis patratum sit.*

VII. Verum istam quoque rationem in fundamentum juris bellici ordinarii evalescere non sinunt, tum quæ statim se- *p.379.* quuntur apud *Gentilem*: *velim tamen misericordiorem erga hos esse hostem, qui vere alieno laborant vitio.* tum quæ ab *Eodem* alibi passim

sim restrictiones, limitationes, emendationes Talionis bellicæ adferuntur: ut cum *talionem non esse admittendam* pronuntiat, *ubi de sanguine sit quæstio*: cum *Plutarchi, Dionis, Polybij* aliorumque sententias refert & probat, qui constanti rectissimi judicii consensu definiunt: *Ulcisci injustitiam, eamq; imitari, injustum esse: aliorum improbitate ne contra ipsos quidem improbos quenquam fieri improbum debere: qui mente præditi sunt, cum hostem ulcisci statuunt, non id primum spectare, quid merito ille patiatur, sed quid ipsos facere deceat: etiam cum æquum sit, culpæ talionem reponi, imitanda tamen non esse, quæ doleas: Nunquam committere virtutem, ut vitia dum compescit, imitetur ipsa: nec imitationem alienæ culpæ innocentiam rectè vocari.* Quæ satis aperte demonstrant invalidâ consequentiâ à *victi merito* ad *officium victoris* concludi: nec hunc *facere* rectum esse, quod illum *pati* justum est. Rationi de *communi corpore hostium* satisfecit *Grotius: de J. B. & P. II,21,18. III,11,16.* Add. *Eund. de J.B. II,18,7.* de J.B.II,21. p.419. de J.B.III,2.

IIX. Æque inefficax est ad jus belli ordinarium sustinendum roborandumve, quando aliqui causam graviorum facinorum in hostes admissorum e.g. deletarum urbium, captorum aut supplicum interfectorum referunt ad *pertinaciam in resistendo*: illud JCtorum usurpantes: *Contumacia cumulat pœnam: & impunitus esse non debet, qui spe qualicunq; audacior factus est.* quam rationem secutus videri queat P. *Æmilius* apud *Livium*: qui *ad Æniorum urbem hostiliter diripiendam L. Postumium misit, quod pertinacius, quam finitimæ civitates, in armis fuerant.* In recentiori historia *Henricus II. Rex Galliæ Bovinis vi captis, captivos nonnullos etiam suspendi jussit nimium obstinatos.* Qualia, si ad id quod rectum est respicias, ex communibus juris bellici principiis non posse probari, ipsi quoque, qui ea referunt, Historici profitentur. *Satis frigida fuerit excusatio* (inquit Natalis Comes) *si factum jure belli defendatur, quia obstinate & contra militarem disciplinam conarentur locum debilem servare adversus regias copias, quem nullo pacto possent tueri.* Delicti certe vel pœnæ nomina hic adhiberi tanto minus possunt, quod ex adverso potius crimen est, si quis præsidium, fidemque adeo & obsequium deserat; quæ nimis acriter tuendo, nemo scelestus, vel certe hosti ad pœnam proprie dictam obnoxius efficitur. Solent quidem ad terrorem l. 4. D. de Pœn. l. 1. §. 1. D. si is qui test. lib. XLV, 27. Natal. Com. Hist. lib. IIX. Alb. Gent. de I. B. II, 16. Grot. de J. B. & P. III, 4,13. III,11, 16.

rem incutiendum obſeſſis acerbiſſima quæque denuntiari, ſi ſe pertinacius defenderint: & diuturno uſu in praxin, ut ita loquar, militarem deductum eſt, ut deditio illorum, qui vitam aut libertatem ſalvam paciſcuntur, non recipiatur, niſi fiat in locis infirmis quidem, antequam tormenta igniaria majora explodantur: in munitioribus, antequam in mœnia impetus fiat: olim antequam murum aries percuſſiſſet. Sed quod ad denuntiationem attinet, *multum intereſt, ſive miniteris te aliquid facturum, ſive facias. Sæpius minitari licet, cum facere non licet. Et qui minatur, a parte etiam oſtendit, ſe nihil mali velle facere, ſed incuſſo timore retrahere a malo.* quod ad morem publicum; recti regula hic quoque atrociorem ſtricti juris executionem, niſi peculiari quadam & propria ratione nitatur, refugit. quod à *Cicerone* jam admonitum eſt in *Officiis*: *Cum iis, quos vi deviceris, conſulendum eſt, tum ij, qui armis poſitis ad Imperatorum fidem confugiunt, quamvis murum aries percuſſerit, recipiendi.* Nec ad producendam concluſionem univerſalem valida eſt ratio, ex qua nonnemo apud *Albericum Gentilem* pronuntiat: *excuſari in his acerbitatem poſſe jure belli, ne aut ab imperitis rei bellicæ, aut ab agreſtibus obſtinatiſſimis fiat, ut ad omnia, vel nullius momenti loca attraherentur tormenta.*

Lipſ. Poliorcet. III, Gentil. de J.B. II, 24. p. 465.

I, 11.

de J. B. II, 26. p. 349.

IX. Quæ de hoſtibus dicta ſunt, etiam de iis debent intelligi, cum quibus bellum quidem directo non geritur, ſed *qui* tamen *hoſtium loco habentur*: in quos, licet concedatur, eadem quæ in hoſtes, ſecundum regulam juris bellici ordinariam, juſta aut recta eſſe: plura certe aut graviora quam in hoſtes, ſecundum eandem normam, non permittuntur. Habentur autem hoſtium loco, tum qui hoſtes auxiliis aut commeatu, rebuſque ad bellum idoneis juvant: tum qui bello exorto in hoſtili ſolo deprehenduntur. de quibus diſtinctiones cautioneſque neceſſarias exhibet *Grotius de J.B. & P.* III,1,5. III,17,3. III,4,6. & *ſeq.*

X. Solent quidem interdum, qui auxilia hoſtibus præſtant, factis revera hoſtilibus, amica verba obtendere. Sicut *Veneti* apud *Guicciardinum* contendunt, *manere ipſis cum Gallo fœdus, etſi contra Gallum fœderato Mediolanenſi auxiliarentur.* Quin & ipſis fœderibus interdum expreſſe cavetur, ut ſalva pace, contra eum cum quo fœdus initur, alteri liceat auxilia mittere: quod

lib. III.

quod *pace quadam Atheniensium cum Philippo cautum fuisse, ex oratione de Halonneso, quæ inter Demosthenicas legitur,* colligit *Grotius.* de J. B & P. II,10,13.
qui *etiamsi id expressum non sit, non pugnare cum fœdere* pronuntiat, *ut quos alij offenderent, hi defenderentur ab aliis, manente de cætero pace.* at Brissacus apud *Albericum Gentilem, ridiculum* ait, *adversus eundem hostem & non hostem pugnare eodem tempore. Justinus* de J. B. III, 18.
certe, quem nominat *Grotius,* manere pacem non existimavit: sic enim scribit de Lacedæmoniis & Atheniensibus: *Pacem in annos quinquaginta fecere, quam non nisi sex annis servaverunt. Nam inducias, quas proprio nomine condixerant, ex sociorum persona rumpebant: quippe quasi minus perjurij contraherent, si ferentes sociis auxilia potius, quam si aperto prælio dimicassent.* Equidem sicut facile concesserim, evenire casus posse, quibus auxilia hosti missa nihil ad fœderis violationem pertineant: ita si ad regulam respicias, optima ratione Philippo Macedonum Regi objectum à Romanis existimo: *fœdus ab eo violatum, quod hostes populi Romani auxiliis & pecunia juvisset.* Quod & T. Quintius urgebat in Colloquio cum Nabide: *Vos tamen,* inquis, *vestramq; amicitiam ac societatem proprie non violavi. Quoties vis te arguam id fecisse? sed nolo pluribus, summam rem complectar: quibus igitur rebus amicitia violatur? nempe his maxime duabus, si socios meos pro hostibus habeas, si hostibus te conjungas.* III,7,18. Liv. XXXIV,52.

XI. Plane de his quidem, qui *auxilio missi,* in hostium exercitu sunt, ne dubio quidem locus est. Quid, *qui commeatum hosti subvehunt?* Respondet *Procopius: eum quoq; in exercitu hostium censeri, qui quæ proprie ad bellum usui sunt, hostili exercitui subministrat.* Sed videmus id promiscue tolerari coercerive, prout belli usus postulat. Ita ut qui tolerant, jus tamen coercendi palam præferant, idque tum præsertim rigidius plerumque exerceant, si hostes ipsis quoque gravioribus exemplis annonæ subvectionem intervertere instituant. quomodo apud *Hermannum Hugonem,* cum *Mauritiani quosdam, qui castra Hispanica annona pabuloq; adjuverant, captos abduxissent: Spinola talione usus, quoscunq; intellexit hosti pabulum cibariave subvexisse, invicem capi, multariq; passim jussit. Horum multi conquestum cum eo per Legatos miserunt, quasi innocentiam suam probaturi. Ipse eis respondit: jam sic præsentis belli rationem divisam esse, ut cum hostes quocunq; modo* Goth. lib. I. vid. Grot. de J. B. III, 1,5. in not. Obsid. Brea. p. 58.

 modo

modo annonæ ſubvectionem impedirent; ipſe eam viciſſim prohibere niteretur; & ſi hoc ſibi remitti vellent, remitterent ipſi de ſuis recipiendis; ſin id tenerent, ſe quoq; illud retenturum. Add. *Alb. Gentil. de J. B. II,18.*

XII. Patet hinc, quantum inſtituto noſtro ſatis eſt, & qui hoſtes ſint, & quid adverſus hoſtes ordinaria juſti rective regula decernat. De his *qui hoſtes non ſunt, nec hoſtium loco habentur*, admonere, pene ſuperfluum eſt: quando in hos nullum eſſe jus bellicum, eo ipſo quod hoſtium cenſu exemti ſunt, ſatis conſtat. Unum tantum planioris diſciplinæ cauſa annotabimus in exemplum. Pronuntiat *Polybius, bonorum virorum officium eſſe, ut iis a quibus injuriam acceperint parcant, ſi injuriæ ultio in detrimentum innocentium ſimul ſit evaſura.* Adverſus hæc non deſunt qui aſſerant: *etſi quid ſua natura malum ſit, ita ut nunquam bonum fieri poſſit; illud per accidens ſequi poſſe ad uſum aut defenſionem juris mei, extra peccati labem, neq; ideo me teneri temperare ab uſu juris mei.* Secundum hos, ex ipſa juſti rectique regula innocens erit, qui hoſtile præſidium in loco munimentove Tertii aggreditur, quantacunque civibus aut incolis non hoſtibus detrimenta inde inferantur. At enim, ſicut illi quidem, qui jus ſuum legitimo modo exequitur, imputari nequeunt, ſi quæ ſine culpa ejus in alios incommoda inde promanant: ita qui non cavet, etiam quæ extra propoſitum, in necem innocentium evadere poſſe prævidentur, hoc ipſo culpæ ſe reum facit: à quâ nulla communi aut ordinaria ratione poteſt abſolvi. Conf. *Grot. de J. B. & P. III,1,4. III,11,8. Puſendorf. de J. N. & G. I,5,3.*

Grot. de J. B. III,17,1.

lib. V.

Auth. diſſ. de Princ. juſt. & decor. p. 161.

CAPUT III.

I. Argumentum à fine belli univerſali ad media, quomodo formetur?
II. Quomodo à fine particulari ſingularum actionum bellicarum?
III. Vis neceſſitatis in bello.
IV. Qualis hic neceſſitas intelligatur?
V. Quomodo contra hoſtem neceſſitas ſit explicanda?
VI. Quid ex neceſſitate in ſupplices juſte recteve fieri poſſit?

VII. *Quid*

VII. *Quid in locum, qui custodiri non potest?*	XI. *Quid in eos qui nostrarum sunt partium?*
IIX. *Quid ad terrorem incutiendum hostibus?*	XII. *Quove ex fundamento?*
IX. *Quid ad opportunitatem loci, hosti intercipiendam?*	XIII. *Distinctio inter subditos & non subditos.*
X. *Quid ob hoc, ne facti gloria vel utilitas pereat?*	XIV. *Quid in eos qui neutrarum sunt partium?*
	XV. *Ex aliorum sententia.*
	XVI. *Ex nostra.*

I.

EOrum igitur, quæ in bello contra hostem fiunt, multa, quæ contra non hostem, omnia, si ad regulam juris militaris expendantur, vel à justitiâ, vel certe à rectitudine aberrant; quorum tamen haud pauca, ut generaliter indicatum jam est, *sub justi rective æstimatione defenduntur, vel excusantur*: quatenus tanquam *media* secundum certum belli statum habitumque *propria & adæquata* ducunt ad *finem necessarium*. Eumque vel *universalem*, totius belli, vel *particularem* singularum actionum bellicarum. *Universalis belli finis*, quantum ad ambitum justitiæ militaris attinet, *est quietus & securus juris, quod cuiq; competit, usus*: ideo necessarius, quia sine eo vita socialis secundum ordinem à DEO præscriptum institui degique non potest. Apposite ad hanc rem *Themistius*: Στρατεύονται οἷς ἀνάγκη, οὐχ ἵνα διὰ τέλους στρατεύοιντο, ἀλλ᾽ ἵνα ἀσφαλῶς ἡσυχάσωσιν. *Bella suscipiunt, quibus id necesse est, non ut perpetuo bellum gerant, sed ut tuto in otio & quiete esse possint.* Nec minus illud *Livii* huc pertinet: *Justum bellum, quibus necessarium; & pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes.* Itemque illa vulgata de pace per bellum quærenda: apud *Ciceronem*: *Ita bellum suscipiatur, ut nihil aliud quam pax quæsita videatur*: *Pacem habere debet voluntas*, (quod *Augustini* dictum est) *bellum necessitas. Non enim pax quæritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur.* Inprimis autem *Cicero* passim in *Officiis* monet, *societatem hominum & communitatem everti necesse esse, si præsidia hominibus detrahantur denegenturve tuendi asserendiq; juris sui.* Cujus & hoc effatum exstat: *Quid est, quod contra vim sine vi fieri possit?* Vid. *Pufendorf.* de *J.N. & G.* IIX, 6, 2.

Orat.X. *lib.IIX.* *off.1.* *Epist.205.* *vid.III,5.*

II. *Finis particularis* actionum singularum bellicarum est, *ut vires nostras & facultatem ad jus nostrum defendendum vindicandumve augeamus: & vires hostis ad nocendum nobis coerceamus diminuamusq;.* Quod itidem necessarium, si alia ratione hostis compelli nequeat, ut nobis vel de injuria illata satisfaciat, vel adversus imminentem securitatem præstet. Egregie de hac re philosophatur *Polybius lib. V. cap.8. & seqq.* ubi inter alia diserte scribit: *παραιρεῖσθαι τῶν πολεμίων καὶ καταφθείρειν φρούρια, λιμένας, πόλεις, ἄνδρας, ναῦς, καρποὺς τ' ἄλλα τὰ τούτοις παραπλήσια, δι' ὧν τοὺς μὲν ὑπεναντίους ἀσθενεστέρους ἄν τις ποιήσαι, τὰ δὲ σφέτερα πράγματα, καὶ τὰς ἐπιβολὰς δυναμικωτέρας· ταῦτα μὲν ἀναγκάζουσιν οἱ τοῦ πολέμου νόμοι, καὶ τὰ τούτου δίκαια δρᾶν. Munitiones hostium, portus, Urbes, Viros, naves, fructus & hoc genus alia occupare aut perdere, ut eo pacto res inimicorum atterantur, propriæ adaugeantur & ad exitum consilia facilius perducantur, leges & jura belli nos cogunt.*
de C.D. IV, 15. *Belligerare* (inquit *Augustinus*) *& perdomitis gentibus dilatare regnum, malis videtur felicitas, bonis necessitas. Sed quia pejus esset, ut injuriosi justioribus dominarentur, ideo non incongrue dicitur etiam ista felicitas.* Et hic maxime valet, quo scelestе abutitur Antoninus
IV, 5. apud *Herodianum*: Εὔλογον καὶ ἀναγκαῖον, τὸν μέλλοντα πείσεσθαι δεινὸν, ἀμύνασθαι μᾶλλον ἢ ὑπομεῖναι. Τῇ μὲν γὰρ συμφορᾷ τοῦ πεσόντος καὶ ἀνανδρείας ψόγος προσακολουθεῖ. ὁ δὲ κρατήσας ἅμα τὸ σεσῶσθαι καὶ δόξαν ἀνδρείας ἀπηνέγκατο. *Rectum & necessarium est vindicare magis quam accipere injuriam. quippe ad occisi calamitatem etiam infamia timiditatis accedit: Victor præterquam quod incolumis est, etiam gloriam fortitudinis refert.*

III. Ut autem actionibus bellicis, ad alterutrum istorum finium ex peculiari belli habitu, contra regulas recti honestive communes directis, tanquam *mediis adæquatis*, æstimatio justi rective concilietur, ad id omnis efficacia validæ conclusionis à *Necessitate* mutuanda est: cujus imperium præcipue in bello dominari consuevit.
IV, 27. *Necessitas*, inquit *Seneca in Controv. magnum humanæ imbecillitatis patrocinium est: quod quicquid coegit, defendit.* Necessitati autem quicquid tribuitur, sive juris, sive favo-
Pufend de J. N & G II,6,1. ri aut veniæ, unice inde promanat, quod non possit non homo omni studio ad se conservandum conniti, *Omnem esse hone-*
pro Milon. *stam rationem expediendæ salutis*, definivit generaliter *Cicero*: & alius:

alius: *Lex una & perpetua, salutem omni ratione defendere.* Bodini etiam specialius huc pertinens admonitio est: *Vim necessitatis tantam esse prementibus armis, ut quæ injusta sunt, justissima videantur.* Ex illo, ut videtur, *Thucydidis* loco expressa: *In pace rebusq; secundis, cum nulla ad facinora præter voluntatem necessitas impellit, rectius tam publice quam privatim mortales sentiunt. bellum vero cum ea eripiat, quæ ad usus vitæ quotidianos pertinent, violentus magister, ad præsentem plerumq; rerum statum impetus animorum dejecit.* Add. *Grot. de J.B. II,2,6. Ayal. de Jur. & off. bell. I,5.* Ammian. Marcell. lib XXIII. de Rep. V,5. l.b. III.

IV. Neque tamen *absoluta* vel simplex necessitas hic requiritur: sed *cum adjunctione*, ut *Cicero* vocat: quæ etiam extra hunc locum dicitur *necessitas finis*: Cujus qui sint gradus, itidem ex rerum causarumque diversitate arcessendum est: neque *ultimus* semper *articulus necessitatis* sumendus, cum vocabulum hoc auditur. Quod *Albericus Gentilis* admonuit: & ad hunc usum nostrum copiose exposuit *Bœclerus Comm. in Grot. I, 1. p.137.* vid. de Invent. II,57. de J.B. I,13. fin.

V. Et *contra hostem* quidem haud dubie laxius interpretari necessitatem fas erit: ut non præsentis tantum sed etiam futuræ incolumitatis ratio habeatur: eique tutela destinetur non tantum adversus mala & damna, quæ ex imminentibus belli actionibus & molitionibus hostilibus: sed & quæ ex ipso belli statu pericula impendent in quo qui sunt constituti, in eos congruit, quod de gladiatoribus *Gellius* habet: *Licet hominum vita non tam iniquis alias neq; tam indomitis necessitatibus circumscripta sit, ut idcirco injuriam facere debeas, quam nisi feceris, pati possis: Gladiatori tamen composito ad pugnandum, pugnæ hanc propositam sortem esse, aut occidere, si occupaverit, aut occumbere, si cessaverit.* N.A. VII,3.

VI. Hinc sævitia in eos exercita, *qui supplices facti, dedere se parant,* desinit sævitiæ nomine censeri, & sub æstimari ne justi rective modo defenditur à *Scriptoribus*, modo excusatur. si ea belli atque negotiorum indoles sit, ut finis vel universalis vel universali subordinatus hac una ratione tutissime certissimeque obtineri queat. Ex hoc genere esse putatur Germanici adhortatio adversus Germanos apud *Tacitum*, orantis suos, *insisterent cædibus: nil opus captivis, solam internecionem gentis finem bello fore.* Eandem speciem & Uspensium cædes præfert: qui Annal. II, 21,4.

cum

Tac. Annal. XII, 17,3. *cum legatos misissent veniam liberis corporibus orantes, servitijq; decem millia offerentes: id aspernati sunt victores: quia trucidare deditos sævum, tantam multitudinem custodia cingere arduum: ut belli potius jure caderent.* Sed hic finium comparatione non recte institutâ, securitas victoris nimium violento medio, pro periculi aut incommodi ratione, quod ex custodia deditorum imminebat, stabilita est.

VII. In hoc ipso enim, *quod teneri locus aliquis, vel custodiri multitudo quæ in potestatem tuam venerit, non possit,* per se nullum validum principium continetur, unde concludere possis: ergo hæc aut ille internecione vel excidio sunt delendi. nisi utrinque paria huic facinori momenta ad finem belli vel universalem, vel universali subordinatum subsint. Qualia suberant, cum à Mario Capsa deleretur. *Oppidum incensum,* inquit Historicus, Sallust. B. I. c. 91. *Numidæ puberes interfecti, alij omnes venundati, præda militibus divisa. id facinus contra Jus Belli, non avaritia neq; scelere Consulis admissum; sed quia locus Jugurthæ opportunus, nobis aditu difficilis; genus hominum mobile, infidum, ante neq; beneficio, neq; metu coercitum.* Ubi ex *peculiari belli indole* prorsus manifesto BELLI RATIO enascitur. sicut & in illo *Flori* de Thracibus domandis: III, 4, 7. *Nec aliter cruentissimi hostium, quam suis moribus domiti. quippe in captivos igne ferroq; sævitum est.*

IIX. Unde & intelligere datur, quando *terror* fundamentum RATIONI BELLICÆ idoneum præstet: non simpliciter scilicet, sed quando adversus tales hostes tali bello adhibetur, ut ad finem belli pro adæquato vere medio possit haberi: Atque hoc modo explicandam *Grotij* doctrinam existimaverim, tradentis: de J. B. III, 11, 16. *Utilitatem, quæ ex terrore in posterum speratur, ad jus dandum cædis non pertinere; sed si subsit jus, posse inter causas esse ob quas jus non remittatur.* de J. B. II, 20. p. 349. Et admiserim intra hos limites, quod apud Gentilem legitur: *Sic postulare* BELLI RATIONEM, *ut in obstinatos & loca minus munita pertinacius defendentes interdum graviora exempla decernantur.* vid. Alb. Gent. de J. B. II. 17. p. 355. Atque in excidio Uspensium hoc unum valide hinc audietur, quod addit Historicus: *Excidio Uspensium metus cœteris injectus.* Si id quidem *Belli Ratio* exigebat, ut tam gravis metus cœteris injiceretur. Quod addendum etiam factis similibus puto: veluti cum, de J. B. II, 18, 387. *Alberico Gentili* iiidem

itidem annotante, plurimi Scriptores ajunt, *ita postulare rei militaris rationem, aliquando ad cæteros deterrendos, sævire in hos, qui commeatum obsessis inferunt.*

IX. Nec aliunde robur mutuatur *opportunitas* loci, hosti intercipienda; ut conclusionem hic efficacem producat. Nam licet in se vim aliquam habeat opportunitas ad terrendos prudentes, si cum Sallustiano Micipsa reputent: *opportunitatem non malos tantum, sed etiam mediocres viros transversos agere*: non tamen ad graviora facinora ex *Ratione Belli* defendenda aliter quam periculi magnitudine proficere potest. De Corinthi excidio Cicero: *Majores nostri Tusculanos, Æquos, Volscos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam acceperunt: at Carthaginem & Numantiam funditus sustulerunt: Nollem Corinthum: sed credo illos secutos opportunitatem loci maxime, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari.* Idem *alibi* laudat Marcellum, quod Syracusas delendas non putaverit, *cum ex ea urbe nihil periculi ostenderetur*: idque judicium referens *Albericus Gentilis*, recte subjicit: *An si periculum salutis urbis Romæ ostensum fuisset, nec dum Syracusas illas pulcras delendas Marcellus, aut Cicero censuisset?*

Off. I, 11.

in Verr.

de J. B. III, 8, 527.

X. E contra sicut ad veros bellicæ actionis fines, ita ad ipsam RATIONEM BELLI, nullam, nisi in opinione vulgi efficaciam habet, si quis urbem captam ob id modo delevisse se obtendat, *ne vel expugnationis gloria evanesceret, vel frustra eam cepisse videretur.* & nituntur tamen tali prætextu Romani: causam illorum agente *Tacito*: *Artaxatis ignis immissus, deletaq; & solo æquata sunt. quia nec teneri sine valido præsidio, ob magnitudinem mœnium; nec id nobis virium erat, quod firmando præsidio, & capessendo bello divideretur. vel si integra & incustodita relinquerentur, nulla in eo utilitas aut gloria quod capta essent.*

An. XIII. 41, 3.

XI. Qui hostes non sunt, ii, ut supra distinximus, vel *Nostrarum* sunt partium vel *Neutrarum*. In *illos* multa necessitas belli fieri imperat, injusta si seorsim spectentur, vel inhumana certe atque crudelia. In historia *Curtiana* Mazæo Prætori mandat Darius, *ut regionem, quam Alexander esset aditurus, popularetur atq; ureret. quippe credebat inopia debellari posse nihil habentem, nisi quod rapiendo occupasset.* Ad alium *Curtii* locum annotat *Freinshemius*: *Sæpe factum, ad præcidendum hostibus aditum,* ut

IV, 9, 8. *Add. Cæsar de B. G. VII, 14.*

IV, 16, 8.

ut portæ civitatum clauderentur, magno interim exclusorum sociorum damno: idque probat exemplis ex Veteri pariter & recentiori historia petitis. Quo pertinent etiam illa *Virgilij*:

Æn. IX, 722.

Pandarus ut -- -- -- cernit,
Et quo sit fortuna loco, qui casus agat res:
Portam vi multa conversus cardine torquet,
Obnixus latis humeris: multosq; suorum
Mœnibus exclusos duro in certamine linquit.

Æn. XI. Et alibi:

-- -- -- pars claudere portas
Nec sociis aperire viam, nec mœnibus audent
Accipere orantes.

Sic & sæpe legimus, imbellem senum, fœminarum puerorumque turbam urbibus arcibusve aut non receptam, aut expulsam fuisse, obsidione atque hinc fame imminente. *ne iis corporibus, quibus non arma ferre, non tueri patriam possent, onerarent inopiam armatorum.* De illis dubitandi causa non est, qui suos in loca tutiora submovent: quod Athenienses fecisse *Thucydides* memorat, cum Platææ à Thebanis metuerent: sed qui sævitiæ & lubidini hostium exponunt. quos Romanorum exemplo tueri *Scipio Amiratus* conatur: *qui urbe à Gallis captâ, senes hosti prædæ expositos reliquerint.* Sed hi quidem *sponte* se hosti objecerunt. de fœminis autem notatu prorsus dignum est, quod *Livius* in ejus rei narratione scribit: *magna pars earum in arcem suos prosecutæ sunt, nec prohibente ullo, nec vocante: quia quod utile obsessis ad minuendam imbellem multitudinem, id parum humanum erat.* Subjicitur statim, quod itidem hic minime prætereundum, de turba cætera: *Alia maxime plebis turba, quam nec capere tam exiguus collis, nec alere in tanta inopia frumenti poterat, ex urbe effusa, suam quisq; spem, sua consilia, communibus deploratis, exequebantur.*

Bel. Pelop. II. — *discurs ad Tac. XX, 3.* — *V, 49.*

XII. Substernuntur his factis purgandis varia fundamenta: *Communis salutis studio, singulorum curam negligendam: paucorum damno universa servanda: si quid ex iniquo his exemplis subsit, illud contra singulos utilitate publica rependi: in communi calamitate suam quemq; habere fortunam.* Sed vis harum sententiarum

tiarum atque efficacia omnis à *necessitate* dependet. quæ, prout magis minusve urget, validius quoque aut infirmius momentum huc adferre intelligenda est. Sicut adhibitâ Ciceronianâ distinctione inter *necessitatem absolutam, & necessitatem cum adjuncto,* tum inter *necessitatem honestatis, incolumitatis, commoditatis,* egregie jam declararunt *Bœclerus ad Grot. de J.B.I,1. p.137. & II,2. pag.65.& seq. Pufendorfius de J.N. & G. II,6.1. & seqq.*

XIII. In applicatione autem hujus principii ad factorum singulorum æstimationem, probe distinguenda sunt ea, *quæ fiunt à Summa Potestate in subditos*; ab iis, *quæ fiunt vel à summa potestate, vel à quibuscunq; aliis in non subditos.* ibi facultas supereminens in personas ac bona subditorum, interdum ex laxiori quoque necessitate proficit ad defendenda sub æstimatione justi rectique facinora; quæ hic ex rigidiore quoque necessitate nihil aliud, quam excusari eatenus sub æstimatione justi rective possunt, quatenus injustitia vel crudelitas, quæ iis subest, illi nequit imputari, qui nec dolo malo, nec culpa sua, sed studio vel publicæ vel propriæ salutis contra præsentissimum periculum tuendæ compulsus, ea perpetravit. *Vid. Pufendorf. de J.N. & G.I,5,3. & seqq. Feld. ad Grot. II,2,6. Ziegler. ad Grot. II,2,6.*

XIV. In eos qui *Neutrarum Partium* sunt, quid sibi permittant Bellantes, ex sequentibus exemplis datur intelligi. Refert ex Xenophonte *Grotius: Græcos qui cum Xenophonte erant, cum navibus omnino opus haberent, ipsius Xenophontis consilio transeuntes cepisse.* Haud dissimile multum est, quod superiori seculo Elisabetha Regina Angliæ patravit: *cum enim magna vis pecuniæ mercatorum Genuensium, aliorumq; Italorum, ex Hispania in portus Anglicos, persequentibus Gallis delata esset, & Albanus tanquam Hispanicam falso vindicaret; Regina Elisabetha fiduciaria cautione interposita, à mercatoribus mutuo eam sumsit.* Inprimis vero ad RATIONEM BELLI provocare receptum est, *quando loca occupantur in solo pacato sita, si periculum sit, ne hostis eum locum invadat, & inde irreparabilia damna det.* Quomodo superiori seculo *Carolus V. Imperator Cosmi Medicæi suasu, Appianos Plombini dominos, ne Galli loco potirentur, ex arce in oppidum, reluctantes, querentes, Deum hominumq; fidem obtestantes emigrare coëgit, Ipseq; arci præsidium imposuit.* Atque *hanc sententiam quotidie increscere & invalescere*

de J.B. II, 2,10.

Camden. Elisab. p.1. A.1568. p.149.

Grot. de J. B. II,2,10.

Forstner. ad Tacit. Ann. XIII. 41,3 p.255.

valeſcere videmus. ita ut ad alias etiam belli neceſſitates expediendas, veluti *ſi tranſeundum ſit per territorium alienum, ſi in aliena regione, hoſpitiorum vel hybernorum cauſa, ſubſiſtendum*, ex RATIONE BELLI argumentum trahatur.

XV. Cum ad principia talium factorum examinanda devenitur; quiſque fere novam propriamque viam ſequitur. *Illorum* haud dubie impudentiſſima oratio eſt, qui nulla facti ratione reddita, *ſi interrogentur cur poſſideant, reſponſuri ſunt, quia poſſideant*: quam *prædonum* eſſe formulam, *Ulpianus* pronuntiavit. Neque multo ſolidior illorum ratiocinatio eſt, qui id ſolum ſpectandum in talibus cœptis contendunt, utrum illi *utilia* ſint, à quo, vel in cujus gratiam audentur: quomodo Ageſilaus Cadmææ occupationem defendit: ὅτι δεῖ τὴν πρᾶξιν αὐτὴν, εἴτι χρήσιμον ἔχει, σκοπεῖν. *factum illud eatenus tantum, quatenus ex uſu eſſet, ſpectandum. quod ea quæ è Republica Lacedæmoniorum eſſent, ultro ſine monitore vel mandatore ullo patrari deberent.* Idem de his dixeris, qui à *viribus* & *potentia* juris titulum arceſſunt; *juſtum eſſe* contendentes *quicquid vis armorum in impotentiores agit: id æquius quod validius. Nullum jus armis potentius eſſe: quiſquis enim viribus potior eſt, eum æquiora ſemper & dicere & facere putari.* Aliaque ſimilia, quæ refutationis tanto minus indiga ſunt, quia manifeſtam injuſtitiæ ac turpitudinis propriæ confeſſionem continent: non minus ac illa: ἀναγκαῖον ἀδικεῖν τὰ μικρὰ, τοὺς βουλομένους τὰ μεγάλα δικαιοπραγεῖν. *Neceſſarium eſſe in parvis à juſtitia abire, qui ſalvam eam vult in magnis. Uniuſcujuſq; facinoris æſtimationem à ſucceſſu petendam: qui ſi proſper ſit ac felix, etiam ſcelera quædam honeſta faciat.* Pertinet huc *Lipſii* locus: *Si urbs aut provincia ſtatui meo peropportuna, quam niſi occupo, alius faciet cum æterno meo metu aut damno: non præveniam? Illi volunt, quibus hæc talia ſemper licita & proba, ſi cum ſucceſſu.*

[Margin: l. 10. §. 1. l. 11. D. de hær. pet.]
[Margin: Plutarch. de Repub. Ger. c. 56.]
[Margin: Pol. IV, 14, 85.]

XVI. Ex *Hobbeſianis principiis* inprimis huc queat transferri, *jus omnium in omnia, fundatum in hypotheſi ſtatus naturalis; adeoq; inter eos, qui communem judicem non habent, ſi uſus exigat, validum: etiamſi nulla inter eos ſpecialis cauſa belli intercedat. quod Reges & perſonæ ſummam habentes poteſtatem omni tempore hoſtes inter ſe ſint.* Aliter incedit *Grotius.* qui, cum ſuppoſuiſſet, *omnia naturaliter fuiſſe communia, rerumq; ac dominiorum diſtinctionem lege huma-*

[Margin: Leviath. c. 13.]
[Margin: de J. B. & P. II, 2, 6.]

humana introductam: eorum, qui primi dominia singularia introduxerunt, hanc mentem præsumendam docet, *ut in lege dominij duos casus excipere voluisse intelligantur, unum gravissimæ necessitatis, alterum utilitatis innoxiæ. quibus in re aliorum propria aliis jus pristinum rebus utendi, tanquam si communes mansissent, reviviscat.* Quæ sententia ex *illis more Poëtico*, ut *Lactantius* loquitur, *figuratis* expressa videtur: *omnia esse communia; quia tempore necessitatis communicanda: nemini proprium esse, quo alius sine alterius detrimento uti queat:* quæque alia in eundem sensum *Canonistæ* præsertim & *Scholastici Doctores* adhibent ad definiendam quæstionem: *Utrum extremæ indigentium necessitati cedat ex jure naturali dominium privatum?* adeoque, *utrum inde simpliciter dominium, seu furti interdictum sic temperetur ut surripienti eo nomine scelus ex jure naturali non sit tribuendum?* vid. Selden. de J. N. & G. VI, 6.

XVII. In controversia intricata & difficili, convenientissimum fuerit Academicæ disquisitioni, rem totam certis quibusdam definitionibus comprehendere. eo potissimum accommodatis, ut dirigendo in casibus & quæstionibus practicis judicio, usui esse possint. Itaque I. si occupatio rei alienæ invito domino facta, simpliciter & absolute spectetur; adversatur ei directa fronte præceptum Juris Naturalis de *Abstinentia alieni*; præceptoque huic innixum *Jus Domini*: quod in ordine ad alios homines consideratum, ut hic fieri debet; non à *proprietate* tantum, sed *possessione, usu, imperio* aliove simili jure in re aliena exercendo, quoscunque alios, qui jus specialiter quæsitum non habent, excludit. Unde simpliciter & absolute loquendo, injustum erit, non tantum si dominus loco munimentove suo exturbetur; sed & si contra domini voluntatem res aliena commodato mutuove sumatur, vel per territorium alienum, prohibente domino, transitus instituatur. quibus, si non alia quacunque ratione damni realis, hâc tamen lædi semper minuique intelligitur jus domini, quòd liberum illi in re sua moderamen & arbitrium intervertitur. quod ipsum jam non simplici reatu justitiæ contrarium est. II. Augetur talium facinorum reatus, si ab eo admittantur, qui, ut in fœderibus ἀδιαφορίας sive *neutralitatis*, ut hodie loquuntur, fieri solet, domino quietum juris sui usum, fide expresse interpositâ, firmavit sancivitque.

que. Quod vinculum interdum solum sufficit ad cohibendum ab occupatione rei alienæ non dominum: sicut exemplo regionum hostilium quidem, sed expressa pactione, ob vicinorum utilitatem, bello exceptarum, *Bæclerus* demonstrat. III. Legem naturalem de *Abstinentia alieni* restringere, ut *excipiantur casus, quos exceptos voluerint, qui primi dominia singularia introduxerunt*; vel jus in re sua limitare, jure, *quod in prima dominiorum distinctione reservatum aliis dominij Auctores voluerint*; etiam si Grotiana hypothesis de communione primæva toleraretur, nimis tamen incertum vagumque principium foret, quam ut ad usum vitæ, publicarumque causarum definitionem, queat adhiberi. *Quid enim non fingere liceat voluisse dividentes bona mundi?* interrogat recte *Feldenus*. IV. Qui vero cum Scholasticis & Canonistis simpliciter asserunt, *primævam communionem redire necessitatis & innoxiæ utilitatis casu*; illi in confusionem inextricabilem, & merum chaos conjiciunt humanæ societatis statum: subtracto fundamento ordinis, quo rerum usum inter homines administrari natura præscripsit. quid enim certum uspiam, aut in negotiis inter gentes humanas tractandis firmum erit, si res mea desinat esse mea, utprimum alteri necessaria, vel sine damno meo utilis esse cœperit. Et quis inter eos, qui communem in terris judicem non habent, arbitrabitur vel necessitatem occupantis rem non suam, vel utilitatem denegantis usum rei suæ? ut concludi firmiter possit adversus dominum: Rei tuæ usus mihi necessarius, tibi damnosus non est; ergo jam nec ipsa res tua, tua est: An domino? Ergo acquiesce denegantis judicio. An tibi, qui occupaturus es rem non tuam? quid si necessitates tuas laxe nimium, vel utilitates alterius strictius interpreteris? At hoc non faciam, inquis: Dominus tamen ut metuat, jus; sæpe & cur metuat, causam habet. Ac nescio, utrum injustior, an impudentior argumentatio futura sit: *quia ego judico rem tuam mihi necessariam, vel sine damno tuo, utilem esse*; *Igitur tu jam non amplius rei tuæ dominus es.* Et quicunque denique ad extorquendum domino jus in re sua colores adornentur, apparebit verissimum esse, quod ex *Cicerone* pronuntiat *Grotius*: *omnia sunt incerta, cum à jure discessum est.* Postulata, quibus apud *Dicastillum* & alios innititur sententia Scholasticorum, solidissime con-

Diss. Grot. V. p. 217.

ad Grot. II, 2, 6.

Paul. Naocel sive Lucas Opalenius de Offic. II, 2.

de J. B. Prolegomen. de Just. & Jur. lib. 2. Tr. 2. disp. 9. §. 247.

confutavit *Dannhaw. Colleg. Decalog. disp. XVII.* §.2. & 5. V. Unde quod vulgo dicitur, *eum quem necessitas urget, naturalem facultatem habere utendi re aliena,* id non nisi de facultate admodum imperfecta admitti potest: qualem in legibus Romanis habere quisque dicitur ingrediendi in fundum alienum venandi causa, ita ut si domino prohibente ingrediatur, injuriarum, &c, secundum aliquorum Interpretum sententiam, de eo quod in alieno fundo ceperit, furti etiam conveniri possit. Est enim utique verissimum, quod contra *Hobbesium Pufendorfius* asseruit: *Facultatem naturalem tunc demum in juris proprie dicti naturam evalescere, quando in cæteris hominibus hic effectus moralis producitur, ne alij eum impedire debeant, aut ipso invito, ad easdem res usurpandas concurrere.* Et *constat* certe, quod in re proposita *Bœclerus* admonuit, *ex usu omnium sæculorum populorumq;. neminem putare, se teneri ad permittendam alteri, periculum ab hoste timenti, occupationem loci aut arcis suæ, si impedire possit.* VI. Restringitur quidem jus domini in re sua, *ordine & fine societatis ratione utentium*; in quem injurius est, non tantum qui rerum suarum usum innoxium indigentibus non indulget; sed etiam, qui alterius damnum vel periculum gravius, incommodo vel periculo suo leviori non avertit: sicut demonstrant Theologi, cum *Eleemosynarum elargitionem docent non tantum esse partem spontaneæ liberalitatis, sed etiam justitiæ*: & amplius adstruit *Pufendorfius*: *nequaquam ideo res esse distinctas, ut ne quis per eas aliis inserviret, & ut divitiis repertis solus incubaret.* Adeo ut *Albericus Gentilis* asserat: *ut vindicetur injuria, quæ detrimentum passo ex hac violatione ordinis naturalis infertur, & jus naturæ asseratur, quod delinquendo in finem humanæ societatis læditur, bellum juste moveri.* VII. Sed in applicatione ad rem præsentem, relaxat hanc restrictionem, atque simul *benignitatis, liberalitatis* & *misericordiæ* regulis intercedit *lex charitatis,* quæ unicuique suam suorumque salutem priori loco commendat: tum *jus tertij*; quod benefactis in alium collatis lædi non debet. Quid enim, si petat armata multitudo transitum per territorium tuum, quem si concedas, *benigne* quidem & *liberaliter* facias erga petentes, quos difficultatibus itineris alio dirigendi liberas; erga teipsum vero tuosve, quos offensionibus, suspicionibus, denique vindictæ ejus contra quem transitus petitur,

de J. N. & G. I, 7, 13. III, 5, 3.

ad Grot. II, 2, 10.

Dannh. in Colleg. Decalog. disp. 17. §. 5.

de J. N. II, 6, 5.

de J. B. I, 19.

Alb. Gent. de J. B. I, 19. p. 148.

Pufend. de J. N. & G. II, 6, 8. III, 3, 5.

titur, vel servitio, aut fraudibus eorum, qui petunt transitum, objicis, imo subjicis, *crudeliter*: num tu potius illiberalis aut injustus dici merearis, qui te subducis periculo, deprecando detrectandove; an, qui te onerat periculo, suas in te necessitates aut infortunia devolvendo? Alius, imminente hoste, & locum munimentumve tuum occupaturo, recipi prior postulat, ut damna irreparabilia, quæ hostis, occupato munimento tuo, ipsi daturus est, evitet: Si non recipis flagitantem, ille læsa humanitatis benignitatisque officia: si recipis; hostis persequendi consequendique juris sui media intercepta, queretur. Avertam, inquis, bonis rationibus hostem, ne munimento rebusve meis, qui partibus impermixtus esse studeo, ad opprimendum hostem suum abuti velit: quid si non audiaris? Vi arcebo, armisque oppositis ipse tuebor res meas, non jam pro alio, sed pro jure meo decertaturus: quid si vires tibi ad hoc idoneæ ac sufficientes non supersint? Dejiciam potius munitiones meas, ut quæ ad me tuendum parum validæ sunt, ad nocendum etiam alteri inhabiles reddantur. At eveniunt casus, quibus is, qui opem tuam implorat, absque munitionum tuarum tutela salvus esse non possit; quibus ipse locus, quanquam detractis munitionibus, in ejus necem aut irreparabile damnum, hosti usui esse queat: Favebo, ais, justiorem causam propugnanti. Hic

Grot. de J. B. II, 23, 13.

non dicam, *bellum utrinq; justum esse posse*: quid, si utrinque dubium sit? non est utique receptum hactenus inter populos liberos, alium inter alios armorum arbitria agitare. Rectissimo

de J. B. III, 4, 4.

judicio scribit *Grotius*: *inter duos populos de jure belli pronuntiare velle, periculosum est aliis populis, qui ea ratione bello alieno implicantur. Sicut Massilienses in causa Cæsaris & Pompeji dicebant, neq; sui judicij, neq; suarum virium esse, discernere utra pars justiorem haberet causam.* Addantur, quæ de officio eorum, qui neutras partes

de J. B. III, 17, 3. Diss. Grot. V. p. 202.

in bello aliorum sequuntur, tradit alibi *Grotius*, explicata pariter & examinata copiosius in dissertatione *Bœcleri* sub titulo: *Quies in turbis.* E quibus cum satis manifestum sit, quam longe non dicam ab obligatione, sed ab officio Mediorum in bello, absit, alterutri partium bellantium contra alteram beneficium præstare; ultro corruent Scholasticorum illationes; aliâs quoque satis infirmo talo stantes: *Ad extremam & præsentem suam*

suam necessitatem sublevandam licere occupare rem alienam, quia Dominus censeatur irrationabiliter invitus. Talem occupationem esse licitam, quia non fit Domino jure invito: teneri enim eum consentire, cum alter utatur jure suo. VII. Quando jam de ratione titulove quæritur, quo *defendi* vel *excusari* occupatio rei alienæ *extra ordinem* queat; peculiari penitus proprioque jure censenda sunt, *quæ ex principio quodam & fundamento perfectæ facultatis justi rectique æstimationem trahunt*: qualia sunt, quæ fiunt in subditos temporarios, uti fuerunt mercatores, à quibus Elisabetha Angliæ Regina mutuam pecuniam accepit. Itemque in eos, qui ex Lege Neutralitatis speciali ad transitum commeatumve alterutri, vel utrique bellantium parti præstandum obstringuntur. imo & qui, neutralitate generaliter constituta, alteri partium bellantium isthæc officia exhibendo, ad præstanda eadem alteri se devinxerunt: quomodo Corcyrenses apud *Thucydidem* ratiocinantur: *Atheniensium officii esse, si extra partes esse velint, aut Corinthios prohibere, ne ex agro Attico militem conducant, aut idem sibi permittere.* De his, qui colludunt cum hostibus, ut Ennenses apud *Livium*, admonere hîc nihil attinet; quando satis constat, eadem licere in hos, quæ in hostes, quive hostium loco habentur, licent. Sicut & de his, qui in occupationem loci munimentive sui consentiunt: quibus, utpote volentibus, nullam injuriam inferri manifestum est. Consentire autem hi quoque intelliguntur, qui, ut, ad offensiones partis adversæ vitandas, haud raro fieri amat, *volentes coguntur*: de quibus usurpare illud *Nasonis* possis:

An esus de Con; cient. V,30 Dicast. ill. de I. & I. lib. 2. T. 2. D. 9. §. 251.

Bell. Pel. lib. I.

XXIV, 37.

de Art. lib. I.

Vim licet appelles, grata est vis ista puellis,
Quod juvat, invitæ sæpe dedisse volunt.
Vim passa est Phœbe, vis est illata sorori,
Et gratus raptis raptor uterq; fuit.

Audiendi tamen non sunt, qui *credidisse se* obtendunt, *Dominum loci occupationi suæ consensurum*: nisi hujus assertionis suæ certas, liquidasque penitus, & idoneas denique probationes habeant, ad elidendam præsumtionem generalem, qua nemo creditur rem suam jactare: nedum ut alteri usum ejus, cum suo periculo, quod hic quodammodo moraliter certum est, ultro concedat.

dat. IIX. Itaque, si palam testetur dominus, se invitum possessionem usumve rei suæ tibi relinquere; tibi autem jus in eam rem speciale competat nullum; tua interim tuorumve salus in eo versetur, ut rem illam, donec periculum desævierit, teneat; pereundum ne potius fuerit, an à rigore juris tantisper recedendum, ut tuam tuorumve salutem, non commendàtam duntaxat tibi, sed præcepto juris naturalis injunctam tuearis? Ego equidem aliud responderim, si de re occupanda consilium; aliud si de occupata judicium roger. Ubi enim deliberandi locus relinquitur, quid ambigam secundum regulam ac cynosuram incedere, quam scio à *Spiritu Sancto* præscriptam, NON SUNT FACIENDA MALA, UT EVENIANT BONA: cum Gentilium etiam Sapientes definiverint; *Gravissima potius mala subeunda, quam ut cum alterius incommodo nostro velimus commodo consulere.* Ubi vero gravitas & præsentia periculi, nulla prava libidine, nullo incondito aut intemperante affectu, sed solo se suosque ab imminente pernicie tuendi studio incitatum, ad rem alterius occupandam attraxit: ita, ut non dolus saltem sed culpa quoque occupantis argui non possit: cur *injustitiæ* condemnem, rationem sufficientem reperire utique non possum. Cum præsertim omnis inæqualitas, quæ diminutioni, aut detractioni juris alieni subest, sincero compensandi resarciendique omnis damni proposito complanetur. quid enim impedierit, quo minus hic valeat? *Haud est nocens, quicunq; non sponte est nocens.* Et veniam certe talibus factis indulgent quantumvis tenaces justi rective propositi judices *Bœclerus, Feldenus, Osiander, Zieglerus, Pufendorfius.* quorum consentientibus suffragiis nihil causæ rigidiores censores repererint, cur detrectent concedere. Illud definiant, qui in publicis Gentium controversiis, magis quam nos, sunt exercitati, utrum talibus factis directa juris nomina præscribi hinc possint, quod consensu quodam liberorum populorum in jus gentium voluntarium videtur invaluisse, ut tales necessitates inter se, vi potius adhibita, quam spontaneis officiis expediant: quod illi quoque, cui vis adhibetur, ob offensiones tertii, nocentius esse putatur persuaderi, quam cogi. Moralistarum argutias, quibus *dominum res suas defendentes etiam occidere fas esse,* conscientiæ suæ persuaserunt,

Rom. III,8.

Senec. Hercul. Oet III, 179.

Ad Grot. II, 2.
de J. N. II, 6.

Di astill. de I. & I. II, 2,9. 252.

ſerunt, refellere nimis odioſum otioſumque foret: *DEUS enim, DEUS, nonne palam reclamat? qui igneo illo ſpiritu omnes iſtas humanas argutiolas difflat, quaſi ventus folia, aut peniculum tectorium. Ille edicit: Dominus averſatur omnem injuſtitiam. Ille minatur: Regnum à gente in gentem transfertur, propter injuſtitiam & injurias, & contumelias, & diverſos dolos.* *Lipſ. Pol. IV, 14, 92.* *Plaut. Mil. I, 1, 18.* *Deut. XXV, 16.* *Syrac. X, 8.*

Caput IV.

I. *Ratione belli neminem excuſari oſtenditur, niſi qui bellum juſtum gerit.*

II. *Quiq; ſine culpa ſua in neceſſitatem deducitur.*

III. *Neceſſitatem veram non imaginariam ſubeſſe debere.*

IV. *Regula generalis in æſtimanda neceſſitate.*

V. *Nihil ex ratione belli faciendum, quo Deus poſſit offendi.*

VI. *Aut quod ad finem belli nullam efficaciam habet.*

VII. *Quodve modo ordinario expediri poteſt.*

IIX. *Declaratur id exemplo ad belli finem univerſalem relato.*

IX. *Itemq; alio relato ad finem belli particularem.*

X. *Ultra neceſſitatem quicquid fit in bello, alienum eſt à belli ratione: ſive in re ſit exceſſus:*

XI. *Unde & reſtituenda res ex neceſſitate ablata, quam primum ceſſaverit neceſſitas:*

XII. *Sive in intentione.*

XIII. *De abuſu Rationis bellicæ, Prudentum judicia.*

I.

POterant hæc utcunque ſufficere ad eruendam vim argumenti, quod RATIONI BELLI innititur. quoniam tamen *conſequentia* ex hoc principio deducta, haud raro aliunde vitium trahit, vel uſu ſequiore corrumpitur; *terminis* quibuſdam atque limitibus eſt circumſcribenda. Ac initio quidem qualiſcunque iſta, quæ à ratione belli petitur, excuſatio ſive defenſio ſit, nemo ſibi vindicare illam poteſt, niſi qui in re licita verſatur, hoc eſt, *qui pium juſtumve bellum gerit*, ut interpretatur *Grotius*. *Si enim belli cauſa injuſta ſit*, Eodem rectiſſime aſſerente, *injuſti erunt interna juſtitia omnes actus qui inde naſcuntur: ita ut qui ſcientes tales actus operantur, habendi ſint in eorum numero, qui ad re-* *de J. B. & P. II, 2, 10. III, 20, 8.*

gnum cœleste sine pœnitentia pervenire non possunt. Ubi quod ad *scientes* hoc judicium restringit *Grotius*, de iis intelligendum est, qui in bello injusto nihil aliud quam operam suam præstant; nam qui ipsi bello injusto causam præbuere, iis etiam imputantur actus vel à mere invitis, vel ab ignorantibus perpetrati: tanquam qui perpetrati non fuissent, nisi ab ipsis injusto bello causa fuisset subministrata:

II. Quemadmodum præterea, etiam in bello justo, parum efficax patrocinium est in *necessitate*, in quam suà culpà se quis conjecit. Ea ratione qua in causis quoque civilibus casus fortuitus illi imputatur, cujus culpa damnum casu datum præcessit, uti inter alia multa responsum est à *Publio Mucio.* nam *is*
l.66. pr. D. Sol. matr. *in Licinnia Gracchi uxore statuit, quod res dotales in ea seditione, qua Gracchus occisus erat, periissent, quia Gracchi culpa ea seditio facta esset, Licinniæ præstari oportere.* Culpæ annumeramus, si quis rei militaris aut locorum imperitia, vel imprudentia denique negligentiave, in angustias esset deductus, è quibus sine damno tertii, innocentis, eniti non posset. Quis haud immerito illud *Isocratis* occini sibi audiret. *Nonne absurdum est, in eo periculo fiduciam impetrandæ veniæ collocare, in quod quis semetipsum conjecit.*

III. Necessitatis insuper ipsius, in quam quis belli casibus conjici potest, varii sunt gradus, ut superius admonitum est: quemcunque hic supposueris; *vera* in eo *non imaginaria necessitas* esse debet. Utut enim alias verissimum sit, quod alicubi *Cicero* scribit: *Arbitrio suo quemq; timere oportere*: quare tamen id locum hic habere non possit, ex altero ejusdem Ciceronis loco
ap. Quintil. V, 13. potest colligi: *Quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum jure potuerit occidere, à quo metuisse*
Grot. II, 1, 17. *se dicat, ne ipse posterius occideretur.* Quippe *adversus incertos metus à Divina providentia, & ab innoxia cautione, non a vi præsidium petendum est.* indeque in eos qui suspicionibus tantum adducti, ne damnum ipsi patiantur, alios damno afficiunt, non male
IIX, 5. convenit Vibii Crispi dictum, à Quintiliano laudatum: *Quis tibi sic timere permisit?* Illi vero nefarii penitus ac scelesti sunt, qui simulato metu & fictis periculis ad opprimendos alios usi, bellicam necessitatem facinoribus suis prætexunt; ut apud *Li-*
XXV, 15. *vium* Thurini: *Cum, insistentibus Carthaginensibus, popularium agmen*

agmen patentibus portis accepissent; ubi Romanos fusos ad urbem ferri viderunt, conclamant instare Pœnum, permistosq; & hostes urbem invasuros, ni propere portas claudant: ita exclusos Romanos præbuere hosti ad cædem.

IV. *Porro:* quibus deliberandi locus relinquitur, illis ante omnia videtur observandum *Ciceronis* præceptum: *in hoc loco caput illud esse, ut quæramus, quid sit illud, quod si adipisci aut effugere velimus, aliqua res nobis sit necessaria; hoc est, quæ sit adjunctio, ut proinde uti quæq; res erit, laboremus, & gravissimam quamq; causam, vehementissime necessariam judicemus.* Ex hac regula ratiocinatur Vercingetorix apud Cæsarem: *Opida incendi oportere, quæ non munitione & loci natura ab omni essent periculo tuta, neu suis essent ad detrectandam militiam receptacula, neu Romanis proposita ad copiam commeatus prædamq; tollendam. Hæc si gravia aut acerba viderentur, multo illa gravius æstimari debere, liberos, conjuges in servitutem abstrahi, ipsos interfici; quæ esset necesse accidere victis.* de invent. II, 58. de B.G. VII, 14.

V. Secundum hanc normam, nullum unquam tam grave periculum debet existimari, ut ad illud evitandum quicquam committatur, *quo,* dictante Verbo Divino vel recta ratione, *sciamus DEUM posse offendi.* sive illud directo, sive per consequentiam tendat ad Divini Numinis violationem. Hic enim locum inprimis habet illud Varii Gemini apud *Senecam*: *ad quædam nulla necessitas debet compellere.* Nec multum hinc discrepans *Plinij* sententia: *Summa ratio sapientibus pro necessitate est.* Idque non propterea tantum, quia certum est, DEUM homini longe gravius posse malum infligere, quam quod in hac vita homini contingere potest, gravissimum: Sed quia insuper nulla cum spe aut fiducia solida expediendæ salutis viam inire quisquam potest, in qua per ipsam quoque sanam rationem nequit de Divino auxilio non desperare. Cum econtra clarissima quotidie exempla illustrent argumentationem maximi Regis: *Hi in curribus & equis: Nos autem nominis Domini DEI nostri recordabimur: Ipsi incurvabuntur & cadent: nos autem stabimus & exaltabimur.* Controv. III, 17. Ep. I, 12. vid. Gerh. de Mag. Pol. §. 415. Psalm. XX. v. 8.

VI. Quin & seposito respectu offensionis Divinæ, huic comparationi finis ultimi cum finibus intermediis, atque cum iis mediis, quæ huc aut illuc ducunt, in examinanda ad normam

humanæ prudentiæ BELLI RATIONE, tenacissime semper est inhærendum. Indeque illa, *quæ ad finem belli vel ultimum, vel intermedios nullam efficiendi vim habent, ex censu eorum quæ* RATIO BELLI *defendit aut excusat, penitus sunt eliminanda.* Talia sunt *stupra in fœminas*: quæ licet in bellis permissa passim legantur: Inter moratiores tamen populos quodammodo in jus commune evaluit, ut pudicitia etiam in hoste servaretur, & is qui pudicitiam vi læsit, quamvis in bello, ubique pœnæ sit obnoxius. quod nec Hebræa lege impunitum fuisse, ex ea parte colligit *Grotius*, quæ de captiva ducenda neque vendenda postea, constituit, Add, *Seld. de Jur. Nat. & Gent. secund. discipl. Hebr. V,13. Gerhard. de Mag. Polit. §.415.*

de J. B. & P. III, 4, 19.

VII. Quæ ducunt ad finem, illa prout facinus perpetrandum propius aut remotius à regula justi rective ordinaria recedit, aliquando tum demum titulo *Rationis Bellicæ* excusantur, si *sola ducant ad finem*; aliquando sufficit, si inter alia media ipsa *sint* vel *expeditissima* vel *tutissima*, vel *efficacissima*. Definit hinc *Grotius, ad id ut quis transitum armatum sibi vindicare possit per alienum territorium satis esse, si sine dolo malo transitum postulet, qua proximum ac commodissimum est.* Ego tamen prorsus existimo, eum qui alio possit voluntate & cum bona gratia, vel certe sine periculo aut incommodo veri domini transire, minime debere alium invitum periculo aut detrimento transitus sui gravare: etiamsi hac transire propius commodiusve sit. Alium enim periculo detrimentove invitum onerare moraliter malum est; longeque illi compendio præponderat, quod ex propinquitate commoditateve itineris transiturus consequitur.

de J. B. & P. II, 2, 13.

IIX. Ex hac mediorum ad belli finem ducentium comparatione venit & illud: quod non imprudenter solum, sed improbe injusteque facere judicantur, *qui securitatem suam adversus hostem, sævitia eunt stabilitum, si eadem certius firmiusq;, vel saltem æq; certo ac firmiter clementia lenitateq; potuisset sanciri.* quod quidem fieri posse semper est credendum: nisi ex peculiari belli vel hostium indole contrarium manifesto constet. Est ubi locum habeat militare proverbium: *tales sint semper belli mores, quales sunt hostes.* in universum tamen definiendo verissimum haberi debet; *Pacem etiam quæ victis datur, si bona sit, fidam*

dam & perpetuam: si mala, haud diuturnam. Quod sententiis, rationibus, exemplis per quam multis confirmant *Lipsius Pol. V, 20,23. Grotius de J. B. & P. III,15,12. Alber. Gentil. de J.B. II,2.*

IX. Eadem judicandi norma in *singulis belli actibus* tenenda est: veluti si de populatione vastationeque regionis hostilis agatur. quam multi ut solum vel expeditissimum medium debellandi hostis amplectuntur. Cum econtra gravissimæ rationes ac exempla ostendant, hoc medium plerumque plus utentibus eo, quam hosti nocuisse. De Annibale *Livius*: *Præceps in avaritiam & crudelitatem animus, ad spolianda quæ tueri nequibat, ut vastata hosti relinquerentur, inclinavit. Id fœdum consilium, cum incæpto tum etiam exitu fuit: neq; enim indigna patientium modo abalienabantur animi, sed cæterorum etiam: quippe ad plures exemplum, quam calamitas pertinebat.* Ex adverso tradit *Grotius*, in bello Belgico-Germanico hujus seculi, summa cum ratione ac utilitate non tantum agris hostilibus, sed agricolis quoque, ipsisque etiam fructibus parcitum fuisse: sub lege tamen tributi, sive ut hodie loquuntur, *contributionis* præstandæ. Idemque Veterum quorundam ducum exempla refert, qui agros hostiles colonis elocaverint, fructusque etiam ipsos vendiderint hostibus, & ex ea pecunia stipendium præbuerint militi. Estque tota ejus tractatio valde eximia de hac re.

XXVI, 58.

de J. B. & P. III, 12,3.

X. Patet hinc, necessitate nihil excusari quod fit *præter necessitatem*: sed nec quod *ultra necessitatem.* quam quicquid excedit, vitiosum est: sive *in re* sit excessus, sive *in intentione*. *In re* tum demum vitabitur excessus, si, ut *Grotius* in occupatione loci pacati definivit, nihil sumatur quod non ad cautionem sit necessarium, puta nuda loci custodia, relicta domino vero jurisdictione & fructibus. vel, ut idem alibi plenius exprimit, si custodia sufficiat, non sumatur usus: si abusu sit opus, restituatur tamen rei pretium. Cujus & præclara passim monita extant de usu dominii eminentis in subditos, vel juris bellici in hostes ultra terminos necessariæ cautionis non extendendo. vid. *de J. B. & P. III, 11, 2. & 7. III, 12, 1. & seqq. III, 13, 1. III, 15. per tot.*

de J. B. & P. II,2,10.

III,17,1.

II,14,7.

III,20,7.

XI. Hoc quoque est ex *Ejusdem* disciplina, atque ad eundem cum prioribus usum tendit: quamprimum per necessita- *II, 2,10.* *II, 14, 7.*

tem

III,20,7. tem fieri queat, rem domino restituendam: & damna etiam subditis ex ratione belli data, communi contributione esse re-
III,10,3. & seqq. sarcienda. Imo hostibus quoque restituendum, quicquid illis bello injusto ereptum est. Addantur conclusiones, quas ex Biele annotat hac de re *Gerhardus de Mag. Pol.* §.413.

XII. *In intentione* corrumpit actiones, in se quidem BELLI RATIONE excusandas, quicquid magis & principalius animum agentis movet, quam ipsa necessitas: puta crudelitas, ambitio, avaritia. Imo quæ de hoc genere accedunt tantum ad necessitatem. cujus vim præcipuam elidit, qui facto necessitatis titulo obvoluto non indelectatur. quique adeo mereatur audire illud Comici:

Ter. Andr. IV,1. *Tu coactus tua voluntate es.*

Pleraque enim facta, quæ RATIONEM BELLI sibi præscribunt, ita sunt comparata, ut vix innocens quisquam vere dici queat, nisi qui ea quoque, quæ ex necessitate processerunt, infecta malit: documento esse potest cædes dedititiorum in munimento Hiberniæ dicto Fort del Or; quam his verbis refert
Part.2. A. 1580. p.312. Camdenus: *Cum dedititij Anglos numero æquarent, periculum à rebellibus, qui plures quam mille quingenti, immineret, Angli victu & vestitu ita destituerentur, ut tumultuaturi essent, nisi ex munimento spoliis hostilibus sublevarentur, navesq; deessent, quibus hostes avehcrentur: in hanc sententiam Prorege invito & lachrymante itum est; ut servatis ductoribus, reliqui in terrorem promiscue occiderentur, Hibernici autem suspenderentur: quod mox factum. Infectum tamen maluit Regina, sæviciam etsi necessariam in dedititios ex animo aversata, & rationes cædis commissæ ægre admisit.*

XIII. Cum genio sæculi fatemur hos limites nequaquam convenire: docentibus id gravissimis ex ævo nostro
lib.I. p.7. Politicis. Inter quos *Dan. Heinsius* in *Obsidione Sylvæ ducis*, *Belli jus*, inquit, *vocant: quod cupiditati nostræ patrocinium repertum, raro minus late, quam hac patet.* Nec dissimili valde sensu *Boxhornius* in *Bredana Obsidione* scribit: *pleriq; ita animati sunt, ut commoda hostium deterere malint, postposita æquitate; quam inter arma & nata ex iis pacta, haud ita observandam arbitrantur.* Apertius
XIII, 41. larvam detegit *Forstnerus ad Tacitum: Uti Status, ita Belli Ratio Principibus Ducibusq; nostri ævi perpetuo in ore est: qua pleraq; crudelitatis*

delitatis atq; injustitiæ famam incurrentia aut commendant aut excusant. Pleniusque & explicatius describit *Bœclerus* totum hunc abusum: *Jactatur sæpius apud bellantes, titulus necessitatis; sive jus necessitatis, ut Grotius, aut Ratio Belli, sicut hodie loquuntur. Nihil isto titulo & simulacro juris frequentius; sed altum de limitibus positis & temperamento æquitatis silentium. Neq; enim vel jurisdictio, vel fructus, vel necessitatis obtentu, facta rerum commutatione, cessante, restitutio verum dominum sequuntur, Ut ab hostibus capta, non nisi finito bello, & interventu pactionis reddi videmus, quamvis pacato in solo occupata.* Verum nec vicissim ignoramus, multos qui effrenatæ illius & vagæ RATIONIS BELLICÆ speciosis potius quam veris utilitatibus occœcati, terminos limitesque, quos sana ratio præscribit, tanquam quisquilias è Schola & umbra, exploserant, serio tamen ad disciplinam adeo superbe sibi irrisam provocasse, postquam ab aliis eandem in se legem, cujus ipsi auctores fuerant, dici senserunt, illudque simul ex fabulis ingeri,

diss. Grot. V. p. 215.

Peregrinam quæ locutam volucrem accepimus:
Sua quisq; exempla debet æquo animo pati.

Phædr. XXVI, 11.



DISSERTATIO IX.

DE

CENSU AUGUSTI.

CAPUT I.

De Vocabulo Census. Suidæ derivatio examinatur. Vera ostenditur. Servij Tullij institutum summatim indicatur. Livius explicatur. Flori de curiis testimonium expenditur. De lustro condendo. De tabulis censualibus. Census progressus. Sub Coss. Sub Dictatore. Censores creati. Horum dignitas. Munus. Potestas. Sub Imperatoribus.

Resp. Michael Förtsch, Maij 1675.

VOcabuli *Cenſus*, quod & Græcè κένσ☉ vel κλῶσ☉ exprimi ſolet, originem à καίνω *Suidas* deducere aggreſſus eſt, eo inſtituto, ut *certum quendam nummum annui tributi nomine expoſitum iſta voce denotari* exiſtimaret. Κλῶσ☉ enim, inquit, τὸ νόμισμα ἐτήσιον τέλ☉, παρὰ τὸ καίνω, τὸ κόπτω. Verùm vix aſſequitur quod intendit; nuſquam enim κῆνσ☉ ſcribitur: ſed κλῶσ☉: interdum κίνσ☉ ut ex *Heſychio* conſtat. Et inſuper eo ſignificatu uſurpatur vocabulum καίνω apud Græcos, quo dicimus: interficere, percutere, necare aliquem, non quo νόμισμα κόπτειν *nummum cudere*.

Itaque è Latina potius civitate Græcos ſibi tranſcripſiſſe
Etymolog. nomen iſtud, pronuntiandum cum *Voſſio*: nam à *Cenſere cenſus* evidenti flexu deſcendit: indeque mutuati ſunt poſteriores
Meurſ. Gloſſ. Græc. Barb. Græci ſuum illud κλωσεύειν *cenſere*; κλώσωρ *cenſor*; κλωσουάλι☉ *cenſualis*; κλωσίτωρ *cenſitor*. Nimirum illa dictio ex more latinè ſcribentium idem eſt ac *putare, arbitrari, ſententiam dicere*: ut eſt apud *Feſtum* & *Nonium*: indeque in ſolennem apud Romanos formulam, quâ Senatores interroganti Conſuli reſpondebant,
IX, IV. X, XIV. abiit: cujus rei ſpecimina exhibet *Cicero* paſſim in *Philippicis*. Add. *Barnab. Briſſonius de Formul. & Solenn. Pop. Rom. Verb. lib. II. pag.* 169. Sed & ad publicum Romanorum negocium, quo ſingulos cives eorumque bona deſcribebant, hinc accommodari cœpit. Unde eos qui peragendæ huic rei deſtinabantur,
L. II. de vita Pop. Rom. *Cenſores à cenſere dictos eſſe*, ait *Varro, quod arbitri populi fuerunt*: *idem enim valet cenſere & arbitrari*.

Unde eſt, quod elegantiori nonnunquam modo bonis
IX, 2, 9. Scriptoribus vox *Cenſere* uſurpatur: uti in illo *Trogi* ſive *Juſtini*: *Scythas virtute animi & duritia corporis, non opibus cenſeri*. vid. *Berneggerus* ad h.l.

Cenſus igitur eſt *deſcriptio quædam rerum ac perſonarum*, dictus aliàs *profeſſio*, Græcis ἀπογραφὴ: item τίμημα: quorum tamen prius reſpectum ad *cenſos*, utpote qui *profitentur*, duo verò poſteriora ad *cenſentes* preſſius indicant. Cæterùm quia tributi penſio ex ratione *cenſûs*, ubi ſemel inſtitutus erat, deinceps dependebat, hinc obtinuit, ut ipſum quoque *tributum* hoc nomine veniret. Quin & ipſa bona; ſicut *Florus*: *Cenſum patrimo-*
IV, 2, 21. *niumq; raptum eſſe à Cæſare antequam imperium*, ait.

Origi-

Originem autem *censûs* apud Romanos à *Servio* Rege arcessunt. Nam *census*, inquit *Livius*, *in civitate non erat, ab Servio Tullio est factus.* Eandem rem, ut à *Servio* est instituta, copiosè descripsit *Dionysius Halicarnassensis.* *Jussit Romanos nomina dare, & sua bona censere pecuniæ æstimatione, & jusjurandum legitimum interponere, quo jurarent, verè & optima fide omnia sua bona censa esse, & nomina parentum ex quibus essent procreati adhibere, & suæ ætatis annum declarare, atq; ipsorum quoq; conjugum & liberorum nomina scribere, addito urbis loco & regionis pago, ubi singuli habitarent.* Itaque *patrimonij, dignitatis, artium officiorumq; discrimina noscendi*, à Servio initam esse rationem *Florus* indicat.

IV, 4. Lib. IV. I, 6,3.

Institutum Servii ita referunt *Livius* & *Dionysius*, ut omnem Populum in Classes centuriasque relatum esse dicant. Hinc nomen *Classicorum* apud Gellium: qui quidem κατ' ἐξοχὴν ita vocat eos, qui primum inter sex classes (nam in tot erant cives divisi) locum obtinebant. *Censos* absoluto itidem vocabulo nuncupat *Asconius Pædianus*: nam *more veterum*, inquit, *censi dicebantur qui centum millia professione detulissent*: quo numero primam omninò classem descripsit. qua quidem in re alios haut consentientes habet; *Plinius* enim *CX. mille* assium adscripsit. *Livius*: *centum millia æris aut aliquantò majorem numerum. CXXV. millia Gellius.* Idem qui *proletariorum* & *capite censorum* nomen alibi explicat. hi enim *infimi censûs* erant, sextamq; sive ultimam classem constituebant. Nisi quis strictiori & magis accommodatâ vocabulo acceptione eos, utpote qui militaris operæ sumptuumque nihil in Rempubl. conferebant, classium numero excludere velit. Uti *Salustius*, ubi primum à *Mario* istos in militum numerum descriptos memorat: *Ipse* (Marius) *milites scribere non more majorum neq; ex classibus, sed uti cujusq; libido erat, capite censos plerosq;.* Itaque cum ab operibus militaribus ab initio hi penitus essent immunes, *Marius* ob illud factum suum *novitatis suæ conscientia, vetustati non sanè propitius à Valerio Maximo* notatur. Cæteræ classes quemadmodum ex censu sint collocatæ, centuriæque deinceps exinde deductæ, copiosè referunt *Dionysius* atque *Livius*: qui quidem, quantum ad centuriarum institutum attinet, nihil à *Servio* novi in censu invectum esse, fidem alicui facere videtur; nam à *Romulo jam institutas fuisse centurias* diserte notat.

Noct. Att. VII, 13. In Verr. de Prat. Urb. p. 98. Hist. nat. XXXIII, 3. I, 43. Noct. Att. XVI, 10. In Bello Jugurthino. II, 3, 1. I, 14.

IV, 4. notat. Idem tamen centurias æque ac classes à *Servio, cum ante in civitate non essent,* demum incepisse memorat alibi.

Sed Romuli nimirum illa divisio non ad Populum, verum ad Equites in custodiam corporis lectos pertinuit; ideoque *Tribus* ab aliis exquisitius dicuntur, nam per *Tributa Comitia* tum Populi suffragia colligebantur, per *centuriata* verò post *Servij* demum Institutum, ut adeò *centuriarum* tùm primum rationem habitam esse in Populi descriptione constet. vid. *Sigonius de Antiq. Civ. Rom. Jur. I, 4. II, 3. Lazius de Republ. Rom. IV,* 10. *XII,* 3.

Varro de LL. IV. p. 16. Plutarchus in Romulo. Dionysius L. II.

Sed Florus l.c. omissâ prorsus centuriarum mentione, *Curias* atque *Collegia* huc refert, cum tamen à Romulo *curias* institutas esse, testentur unanimi consensu *Dionysius, Livius & Plutarchus. Collegiorum* vero institutum præter *Plutarchum in Numa,* etiam *Plinius* Numæ tribuit. *Flori* igitur annotatio eo tantum sensu admitti potest, ut dicatur adhibuisse ipsum vocabula non ad ἀκρίβειαν, qua instituta Regum Romanorum distingui debent: nam & curias tribuum nomine complectitur, easque *Centuriis* Equitum à *Tarquinio Prisco* auctas esse asserit, ut adeò oratorio, non historico more hic quoque ut aliàs locutus censeri debeat.

Hist. Nat. XXXIV, 1. XXXV, 12. I, 5, 2.

Cum autem eo modo populum ordinasset Rex, in campum deinde (Martium dictum) duxit, ibique lustravit, certis quibusdam adhibitis ceremoniis, quæ *Suovetaurilia* à *Livio* vocantur, ab aliis *Solitaurilia.* Fit quoque apud *Tacitum* mentio *Suovetaurilium.* nam ad alia etiam solennia adhibebantur ista sacra; ita dicta à *sue, ove & tauro,* quæ specialius *Varro* expressit, hac de re ita disserens: *Populus Romanus cum lustratur suovetaurilibus, circumaguntur verres, aries, taurus.* Quod itaque τράγον *hircum* adhibitum fuisse notat *Halicarnassensis,* ad Græcorum potius sacrum, τριττὺν dictum pertinet, quod ab hoc Romanorum in eo unicè diversum erat, quod ibi hircus, hic vero verres erat. *Vid. Lips. ad l. 4. hist. Tacit. pag. 26.* Ea res (teste Livio) *conditum* dicebatur *lustrum,* & deinceps quoque, ubi ad peculiarem Magistratum *census* negotium transditum est, obtinuit. Itaque ferè per universum opus suum *Livius* quotiens *census* mentionem injicit, *lustrum* quoque *conditum* memorat: sed & *Valerius* subinde.

Annal. I, 37, 2. de re rustica II. lib. IV. I, 44. III, 4, 3. IV, 20.

ſubinde. Quamquam autem varia *censûs* in progreſſu fuerit forma, *luſtralia* tamen adhibita fuiſſe ad *Veſpaſiani* uſque tempora, *Cenſorinus* notat. De differentia inter *Quinquennalia* & *luſtra* conſulatur *Wolffg. Lazius de Rep. Rom. X*, 7. *de die Natali cap.18.*

Pertinent huc *Tabulæ cenſuales*: quarum paſſim mentio fit, nam *Tabulas in quibus omnium nomina inſcripta erant, & ex quibus cenſorum numerus fortunarumq; magnitudo cognoſci potuerat,* Servium inſpexiſſe, teſtis eſt *Dionyſius* c.l. Et *Commentariorum Tullij* mentionem injicit *Livius*. Idem qui alibi *Cenſores* (de quibus mox dicetur) ait *tabellas ſignaſſe publicas, tabulariumq; clauſiſſe.* Erat *tabularium* locus ubi tabulæ ejuſmodi reponebantur. Itaque *memoriam publicæ recenſionis tabulis publicis impreſſam, à Clodio extingui* ait *Cicero*, *quod Ædem Nympharum incendiſſet*, utpote in quâ aſſervari potiſſimum ſolebant. inde idem repetit *pro Cælio*: ſed & *pro Archia* de *censûs tabulis* multa diſſerit, & alibi. Ἀπογραφὰς ſub Imperatoribus confici ſolitas *Dio* memorat *in vita Caligulæ*. In *Codice Theodoſiano tabulæ cenſuales* vocantur: item: *paginæ cenſuales*. Add. *Briſſon. de Form. lib.VI. pag.*522. Aliud eſt *Forma cenſualis*: cujus *Ulpianus* meminit: qua comprehendebatur norma, in agris cenſendis obſervanda. *I. in fine. IV,8. Pro Milone. Pro Cæcin. Topic ab initio de Orat. I. l.4.pr.D.de Cenſib.*

Quamquam autem Romani, ubi Regum abrogato dominatu in libertatem ſtatumque popularem ſe vindicaverant, Regia deinceps ſtatuta Legeſque penitus abrogare moliebantur, *cenſum* tamen, cum à Superbo intermiſſus fuiſſet, ſtatim, *L. Valerio Poplicola & Lucretio Coſſ.* repetivere. *teſte Dionyſio*. Sed & *Plutarchus* cum *cenſorum* numerum notaſſet, *viduis* inſuper *& orbis parentum liberis penſionem in illo cenſu remiſſam eſſe* obſervat. Poſtea cum *Dictaturæ origine* ampliora cenſus ſumpſit incrementa. Inde Conſules aliquandiu circa eam rem fuere denuò operoſe occupati. Donec cum *L.Cornelij & Q. Fabij* denique Conſulatu cenſus memoria velut depreſſa *per annos ſeptemdecim* penituſque extincta videretur. *lib. V. in Poplicola. Livius III, 3. 22. 24. Dionyſius lib.XI.*

Poſt id temporis intervallum, illuſtri denuò molimine rurſus emerſit: nam peculiaris ei Magiſtratus deſtinatus eſt. Cauſa erat, *cum tot Populorum bella imminerent, Conſules non amplius civibus cenſendis vacarent.* quod præter *Livium* teſtatur quoque *Varro*. Itaque *M.Geganio Macerino iterum T. Quintio Capito-* *IV, 8. de L. L.IV.*

lino, quintum Cos. duo *Censores* primùm creati sunt. Magna statim ab initio *Magistratus* hujus fuit dignitas, adeò ut ad se raperent *Censuram* Patritii Nobilesque, neque ad plebem transferri paterentur. Itaque longo demum post intervallo alterum ex
VII, 22. Censoribus plebejum creatum esse *Livius* memorat. Neque tamen de cætero cuiquam ad istum honorem adspirare licebat, nisi prius aliis & quidem non exiguis honoribus, *Consulatu* vel *Præturâ* defunctus esset; unde cum aliquando Censores crearentur, qui neque *Prætores* neque *Consules* ante fuerant, tan-
XXVII, 6. & 13. quam peculiare quid *Livius* id notavit. Idem, quantis contentionibus atque rixis Censuram magni sæpe Viri aucupati sint,
XXXIX, 41 *XL, 45.* subinde observavit. *Plutarchus* insuper *Catoni Censuram petenti*
In Catone majore. *Nobilissimos ferè quosq́, & primos Senatorum restitisse*, notat, *cum patricij indignissimè ferrent, nobilitatem circumscribi; hominibus obscuro loco natis ad summum honorem & potentiam enitentibus.*

Neque aliena ab hoc dignitatis splendore fuit ratio *Muneris*, in quo *Censores* occupabantur: utpote cum non *populi* duntaxat *census*, sed *morum* insuper *directio, vectigalium locorumq́ publicorum cura* Censuræ deinceps ambitu concluderentur. Sin-
de Legibus III. gula complexus est *Cicero*: *Censores, populi ævitates, soboles, familias pecuniasq́ censento, urbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia*
Sigon. de ant. jur. Civ. Rom. I, 14. *tuentor: populiq́ partes in tribus distribuunto, exin pecunias, ævitates, ordines, partiunto, Equitum peditumq́ prolem describunto, cœlibes esse prohibento, mores populi regunto, probrum in Senatu ne relinquunto.* Quæ ab aliis subinde per partes traduntur seorsim. Ita
XL, 46. quod ad *morum* attinet *disciplinam, Metellus* apud *Livium* profitetur: *Non obliti sumus, Censores vos paulò ante ab universo P. R. moribus nostris præpositos esse, & nos à vobis admoneri, non vos à nobis debere.* Et *Plutarch.* jam *citato loco* de censura nonnulla per digressionem adjiciens, quasdam, quæ ad *morum* pertinent *inquisitionem*, mixtim partes interjicit. Diversum insuper, quo *Censo-*
In Divinat. pag. 20. *res* animadvertendo utebantur, modum accurate notavit *Asconius*: *Senator* enim *ejiciebatur Senatu, Eques equo publico privabatur: Plebejus verò in Cæritum referebatur tabulas*, adeoque *ærarius factus, non erat amplius in albo Centuriæ suæ, sed ad hoc erat civis tantum, ut pro capite suo tributi nomine æra penderet.* Eximiis hanc
Noct. Att. IV, 2. rem speciminibus illustrat *A. Gellius.* Et similia congessit *Valerius*,

rius, integro quodam capite. Cæterùm haut alio quam ignominiæ ferè nomine talis animadversio censebatur, neque de cætero illa damnum aliquod inferebat; unde *non nisi ruborem damnato intulisse Censoris Judicium Cicero* ait; quamvis interdum *etiam mulctam à Censoribus exactam esse* legamus, ut cœlibatûs apud *Valerium* l.c. Formulas Censoriæ notationis exhibet *Brissonius in Form. lib.II. pag.273.* Sed & de *cura locorum publicorum*, præter *Livium*, qui mentionem ejus hinc inde facit, *Plinius* quoque docet, quomodo *lege Censoria de numero metallicorum hominum, ne nimis multi ad aurifodinas adhiberentur, constitutum fuerit.* De *vectigalibus* ait *Cicero*: *ea in conspectu populi locanda fuisse censoribus.* Idem alibi quoque passim, *in Verrinis* præsertim, horum talium mentionem facit. Rem totam copiosissime exequitur *Lazius de Republ. Rom. II, 12.*

II, 9.
IV. de Republica.
XXIV, 18.
Hist. Nat. XXIII, 4.
I. de lege Agraria contra Rullum.

Cum *Muneris* sui amplitudine *Censura* jam esset insignis, atque per se potens, quinquennalis insuper regiminis morâ nimium aucta credebatur: Inde non multo post tempore *Æmilius Dictator, seu nimiam potestatem ratus, seu diuturnitate offensus, censuram minuere paravit,* legemque dedit, *ne plus quàm annua ac semestris dehinc esset.* Postea, cum aliquando eo quinquennio, quo Julio, demortuo Censori, suffectus alius regimen Censuræ tenebat, Urbs caperetur, accessit superstitiosa religio, ne deinceps alius in demortui locum succederet. Collega insuper Magistratu se abdicabat. Attamen adversus utrumque istud institutum *Appius* multo post tempore, & solus, & ultra constitutum tempus censuram gerere aggressus est, etiamsi quàm vehementissimè ipsi resisteretur. Sed & de cætero magna fuit Censorum potestas, eaque in dies crevit, adeò, ut pro arbitrio suo, & sine ullius interventu, quandocunque voluerunt, & in quoscunque, munus exercerent: quod in universum testatur Dio: ἐκ δὲ τιμητεύειν τοὺς βίους καὶ τρόπους ἡμῶν ἐξετάζουσι, καὶ ἀπογραφὰς ποιοῦνται. καὶ τοὺς μὲν καταλέγουσι, καὶ ἐς τὴν ἱππάδα καὶ ἐς τὸ βουλευτικὸν, τοὺς δὲ καὶ ἀπολείφουσιν, ὅπως ἂν αὐτοῖς δόξῃ. Itaque *potestatem* vocat *regiam Censorum Cicero.* Pertinentque huc ex nominatis supra *Gellio* atque *Valerio* ea potissimùm documenta, quibus censorii styli asperitas maximè dignoscitur. Itemque locus *Livij,* ubi *quatuor & triginta tribus ærarios reliquisse Censor*

Livius IV, 24.
V, 31.
IX, 34.
lib. LIII.
pro Cluentio.
XXIX, 37.
XXXIV, 43.

Censor scribitur. Duravit ista Censorum potestas *per integros quadringentos annos*, teste *Cicerone.* qui idem *à Clodio* eam sublatam esse notat, ita ut lex ferretur, *ne quem Censores senatu ejicerent, neve qua ignominia afficerent, nisi antea apud Tribunos accusatus & eorum sententia damnatus esset.* Consentit *Dio Cassius,* insuperque docet, *à Metello deinde Scipione pristinæ authoritati restitutos Censores, statutaq; Clodij abrogata esse.*

in Pisonem.

lib. XXXIIX. lib. XL.

Ubi verò ad *Cæsares* Reipubl. moderamen transiit, varia cœpit esse *Censuræ* forma atque anceps: Imperatoribus subinde hunc honorem sibi vindicantibus, diverso quamvis eventu modoque. Itaque cum hactenus *à Censoribus* in *Campo Martio* fieri census consuevisset, *Julius Cæsar vicatim per dominos Insularum censuram peragere* orsus est, docente *Suetonio:* qui propterea *recensum,* quàm *Censum* vocare maluit, quod *nec more, nec loco solito fieret.* Per insulas autem intelligi h.l. *ædes locatitias,* notavit *Casaubonus ad Sueton.* qui omninò videndus. Ipse deinde *Augustus morum legumq; regimen suscepit*: sed sine censuræ honore; nihilominus enim ex veteri instituto creavit censores *P. Æmilium Lepidum & Munatium Plancum,* qui postremi è privatis fuere Censores: id quod ex omine nosci potuit: nam *prima statim die, cum tribunal conscenderent, corruit, nec post illos similes sunt creati.* Sublatis itaque Censoribus, Augustus primum per Provincias mittere instituit dictos *Censitores,* qui bona subditorum describerent, inque tabulas censuales referrent. Cujus rei exempla mox sequuntur. Postea *Claudius* veterem *Censuræ* formam restituere molitus, cum multa ad pristinam *Censorum* speciem egisset, *omnia tamen impotenter ac præter morem,* teste *Suetonio* ea de re prolixius disserente. Longo post tempore idem fecit *Domitianus*: *per totam suam vitam censuram usurpans*: uti *Dio* testatur. qui tamen suis temporibus gestam esse censuram ab Imperatoribus amplius notat, ut *non nisi in ipso censu agendo Magistratûs ejus nomen præferrent.* Atque ex hujus muneris censorii ratione docet *Wolffg. Lazius,* Imperatores Romanos VOTORUM QUINQUENNALIUM & DECENNALIUM memoriam in Nummis suis consecrasse: Eodemque referendas putat usitatissimas Nummorum Inscriptiones; SALUS POPULI, VOTIS PUBLICIS. Adducto in eam

in Julio Cæsare 41.

Suetonius in Augusto 27. in eodem 37. Dio lib. LIV.

in Claudio 16. Lib. LII.

de Rep. Rom. II, 12.

eam rem memorabili *Suetonij* teſtimonio: ex quo rationem etiam arceſſit, quare in Nummis Cæſarum Romanorum tam frequenter occurrat AQUILA SUPER ORBEM STANS EXPANSIS ALIS. *pag. 228.*

CAPUT II.

Cenſus Auguſti: Evangeliſtæ teſtimonium: ex Archivis Pop. Rom. contra Gentiles confirmatum. Breviarium Imperij ab Auguſto confectum. Agrorum diviſio à Cenſu diſtincta, Suidæ de Cenſu Auguſteo loca: Οἰκουμένη apud Evangeliſtam quid notet?

EXiis, quæ ſummatim hactenus de Cenſu Pop. Rom. annotavimus, haud exiguum his, quæ de CENSU AUGUSTI deinceps conſignabuntur, lumen accedere exiſtimandum eſt. Licet autem aliquoties ab Auguſto Romæ cenſum actum eſſe conſtet; in hujus tamen diſſertationis argumentum ſingillatim deducere non conſtituimus, niſi cenſum illum primarium maximeque eximium, quo univerſum Imperium Romanum Auguſti auſpiciis, & Judæa quidem Cyrenii ductu deſcripta eſt. Teſtis rei, profanis Scriptoribus ferè intactæ, D. LUCAS notiſſimo Evangelii loco: *II, 1.2.3.* Ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Καὶ ἐπορεύοντο πάντες ἀπογράφεσθαι, ἕκαστος εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν. Quod teſtimonium inter Chriſtianos quidem indubia Divinæ veritatis fide nixum; quatenus à Viro probo, quique res, quas memorat, vel ipſe vidit, vel ab iis accepit, qui oculati rerum teſtes fuerant, profectum eſt, univerſale etiam apud non Chriſtianos pondus habet. *Grot. de Ver. Rel. Chr. III, 5. Luc. I, 2.* Inſuper verò plerique, è veteribus Eccleſiæ Doctoribus, in probanda adverſus Paganos Meſſiæ nativitate, ſolidiſſima argumentatione provocant ad *Archivum Romanum*, inque eo repoſitas tabulas cenſuales. Juſtinus, *Philoſophus* & deinde *Martyr, Apologia ſecunda pro Chriſtianis adverſus Antoninum Pium* ait: μαθεῖν δύνασθε ἐκ τῶν ἀπογραφῶν τῶν γενομένων ἐπὶ Κυρηνίου.

IV adversus Marcionem. Et qui post illum vixit, *Tertullianus*: de *Censu deniq; Augusti, quem testem fidelissimum Nativitatis Dominicæ Romana Archiva custodiunt.* Sed & *Johannes Chrysostomus Archiepiscopus Constantinopolitanus*: ὅθεν δῆλον, inquit, ὅτι κατὰ τὴν πρώτην ἀπογραφὴν ἐτέχθη· καὶ τοῖς ἀρχαίοις, τοῖς δημοσίᾳ κειμένοις κώδιξιν, ἐπὶ τῆς Ῥώμης ἔξεστιν ἐντυχόντα καὶ τὸν καιρὸν τῆς γραφῆς μαθόντα ἀκριβῶς εἰδέναι τὸν βουλόμενον. Quibus in locis, quod de *Censu Augusti in Romanis Archivis custodito Tertullianus*, *Johan. Chrysostomus* autem περὶ τῶν ἀρχαίων τῶν δημοσίᾳ κειμένων κωδίκων habet, illustrari potest, tum ex iis, quæ supra jam de *Tabulario publico* tradita sunt; tum ex erudita annotatione *Nicolai Rigaltii* de *Sanctuario Cæsaris* & *Tabulario Censuali*: in *obs. & Not. ad Scr. Fin. Regund. ad p.19. & 201.*

Neque dubitaverim, *tabulas* hujus census præcipuam partem
Tac. An. I,11,8. constituisse illiûs apparatus, ex quo Augustus *Breviarium* sive *Rationarium* Imperii confecit. Indicio est argumentum ejus libelli. *Opes enim publicæ continebantur, quantum civium sociorumq; in armis: quot classes, regna, provinciæ, tributa, aut vectigalia*
Aug. c.101. *& necessitates, ac largitiones.* Sive, ut *Suetonius* exprimit, *quantum militum sub signis ubiq; esset, quantum in ærario, & fiscis & ve-*
LVI. p.677. *ctigaliorum residuis.* *Dio* ita complectitur: τά τε τῶν στρατιωτῶν καὶ τὰ τῶν προσόδων, τῶν τε ἀναλωμάτων τῶν δημοσίων, τό τε πλῆθος τῶν ἐν τοῖς θησαυροῖς χρημάτων, καὶ ὅσα ἄλλα τοιουτότροπα ἐς τὴν ἡγεμονείαν φέροντα ἦν, εἶχε. Quale Instrumentum concinnari, nisi præcedente universali Imperii Censu, vix potuit.

Eidem instituto haud dubie inservierunt aliæ Imperii universi descriptiones dimensionesque, quas sub Augusto institutas esse constat. Quæ tamen cum *Censu* nostro confundi non
Var. III,52. debent: uti videtur fecisse *Cassiodorus* his verbis: *Augusti temporibus Orbis Romanus agris divisus, censuq; descriptus est, ut possessio sua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum susceperat quantitate solvenda.* Verum enim verò aliud utique *Census* fuit, aliud agro-
de Colon. p.90. rum divisio. De hac plenius refert *Frontinus*: *Addendæ sunt mensuræ Limitum & terminorum, ex libris Augusti & Neronis Cæsarum: sed & Balbi mensoris, qui temporibus Augusti omnium provinciarum formas & civitatum mensuras compertas in commentarios*
in Front. de Lim. Agr. p.65. *contulit. & legem Agrariam per universitatem provinciarum distinxit ac declaravit.* Eodem *Aggenus Urbicus* respexit: *Videamus, ne forte*

jussu Principis alicui datus sit, qui terram metiri denuo præceperit, sicut Cæsaris Augusti temporibus factum est. Add. *Hygen. de Limit. const. p.* 170. De Geographica orbis descriptione, *vid. Casaub. ad Appar. Baron. Ex. I,* 33.

Censum Augusteum duobus potissimum in locis describit *Suidas*: primo in voce Ἀπογραφή. ὁ δὲ Καῖσαρ Αὔγουστος ὁ μοναρχήσας, εἴκοσιν ἄνδρας τοὺς ἀρίστους τὸν βίον καὶ τὸν τρόπον ἐπιλεξάμενος, ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν τῶν ὑπηκόων ἐξέπεμψε. δι' ὧν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο τῶν τε ἀνθρώπων καὶ τῶν οὐσιῶν, αὐτάρκη τινὰ προστάξας τῷ δημοσίῳ μοῖραν ἐκ τούτων εἰσφέρεσθαι. αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο, τῶν πρὸ αὐτοῦ τοὺς κεκτημένους τι μὴ ἀφαιρουμένων. ὡς εἶναι τοῖς εὐπόροις δημόσιον ἔγκλημα τὸν πλοῦτον. Deinde in Αὔγουστος. ὅτι Αὔγουστος Καῖσαρ δόξαν αὐτῷ, πάντας τοὺς οἰκήτορας Ῥωμαίων κατὰ πρόσωπον ἀριθμεῖ. βουλόμενος γνῶναι πόσον ἐστὶ πλῆθος, καὶ εὑρίσκονται οἱ τὴν Ῥωμαίων οἰκοῦντες υι μυριάδες σχίλιοι ιζ ἄνδρες. Verum in posteriori hoc loco præclarè jam notavit *Casaubonus*, nimis exiguum numerum exhiberi, quam ut universalis totius Imperii descriptio designata dici queat: Ideoque ad unam potius ex descriptionibus civium Romanorum referri debere, quarum mentio fit in *Lapide Ancyrano*: quanquam à numeris ibi quoque notatis *Suidas* discrepet. Sicut ab *Eusebiano* etiam calculo; unde tamen hausisse sua *Suidam* eruditi conjiciunt.

Exerc. ad Baron. Appar. I, 23.

Casaubon. Not. ad. Suet. Aug. in fin.

In priori Annotatione vocem generaliorem τῆς οἰκουμένης, quâ Evangelista utitur, restringit *Suidas* ad τὴν γῆν τῶν ὑπηκόων *terram subditorum.* Et sanè admodum se ridendos præbuerunt, qui hæreticos pronuntiare instituerunt, si qui Romanum Imperatorem mundi dominum esse negarent: eò quod in sacris Literis Imperium Romanum appelletur τῆς οἰκουμένης nomine. Cum expeditum satis manifestumque sit, Evangelistam κυρίως sive per excellentiam, Imperium Romanum, tanquam meliorem mundi partem οἰκουμένην nominare. Simili fere instituto, quo Philo Judæus in *Legatione ad Cajum* scribit: τῶν πλείστων καὶ ἀναγκαιοτάτων μερῶν τῆς οἰκουμένης, ἃ δὴ καὶ κυρίως ἄν τις οἰκουμένην εἴποι, δυσὶ ποταμοῖς ὁριζομένην Εὐφράτῃ τε καὶ Ῥήνῳ. Nota præterea est *Hieronymi* admonitio: *Nomen terræ, etiam cum additur particula* omnis, *restringi debet ad eam regionem de qua sermo est.* Unde tamen nolim cum *aliquibus* asserere, in loco nostro Ju-

Chr. Gr. p.76. & ib. Scal.

 dæam

Grot. de J. B. & P. II, 22, 13. dæam præcisè τῆς οἰκυμένης nomine denotari. Neque *Grotij* extra dubium positam observationem existimo: *Urbem Hierosolymam in medio telluris sitam, Judæis ideò dici, quod in medio Judææ sita esset: vel Delphos Umbilicum telluris vocatos, quia in medio Græciæ.* Vid. *Selden. de Jur. Nat. & Gent. sec. disc. Hebr. libr. III. cap. 11. pag. 346. & 347.* De Romanorum Scriptorum testimoniis, quibus per ingentem excessum, Imperio Romano, universi orbis terrarum vel totius humani generis elogium tribuerunt, vid. *Freinsh. ad Flor. IV, 3, 8. Gothofr. ad L. ἀξίωσις 9. D. ad L. Rhodiam de Jactu. Arnis. de Jur. Maj. I, 2. Conring. de Imperatore Romano Germanico.*

CAPUT III.

Censum hunc Augusto rectè tribui, ostenditur. Quid de Eusebij loco, ejusq; versionibus dicendum. De Cyrenio. De Syriæ præsidum historia strictim nonnulla notantur. Quid Baronius in explicando Lucæ loco præstiterit. Ejus errores. Submoti ex Casaubono. Aliæ nonnullæ circa hanc rem sententiæ refutantur. Vera sententia authoritatibus adstruitur. Subnectuntur fundamenta. Josephi & Evangelistæ loca breviter conferuntur.

AUgusti Cæsaris authoritate, hujus quicquid est negocii, peractum esse, ii qui hactenus adducti sunt Scriptores, dum *Augusti* nomini id unicè tribuunt, penitus certum reddunt. Itaque quid de loco *Eusebij* huc pertinente dici debeat, nonnihil dispiciendum: Chron. lib. II. Κυρήνιος, inquit ille, ἀπὸ τῆς συγκλήτου βουλῆς σταλεὶς εἰς τὴν Ἰουδαίαν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο τῶν οὐσιῶν καὶ τῶν οἰκητόρων. Vertit *Hieronymus*: *Quirinus ex Consilio-Senatus in Judæam missus, censum hominum possessionumq; describit*; exhibente ita *Josepho Scaligero in Animadversionibus ad Annum MMXVI.* Qui interim aliam quarundam editionum lectionem haud occultat: *Edicente Cæsare ex Senatus-Consulto Cyrenius missus est &c.* Sed ut quilibet videt, sunt illa priora additamenta potius, quàm *Eusebij* versio; quæ verò sequuntur, falsa. Neque enim ex *Senatus-Consulto*, sed

sed ἐκ διατάγματος Cæsaris missus est. *Not. Scaligero.* Nimirum cum Senatus-Consulta legis vim apud Romanos haberent (unde & *Senatus decreta, dogmata* passim dicuntur) certe juxta hanc versionem non potuit Augusti Decreto mitti *Cyrenius.* Nec quicquam ad rem faciet, si dicas: *fuisse Cæsarem executorem Senatus-Consulti, dum id promulgabat, edicebat*; quod illa: *edicente Cæsare,* velle videntur: nam Augustum, utpote penes quem summa rerum erat, Senatui potius præscripsisse, quàm ejus decreta executum dixerim. Senatûs quidem authoritatem, *qui ab antiquo Consilij publici Dominus erat,* haut extinxit; sed potius *ejus splendorem amplificavit,* unde & partem provinciarum à se devictarum ejus directioni permisit. Sed hæc & similia erant species duntaxat libertatis; *cum interim id ageretur; ut Imperij robur ad Cæsarem deferretur. Sæpè non discerneres ab more pristino gravitatem libertatemq; Senatoriam; verum quotiens majestatis intererat, rediit ad verum authorem, quicquid in Senatu authoritatis fuit,* inquit illustris *Bœclerus p.m.* An verò Senatus-Consultum idem hîc erit ac Consilium? nam posteaquam status popularis in principatum transiisset, nulla amplius Senatus-Consulti vis erat quàm consilii. At si βουλὴ idem hic est ac consilium, *Eusebio* dicendum fuerat: ἐκ βουλῆς *ex consilio.* Unde *Scaliger* ipse ὑπὸ συγκλήτου βουλῆς reddit: *à Senatu*: nam & alibi *Eusebius* istum loquendi morem usurpavit, & tàm conjunctim quàm separatim ea vocabula hinc inde apud alios Scriptores denotare solent Romanum Senatum. Hoc igitur nomine *Eusebius* hactenus à *Scaligero* castigatur.

Sueton. Augusto cap. 35. cap. 47.
Dio Cassius lib. 53.
Dissertat. in Octav. Caj. p 34.
IX. Hist. Eccles. 104.
Animadvers. ad ann MMXVI. in Tib. 49.

Cyrenij nomen, cujus in hoc Augusti censu mentio fit, diversimodè exprimitur. *Quirinius* apud *Onuphrium in Fastis,* & *Suetonium* legitur. Apud *Tacitum*: *Quirinius*; ad analogiam Græci Κυρήνιος, uti *Strabo* & *Josephus* scribunt. Varia de hoc ut operosè notarent Historici pariter atque SSæ *Exegetæ* insuper & Chronographi, latam præbuere occasionem ea, quæ *Lucas Evangelista* consignavit: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας τοῦ Κυρηνίου. *hæc descriptio prima facta est Præside Syriæ Cyrenio* (vertente *Erasmo.*)

Syriæ Regio, posteaquam à Pompejo Romanorum Imperio subjecta erat, suos, à quibus deinceps regeretur, *Præsides*

in Syriacis. nacta eſt, teſte *Appiano*, qui *Scaurum* à *Pompejo*, inde *Marcum*, *Philippum* alioſque dehinc præſides conſtitutos eſſe memorat. Deinde, ubi ſumma rerum Auguſto Imperatori delata eſt, ipſe facta Provinciarum diviſione, eas, quæ ſibi obtigerunt, juxta tenorem veteris inſtituti moderari perrexit, *præficiendo aliis Procuratores, Conſulares viros, aliis Prætorios, aliis homines ex Equeſtri*
Geographiæ lib. 17. in fine. *ordine.* teſte *Strabone*. Itaque *Syriæ* quoque deſtinavit tales *Præſides*, qui ἡγέμονες propriè dicebantur; ἐπιστάται, item δικαιοδόται. Addebantur his alii minoris authoritatis, qui partem provinciæ ſuſcipiebant, dicti *Procuratores*, ex ordine potiſſimum equeſtri electi; itaque primum in Judæa *Procuratorem Coponium*
Ἀρχαιολογίας XIIX, 1. ἄνδρα τάγματος τῶν ἱππέων *virum ordinis equeſtris Joſephus* vocat: quamquam & ex genere libertinorum aſſumptos eſſe, *Dio* ſcri-
lib. LIII. bat. Præſides verò utplurimum erant viri Conſulares. De priori quidem Magiſtratûs genere, hoc eſt, de Præſidibus, *Evangeliſtæ*, dum *Cyrenij* meminit, ſermonem eſſe, haut abſque ratione quis exiſtimaverit, ſi reputet, Hiſtoricis ſolenne eſſe, expreſſis majorum magiſtratuum nominibus tempora rerum geſtarum ſignare. Verumenimvero *Joſephus*, ſupra laudatus, poſt obitum Herodis, relegatumque Archelaum, hoc eſt, diu poſt natum Chriſtum, in Syriam miſſum eſſe Cyrenium, teſtatur *l.c.* alium autem Præſidem in Syria tempore hujus cenſus fuiſſe, & ex Joſepho & aliunde, ut mox apparebit, demonſtratu facillimum eſt. Hinc prodit ſe difficultas, quam eruditi Viri diverſa ratione excutere pridem aggreſſi ſunt. *Lucæ* quidem fidem in dubium vocare nefas impiumque Chriſtianus merito cenſeat: at accuratum de cætero Scriptorem, *Joſephum* Gentis ſuæ Magiſtratus ex memoria tam recenti, ignoraſſe, quis abſque ingenti ratione aſſerat? Haut igitur præter rem collocaverunt operam ſuam, qui de conciliandis iſtis locis ſolliciti fuerunt, quamvis diverſo prorſus ſucceſſu. *Cæſar Baronius*, ut certum faceret, tempore Chriſti naſcentis, hoc eſt, cum Auguſtus hunc cenſum ageret, Syriæ præſidem Quirinium fuiſſe, ab *Herode* uſque ad finem Auguſti Syriæ Præſides enumerare inſtituit: ſed quo
Ex l. Nû. XXX. ſucceſſu, monſtravit *Iſaacus Caſaubonus in Apparatu Baroniano.* qui altius aſcendens, à Pompejo Hiſtoriam Syriæ Præſidum repetit.

De

De primo itaque Cyrenii in Syria Magiſtratu poſt Agrippam geſto conjiciendi occaſionem ſumpſit ex *Tacito Annal. III.* 48,3. ubi *mox poſt Conſulatum, ſub divo Auguſto, expugnatis per Ciliciam Homonadenſium caſtellis, inſignia triumphi Quirinum adeptum eſſe* ait. Potuerat de eadem re conferre locum *Strabonis*: σοῦ δ' Ὁμοναδέας Κυρίνιος ἐξεπόρθησε λιμῷ καὶ τετρακισχιλίους ἄνδρας ἐζώγρησε, καὶ συνῴκησεν εἰς τὰς ἐγγὺς πόλεις, τὴν δὲ χώραν ἀπέλιπεν ἔρημον τῶν ἐν ἀκμῇ. *Dubium non eſt*, inquit *Baronius*: *illos conſueviſſe in provinciis bella gerere, qui iis præeſſent, Pro-Conſules ſive Præſides.* Cumque ab Imperatoribus uni ſubinde Rectori Syriam Ciliciamque commiſſam fuiſſe, certum ſit, haut abſque ſpecie idem hac quoque vice factum eſſe exiſtimat; unde cum A.U.C. DCCXXXI. Agrippa Præſes conſtitutus decennium præfuerit (teſte *Dione lib.LIV.*) *Quirinius* autem Anno DCCXLII. Conſulatum ſuſceperit; ut itidem *Dio* teſtatur l.c. & mox à Conſulatu, res in Cilicia, Syriæ juncta, geſſerit; haud dubius ſucceſſor *Agrippæ*, abſque ulteriori difficultate *à Baron.* conſtituitur; niſi quod *in unicum iſtum, qui ſupereſt, annum, quo Cyrenius in Conſulatu fuit, prorogatum fuiſſe Agrippæ regimen, ab eodem dicatur.* At tum iſta conjectura valida eſſet, niſi fortius in contrarium ſuppeteret argumentum; monſtrat enim perſpicuè *Caſaubonus*, ex *Joſepho* & *Strabone*: *Titium* Agrippæ ſucceſſiſſe. Neque, ſi aliquando *Syria & Cilicia* junctæ fuerunt, id hîc quoque divinare licet. Multò minus illud de prorogatione conſiſtere poteſt. vid. omninò *Caſaubonus*. Alteram Cyrenii præfecturam collocat poſt *Cajum Cæſarem*, quem *Sentij Saturnini* ſucceſſorem ante conſtituerat. Et hanc ab *Evangeliſta* deſignari, exiſtimat. At verò *Saturnino Quintilium Varum* in Provincia ſucceſſiſſe, *Joſephus* expreſſe docet. Cajum quidem Armeniam obtinuiſſe, *Tacitus* memorat: at non æquè ordinarium in Syria Magiſtratum geſſiſſe, profitetur. Quod, quamvis eſſet, nullum tamen amplius præſidium inde cauſæ Baronianæ ſperari poteſt; poſtquam *à Caſaubono*, & ante ipſum *Keplero Mathematico* inſigni ſolide demonſtratum eſt, Herode jam mortuo, & poſt Chriſtum demum natum, ad iter in Orientem ſe præparaſſe Cajum. Nam, cum Herode mortuo, Auguſtus, convocato Romæ Concilio, de cauſa filiorum Herodis cognoſceret; *hunc quoq; Cajum, Filium*

48, 3.

lib. XII.

pag. 123.

Antiquit. lib. 17. c. 7.

An. III. 48, 3.

Antiq. lib. 17. c.13. *Filium Agrippæ adoptivum Augusti Concilio interfuisse, Josephus* notat. Tertiam autem, veramque demum Quirinii præfecturam studio prætermittit; vel saltem dubitanter admittit: quam tamen expresse *Josephus* adstruit: lib.18. c.1. ab initio. Κυρήνιος δὲ τῶν εἰς τὴν βουλὴν συναγομένων τάς τε ἄλλας ἀρχὰς ἐπιτετελεκὼς, καὶ διὰ πασῶν ὁδεύσας, ὥστε ὕπατος γενέσθαι, τά τε ἄλλα ἀξιώματι μέγας σὺν ὀλίγοις, ἐπὶ Συρίας παρῆν ὑπὸ Καίσαρος δικαιοδότης τοῦ ἔθνους ἀπεσταλμένος καὶ τιμητὴς τῶν οὐσιῶν γενησόμενος. Est enim δικαιοδότης is, qui jura reddit; & de eo maxime usurpatur, qui primarium in provincia Regimen obtinet: quemadmodum apud Geograph. lib.III. *Strabonem ille, qui in Lusitaniam mitti solebat,* δικαιοδοτήσων vocatur. Estque hic ille *Josephi* locus, quem ad præsentem censum in *Ecclesiastica Historia* accommodavit *Eusebius*; *lib.I. c.6.* verum, cum hæc ad tempora post natum Christum pertineant, minus recte huc trahi potest.

Beza aliquando in *Annotat. suis ad Lucam,* cum nullo se negotio hîc expedire posset, ista verba: ἀπογραφὴ πρώτη &c. *in textum* irrepsisse, maluit, quàm historiam magis sollicite investigando commodius assertum producere; eam tamen conjecturam sequentibus deinde editionibus amplius extare, haut passus est. Itaque eo nomine modestè à *Casaubono* excusatur.

lib.I. cap. 48. *Abraham Scultetus*, in *Exercitationibus* suis *Evangelicis*, simplici *Lucæ* textui inhærendum, nec profanis, quotquot dissensûs saltem speciem præ se ferrent, mentem advertendam esse, pronuntiat.

Subtilius aliorum quorundam videtur institutum, qui ex voce πρώτη excutiendæ tantæ difficultati subsidium transsumpsere, explicando eam more quidem aliâs haud insolito, nimirum ita ut hunc sensum reddant: *Priusquam Cyrenius Syriæ Præses esset.* Refert eam sententiam *Casaubonus* l.c. additis exemplis ejus explicationis, ex *Athenæo & Chrysostomo ad Matthæum*; quibus junge apud *Johannem* cap. 1. ℣.15. πρῶτός μου ἦν *prior me erat, & cap.15. vers.18.* ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν, *me priusquam vos odio habuit.* Verùm ista interpretatio hoc inprimis incommodo premitur, quod secundariam, vocabuli πρῶτος, acceptionem citra veram necessitatem præfert. Insolitum insuper accuratis scriptoribus, *Lucæ* morem in tempore assignando affingit,

git, dum re multis post annis facta Augusti censum indigitare voluisse, supponit.

Unicum hactenus Eruditis Præsidium, in voce ἡγεμονεύοντος, superesse videas; quod sanè contemnendum non est. Nam ἡγεμονίας vocabulum, ἡγεμονεύω & ἡγέμων, quamquam superiori in Provinciis Magistratui potissimum à Græcis Scriptoribus tribui consueverit, ad alios tamen, & minores etiam Magistratus accommodari, idque intra ambitum propriæ significationis, passim observatur: apud *Josephum* inprimis, ubi tàm *Legati Procuratoresq;*, quam *Præsides* eo nomine insigniti leguntur, sed & *Matth. XXVII. vers.* 2. Pilatus ἡγέμων dicitur, qui tamen *Judææ* tantum fuit *Procurator*, ut adeò de quavis potestatis publicæ specie prædicatum hoc nomen censeri debeat. Et sicut de Magistratu ordinario, minori quoque, ἡγεμονίας vox enunciatur; ita extraordinarius imprimis, si æqua potestate vel etiam majori, etiamsi ad certas functiones restricta polleat, haud dubie per eandem recte describitur. Unde, Cyrenium ἡγεμονεύοντα, vocari ab Evangelista, censent, non quod ordinario Præsidis in Syria munere functus sit, sed quod extraordinario prorsus Imperio, ad faciendum in Provincia censum, ablegatus venerit. Neque ea res, ut quis mirari debeat, suo caret exemplo. sic enim Drusum quoque in Galliam missum esse, notavit *Livius*. Et Germanicum à Tiberio Galliarum censui destinatum, ait *Tacitus*. Hanc itaque sententiam amplexi sunt, (1.) *Josephus Scaliger*, (2.) *Gerardus Johannes Vossius*, (3.) *Dionysius Petavius*, (4.) *Georgius Calixtus*, (5.) *Isaacus Casaubonus*; quibus *Calvisium ad An.* 3947. *& Salianum in Appar.* 4052. (6.) addit *Author Hist. Eccles. Gothanæ*.

lib. CXXXIV.
Annal. I, 33.
(1.) *Animadversion. ad Euseb. num. MMXVI.*

Firmant autem hanc sententiam suam, jam post cæterarum examen ultro commendandam, gravissimis aliquot ex *Justino* & *Tertulliano* argumentis: quorum vim atque robur nihil aliud quam summatim ob oculos hîc ponere conabimur. *Justinus Philosophus & Martyr, in Apologia II. pro Christianis, Quirinium primum in Judæam missum esse Procuratorem*, expresse ait. Non potuit hic ad vulgare istud *Procuratorum*, seu Præsidum genus respicere, quos diu ante Cyrenium Augustus jam in Provincias

(2.) *Dissertat. de Annis JESU Christi, prima, in addendis ad num. 42.*
(3.) *Rationar. temp. part. 2. lib. 4. cap. 2. prim. num.*

(4.) *Concord. Evangel. lib. 1. cap. 8.* (5.) *Exercitat. ad Apparat. Baron. LXXXVII.* (6.) *lib. II. cap. 2. sect. 1.*

vincias misit; itaque de extraordinario potius Imperio, quo passim in Provincias ab Augusto mittebantur, qui census facerent aliaque curarent, hîc loqui censendus est: quod & ipse indicare videtur, in *Colloquio cum Tryphone Judaeo*, ubi *primum in Judaea censum sub Quirinio factum esse* ait. Tributa equidem jam ante Quirinium Romanos à Judaeis exegisse, certum est; at censendi rationem in Provinciis obtinuisse, non est cur quis existimet: potuerunt enim tributa exigi, etiamsi *libelli censuales* non conficerentur: quae duo tamen separare nescivit *Baronius*: eo igitur nomine à *Casaubono* denuò castigatur. Alter locus est *Tertulliani Presbyteri Carthaginensis*, qui *lib.IV. adversus Marcionem: census actos* ait, *sub Augusto per Sentium Saturninum*. Hunc *Saturninum* tempore nascentis Christi Syriae praefuisse *Titioq;* Viro Consulari successisse, patet ex *Josepho*. Inde parvo negocio quisque videt, *Tertullianum* maluisse *Saturninum*, tanquam ordinarium in Syria Magistratum, quàm extraordinarium designare in praesenti censu. Vocabulum autem *per* abusivè hîc adhibuisse simul manifestum est, non ut sit causae ministerialis indicium, quo sensu potius dixisset: *per Quirinium*: sed eo loquendi more, quo ea, quae alicubi geruntur, superiori ejus loci Magistratui tribuere Scriptores amant.

Apparat. num. LXXXVII. *Edit. Rhenani p. 280.* *Antiq. l. 16. c. 13.*

Itaque de *Josephi* testimonio, quemadmodum id cum S. Scr. veritate consistere possit, vix dubium superesse videtur, utpote cum pateat, prorsus alium à *Josepho* quàm à *Luca* censum designari, cujus tamen mentionem & ipse *Lucas Actor. V. vers. 37.* fecit. Inde est quod superius citati Authores vocabulum πρώτη ita accipiant ut dicant: *Lucam de duobus* in scriptis suis *censibus* differentem, priorem descriptionem haut immerito πρώτην, respectu ejus quae secuta est, vocasse. Quamquam etiam *prima* rectè dicatur *descriptio* sensu *Justini*, quem tamen prae altero Evangelistam respexisse ut quis existimet, ratio idonea non evincit.

CAPUT

Caput IV.

Institutum Augusti. Non fuisse lustralem hunc censum ostenditur. Scopus Imperatoris unde petendus. Augustus Censu suo universali Messiæ famulatur.

Quemadmodum autem Augustus per destinatos *Censitores* Provincias suas censere aggressus, novum quid quoad hanc partem orsus est, ita in ipsa quoque census peragendi ratione, non tàm ad majorum suorum morem, quam populorum quos censebat consuetudinem respexisse videtur. Nam juxta veterem Romani moris tenorem, non tam ex origine quam ex habitatione subditi censebantur. *Cum enim aliquando instituto censu civium Romanorum, ingens sociorum Latini nominis Romæ numerus existeret, ex edicto Claudij Cos. redire in civitates, ne quis eorum Romæ, sed omnes in suis civitatibus censerentur, jussi sunt.* Cujus rei ratio haut obscura esse potest, si quis *Ciceronis pro Archia* disputationem, *quâ quisq; ex censûs tabulis civis arguitur,* conferat. Huc pertinet, quod *Ulpianus agros in ea civitate censeri debere* ait, *in qua sunt.* addit rationem: quia *agri tributum in ea civitate levari debet, in cujus territorio possidetur.* Hæc ita ex Romana ordinatione; At in hoc censu *Josephus,* è *Civitate Nazareth in Bethlehem Civitatem David, se contulisse* dicitur ab *Evangelista,* eam ob rationem: quod esset de domo & Familia David. Haud dubiè juxta legem illam, quam summus Legislator Judæis per *Mosen* dedit, *Num. I. vers. 2. seqq. Tollite summam universæ congregationis Filiorum Israël* per Cognationes Et Domos Suas. Nimirum cum ex lege ista Divina, quotiens Judaici populi census instituebatur, ritus atque censualis forma dependeret, *Josephus* indicto ab Augusto censu, legis istius memor, *è sua civitate, Bethlehemum* utpote *stirpis suæ cognationisq; domum* describendum se contulit.

Livius XLII, 10.

L. III. D. de censibus.

Cæterùm hanc rem ita evenisse, non tam Augusti consilio Judæis speciem libertatis relicturi; quàm Divinæ Providentiæ adscribi debet, quæ in implenda & repræsentanda Prophetiarum veritate operosa erat. Itaque cum à Divino Vate Messianæ nativitatis locus prædictus esset, *Mich. V. vers. 1.* Divinum

in executione Numen ordinavit media. Cujus diſpoſitio uberius ex eo apparet, quod negocium hoc non ad ordinarium iſtud cenſus luſtralis, qui ſingulis luſtris peragi conſuevit, genus inſtitutum eſt; quod tamen *Baronius* arbitratur. [*Apparat. nũ. XCIII.*] At verò nuſpiam mentio fit luſtri, natali Anno Chriſti Romæ acti. Tria memorat ipſe Auguſtus luſtra, quorum primum condidiſſe ſe profitetur, *in ſexto Conſulatu cum Agrippa*; [*in Monumento Ancyrano,*] Alterum vero *Aſinio Conſule*, quæ Chriſti tempora multum antecelſerunt. Tertium, poſteaquam Auguſtus Tiberium in Imperii ſocium ſuſcepiſſet: *Pompejo & Apulejo Coſſ.* hoc eſt, diu poſt natum Chriſtum, ut patet ex *Scaligeri Animadverſ. num. 989. & 2028.* Præter iſta nullius uſquam luſtri mentio fit. Quod cum ita ſit, quomodo itaque luſtralis iſta in Judæa deſcriptio dici poteſt?

Quid? quod præcipuum in cenſu luſtrali momentum erat tributi exactio; [*De LL. V.*] inde enim *Varro luſtrum* dictum, ait, à *luendo*, quod quinto quoque anno vectigalia & tributa Cenſoribus luebantur. At in præſenti cenſu quicquam exactum eſſe, demonſtratu difficillimum foret. Nam quod ad *Numiſma cenſûs* attinet, cujus apud *Evangeliſtas* fit mentio, ex eo quidem perſpicuum eſt, Judæos, etiam cum Reges haberent, cenſum Romanis perſolviſſe, poteſtque hac de re videri *Seldeni* annotatio ex [*De J. N. & G. ſec. Diſc. Hebr. VI, 17.*] *Marquardi Freheri* libello de *Numiſmate Cenſûs*. Id tamen in hoc Auguſti *Cenſu* quoque *factum* eſſe neutiquam conſequitur; utpote cum jam multo antea tempore cenſum ſolverint. *Iſidori* [*Orig. V, 36.*] ſententiæ; *qui, Eram ſingulorum annorum conſtitutam eſſe à Cæſare Auguſto*, putat, *quando primum cenſum exegit ac Romanum orbem deſcripſit, ex eo nimirum quod* omnis orbis Æs reddere profeſſus ſit Reip. occurrit *Voſſius in Etymologico.* [*voc. Aera.*]

Inſuperque ea ſententia à ſcopo Imperatoris penitus abhorret. Equidem *Suidas*, [*In voce ἀπογραφή.*] *Auguſtum edixiſſe*, ſcribit, *ut inde* (ex cenſu hoc) *juſtam in ærarium partem ferrent.* Sed huic opponenda ſunt ea, quæ *Claudius* ipſe *Cenſor* coram ſolenni Senatu profeſſus eſt, [*Fragment. Lugdun. pag. 2.*] *Galli*, inquit, *Patri meo Druſo Germaniam ſubigenti tutam quiete ſua ſecuramq; à tergo pacem præſtiterunt, & quidem cum à cenſu novo tum opere & inadſueto Galliis ad bellum avocatus eſſet, quod opus quàm arduum ſit nobis, nunc cum maximè, quamvis nihil ultra, quàm ut publicè notæ ſint facultates noſtræ, exquiratur, nimis magno*

magno experimento cognoscimus. De orbis (Romani) descriptione ab Augusto imperata eam affert causam *Cassiodorus*: *Cùm ob bella civilia immensis universus orbis afflictatus cladibus esset, ipsaq; rerum dominia haberentur incerta, his prospicere curasse Augustum.* Aliam adfert *Carolus Sigonius*: *quòd cùm Augustus vectigalia omnia Provinciarum sustulisset, tributa ordinaria instituerit, alia in agros, alia in capita: itaq; censum in toto Imperij Romani orbe indixerit, ut capitum fortunarumq; summam, quæ in Imperio essent, cognosceret.* Aliàs, si mens Augusti ex amplitudine censualis negocii utilitatis æstimari debeat, haud dubiè plures præter allatas cumulari poterunt rationes. III. variar. 52. De Rep. Hebr. V, 18.

Pertinentque huc magnifica Scriptorum elogia, quibus census passim commendatur, ob varias utilitates; exempla insuper illustrium Rerumpublicarum, velut *Atheniensium*; De quorum institutis censualibus vid. *Plutarchus, Suidas.* Add. Orationem integram *Demosthenis* περὶ συμμοριῶν; quæque ex *Budæo, Erasmo*, aliisque in eam rem collecta sunt. Sed & *Hebræorum.* Confer. *Sigonius.* In universum autem Census utilitates ejusque temperamenta recenset *Lipsius IV. pol.* 11. *num.* 107. *seqq.* Et quod huc inprimis spectat, de *Notitia Imperij*, occasione *Libelli Augustei*, apud *Tacitum*, prolixè disserit *Bœclerus p.m.* in Solone voc. ἱππάς. Ex. XXX. vers. 12. Commentat. in Hist. Sac. Sulpic. Lib. I. p. 801. Ad An. I, 11. p. 392.

At si quis ex Sanctiori, hoc est, veriori disciplina totius rei characterem consignare velit, Providentiæ Divinæ, quicquid hîc ab Augusto fuit actum, unicè tribuendum erit. Illa profectò est, quæ Augustum compulit, ut nobile opus, *orbis descriptionem*, susciperet. Debuerat enim tempore Messiæ penitus alienari Sceptrum Judæ: idque vix potuerat nobiliore argumento universo orbi innotescere. Sed & Heros recens natus obscuro quamvis loco celebrem hoc nomine reddidit nativitatem suam: quod Urbis tam longè lateque Dominæ albo se passus est designari. Nam *Romano censui, statim ut natus, adscriptus est: dicendus utiq; civis Romanus census Romani professione*, inquit *Orosius*. In eo utique Divinum se manifestare consilium apertissime cognoscitur, quod Augustum Imperatorem & Monarcham venturo in terram Messiæ hospitium veluti suo censu describere jussit. Et hoc est, quod ex antiqua Pietate *Johannes Chrysostomus* miratur: *Ipse etiam*, inquit, *Augustus edicto de* VI. cap. ult. Homilia 8. in Matthæum.

censu promulgato, Partui inservit edendo in Bethlehem. Cui testimonio alia passim apud veteres Theologos similia occurrunt.

ΠΑΡΕΡΓΑ,

I.

PLutarchus in comparatione *Crassi & Niciæ* scribit: *Finito bello, quod cum Ariovisto Cæsar gessit, Catonem censuisse, Cæsarem victis Germanis esse dedendum, ut ipse violati fœderis scelus expiaret: Populum verò Romanum, explosâ Catonis sententia, XV. dierum supplicationem summâ cum lætitia egisse.* In hoc exemplo
de J. B. I, 3, 5. pronuntiat *Grotius*: *Germanos quidem non habuisse jus deditionem postulandi: sed populo Romano puniendi Cæsarem jus competiisse.* Nobis contra videtur: *Populum Romanum jus puniendi Cæsarem non habuisse; sed Germanis competiisse jus deditionem postulandi.*

II.

Laudat ex *Diodoro Siculo* & *Dione Prusæensi* Grotius *Herculem*: quod *homines injustos & Reges insolentes tollendo beatas reddiderit civitates; orbem obierit pœnas de iniquis expetens; Homines malos punierit & superborum regna destruxerit, aut in alios*
de Mag. Pol. §. 410. *transtulerit.* Nos cùm *Gerhardo* asserimus: Bella contra Populos Liberos solo *puniendorum scelerum* titulo suscepta, in censum illorum bellorum referenda esse, quæ apud
de C. D. IV, 6. *Augustinum magna latrocinia* nominantur.

III.

de J. B. II, 26, 4. contr. Faust. XXII, 75. vid. Gerh. de Mag. Pol. §. 399. Verissimum judicamus (quicquid in contrarium disserat *Grotius*) *Augustini* pronuntiatum: *Virum justum, si forte sub Rege, homine etiam sacrilego militet, rectè posse illo jubente bellare, cui quod jubetur, vel non esse contra DEI præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est: ita ut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ratio serviendi.*

IV. Sicut

IV.

Sicut in pace, ita in bello quoque nihil intereſt, utrum ipſe ſcelus admittas, an alium propter te admittere velis. Vid. *Grot. de J. B. III, 1, 21. III, 4. 18.*

V.

Sæpe diſceptari poſt prælium videas, cui parti victoria ſit adſcribenda: Extantque apud Hiſtoricos paſſim varia in eam rem argumenta: Apud *Plutarchum more atq; inſtituto receptum* dicitur, *ut qui mortuos peterent ad ſepulturam, ij cenſerentur à ſe abdicaſſe victoriam; nec jus haberent trophæi figendi.* De Romanis & Celtiberis ita judicat *Livius*: *Incerta victoria diſceſſum, niſi quod Celtiberi caſtra inde nocte proxima moverunt: Romanis & ſuos ſepeliendi & ſpolia legendi ex hoſtibus poteſtas facta eſt.* Alibi alia referuntur victoriæ ſigna: veluti, ſubſiſtere in prælii loco, pugnâ denuo laceſſere &c. Sed nec hæc nec iſta, ut poſt *Albericum Gentilem* pronuntiat *Grotius*, per ſe quicquam probant, niſi quatenus cum aliis indiciis valent ad docendam hoſtium fugam.

In vit. Niciæ. XXXIX. *de J. B. III, 25.* *de J. B. III, 20, 45.*

VI.

Etſi ponas cum *Pufendorfio*: *Nullos actus in ſe eſſe debitos aut illicitos, antequam per leges tales fiant*: non tamen corruet *Platonis*, *Anaxarchi* aliorumque diſtinctio: *quædam juſta eſſe, quia DEUS velit; quædam DEUM velle, quia juſta ſunt.*

de J. N. & G. II, 3, 4.

DISSERTATIO



DISSERTATIO X.

DE RESERVATO ECCLESIASTICO,

vom

Geistlichen Vorbehalt.

Resp. Joh. Jacobo Saltzmanno, die 1. Julii 1675.

CONtroversia de hoc argumento ante cxx. annos in Germania nostra excitata, maximorum quorumque motuum ab illo tempore pars, vel causa fuit: cum quibus hoc demum seculo, composita Westphalica Pace, consedit.

Nata inter medios tranquillitatis stabiliendæ conatus dissidii origo, haud exigui temporis momentive moram iis intulit. Nam cum anno LV. seculi superioris in Comitiis Imperii, Augustæ Vindelicorum institutis, in id denique, reclamantibus frustra nonnullis, conventum esset, ut Pax inter Ordines in Religione dissidentes firma & stabilis sanciretur; eaque res, ex more consultationum publicarum, in singulis Ordinum Collegiis seorsim tractaretur; Electorale quidem Collegium in talem formulam futuræ pacis consensit, quâ inter cætera generaliter cavebatur: *ut deinceps nullum Statum, Augustanam Confessionem amplexum, vi, vel alio quovis modo, contra voluntatem suam ac conscientiam, à religione fideve, statutis deniq; ac ritibus Ecclesiasticis, quos vel instituissent, vel* INSTITUTURI IMPOSTERUM ESSENT, *depellere, bellumve eo nomine cuiquam vel detrimentum ullum aut contumeliam inferre liceret.* In Principum vero Collegio, initio statim inde disceptandi occasio orta est, quod inter illos, qui *Deputati* ad hoc erant, ut ineundæ pacis formulam concinnarent, quidam Catholicæ Religioni addicti libertatem mutandæ imposterum Religionis *Ecclesiastico Ordini* ademptam, ad *Seculares* Status

Sleid. lib. XXVI.

Acta apud Lehmann. lib. 1. c. 4.

Invidiam suscitatæ litis hujus in Status Augustanæ Confessionis devolvere *conantur Jesuitæ Colonienses in Auton. Burckardiana p. 1. c. 4. p. 12. & Dillingenses in Compos. Pac. c. 7. q. 51. n. 1. Conf. Paurmeisterum, d. Jurisd. lib. 2. c. 2. n. 66. Acta apud Lehm. lib. 1. c. 6.*

Status restringendam; sanciendumque contenderunt, & in eo quidem congressu pervicerunt: *Si quis* SECULARIUM *Electorum vel Statuum, interim, donec dissidium religionis componeretur, antiquæ religioni, vel Confessioni Augustanæ se addiceret, ne id aliter, quam citra pacis contrahendæ præjudicium facere liceret.* addito insuper: *hanc pacem ad ea extendi non debere, quæ Ecclesiastici Ordinis obligationi & officio repugnarent.* Quamprimum enim ad universum Principum Senatum hæc formula relata est; ut restrictionibus hisce obicem ponerent, petierunt Augustanæ Confessionis Status, ut omissis, quæ *de Obligatione & officio Ordinis Ecclesiastici* in formula Deputatorum adjecta erant, Pacis tabulis loco idoneo hoc caput insereretur: *si quis Electorum vel Statuum, interea, donec dissidium religionis penitus componeretur, Antiquæ Religioni vel Augustanæ Confessioni se addiceret, ut hi, qui ad hos, vel ad illos ritus accessissent, omnium participes compotesve haberentur, quæ in Constitutione Pacis de hujus vel illius religionis consortibus sancita essent.* Addiderunt tamen: *se obtinendæ Pacis & concordiæ causâ, ab hac intentione, cui tantopere videant Ecclesiasticos Ordines adversari, sponte recessuros, si cōmuni Statuum consensu, Ecclesiastica Jurisdictio, in externis & Secularium Statuum territoriis, usq; ad plenam compositionem dissidiorum in religione, suspenderetur; eaq; res in alteram partem Legum Cameralium referretur.* Mansit contentio in *correlatione*, ut vocant, cum Electorali Collegio instituta; cujus formulam sententiæ suæ Catholici Status ita attemperarunt, ut initio quidem generali verborum conceptioni *de Statibus ob Augustanam Confessionem, neq; quoad institutas, neq; quoad instituendas imposterum ceremonias ritusve Ecclesiasticos turbandis*, locum relinquerent; in fine autem annecterent clausulam, *qua obstringi iis Pacis capitibus abnuebant, quæ cum Ecclesiasticorum Statuum officio ac fide pugnarent.* A Secularibus vero & Augustanæ Confessioni addictis Statibus, detractâ hac Catholicorum Statuum clausulâ, generalis Electoralis Senatus formula, quantum ad hoc caput attinebat, est retenta: nisi quod illorum verborum loco; *ut deinceps nullum Statum Augustanam Confessionem amplexum &c.* exhiberi petebant: *ut deinceps nullum Statum* QUOCUNQUE TEMPORE *Augustanam confessionem amplexum institutorum instituendorumve rituum Ecclesiasticorum nomine bello aggredi liceret.*

Acta apud Lehm. lib. 1. c. 6.

Acta apud Lehm. lib. 1. c. 7.

Acta apud Lehman. lib. 1. c. 8.

Ee Utraque

Utraque hæc formula ſcripto ſeorſim comprehenſa, die xxi. Maji, Electorali Collegio exhibita, id quoque in adverſa ſuffragia diſtraxit. Nam Eccleſiaſtici Electores, veriti, ne officium ſuum neglexiſſe arguerentur, ſi in tuendo Eccleſiaſtici Ordinis, & antiquæ religionis ſtatu, minor in ſuo, quam in Principum Concilio cura adhiberetur; deſertâ formula generaliori, cui prius aſſenſi fuerant, deinceps una cum Catholicis Statibus ex Collegio Principum contenderunt: *Eccleſiaſticum Ordinem quovis modo à libertate religionis immutandæ removendum.* Exiſtimabatur autem duplici potiſſimum viâ perveniri ad id poſſe: ſi vel *Secularium* Statuum expreſſa mentione ad illos ſolum religionis libertas reſtringeretur: vel Eccleſiaſticus Ordo peculiari quodam capite è cenſu reliquorum Statuum eximeretur, qui liberam Sacrorum mutandorum facultatem eſſent habituri. Sed poſterior hæc ratio, tanquam efficacior, & magis expedita prævaluit. Itaque formulæ Pacis, quæ die xix. Julii in Senatu Imperii prælecta eſt, poſt verba generalia, quibus cavebatur, *ut nulli Statui, ob Confeſſionem Auguſtanam, deinceps moleſtia ulla vel bellum inferretur*, additamenti loco talem limitationem inſeri petierunt: *ut hinc excepti intelligerentur Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati, Capitula, aliive Eccleſiaſtici Ordines, ac Status; ita ut ſi quis eorum ab antiqua religione deſciſceret, ille ſtatim ipſo jure & facto Statu officioq́; ſuo excideret: Capitulis autem, & ad quos ea res jure vel conſuetudine pertineret, alium antiquæ religioni addictum, in ejus locum eligere jus poteſtaſq́; eſſet.*

Acta apud Lehm. lib. 1. c. 10.

Eodem tempore recitatus eſt in Senatu Imperiali libellus Electorum & Principum Proteſtantium, quo *admodum contra expectationem & ſpem ſuam accidiſſe teſtabantur, quod Eccleſiaſtici Electores, priori placito ſuo ac unanimi Electoralis Collegij decreto relicto, ad Principes Eccleſiaſticos tranſierint, jamq́; cum illis, ademptam Sacro Ordini religionis mutandæ facultatem, ad Seculares Status reſtringere conentur: cæterum ſibi à priori ſententia, in quam cum univerſo Electorali Collegio antea conſenſiſſent, recedere, nec per divinorum præceptorum, nec per conſcientiæ ſuæ dictamen integrum eſſe: ejuſq́; rei multas adferre cauſas poſſe, non tantum in Chriſtiana diſciplina, ſed & in ipſa ſana ratione fundatas:* PRIMO *enim promiſſiones* DEI, *tam Veteris, quam Novi Teſtamenti, quæ ſalutem noſtram continent, ad omnes*

Acta apud Lehm. lib. 1. c. 13.

omnes homines in universum pertinere; itaq; sibi non licere, illas certis finibus includere, vel in angustias redigere; ne simul & alios & seipsos à regno cœlorum excludant. Secundo, *ne ex Barbaris quidem populis quemquam, Judæum, Turcam vel Gentilem deniq;, ratione vel religionis suæ studio mediocriter imbutum, facile reperiri, qui, si omnes omnino homines queat suæ religioni adjungere, id non summa ope efficere laboret: quanto magis se id operam dare oportere, ut integra facultas veræ religionis amplectendæ omnibus indulgeatur: quibus hoc sit à* DEO *gravissimis verbis mandatum.* Tertio, *se quidem è Sacris literis, & decretis Patrum, atq; Conciliorum posse docere, quemadmodum hi qui veteris & Catholicæ religionis titulum sibi sumant, non sine summa contumelia* DEI, *tum quoq; jacturâ Ecclesiæ Christi, & periculo multarum animarum, religione hactenus & bonis Ecclesiarum essent abusi: veruntamen pacis constituendæ causâ, permittere, ut & suas leges, ritus atq; ceremonias illi retineant, & bonis omnibus, possessionibus, vectigalibus, jure, privilegiis utantur, fruantur, quoad religionis componatur dissidium. Quin &* quarto, *si parum liquido sibi cautum hac ratione prospectumq; pars adversa existimet; se non refugere uberiorem hujus capitis dilucidationem; dummodò summæ rei nihil derogetur. Tanto minus vero,* quinto, *sese probare posse conditionem, qua Episcopi, tanquam ipso jure & facto officiis beneficiisq; suis indigni, sanctioni pacis pœnali subjicerentur, si se Augustanæ Confessioni applicuissent: sic enim futurum, ut suæ religionis approbatores atq; socios oppugnare teneantur: & deniq; totam suam causam infami præjudicio ipsi damnent. Quia tandem compererint, Ecclesiasticum Ordinem id potissimum metuere, si quidem Ecclesiasticis mutare religionem concederetur, ne Episcopatus, & id genus alia Collegia profanarentur, & ab Ecclesiis avulsa, paulatim in manus Principum devenirent, iisq; fierent hæreditaria: quò se ab eo consilio plurimum semper abfuisse, nec aliud quicquam spectasse testentur, quam ut bona sacra ad priscam institutionem revocata veris usibus accommodentur & in perpetuum Ecclesiis annexa maneant; se minime refragari, quo minus in tabulis pacis, peculiari quodam capite, diserte caveatur, ut quibus in Episcopatibus & collegiis religio mutaretur, illa in dominatus seculares convertere, vel jus hereditarium in illis sibi vindicare, nemini liceret; utq; post Episcopi vel Antistitis mortem, aut resignationem, libera Collegiis tum electio, tum administratio permitteretur.*

Improbe in his cavillantur Jesuitæ Colonienses sub nomine Francisci Burckardi de Autonom. part. 1. c. 4. notante Springero de Pace Relig. c. 8. p. 97.

vid. Compos. Pac. Dillingens. c. 7. q. 51. n. 18.

Et obvelaverant quidem proposita sua Catholici Status hujus metus prætextu; verum gravior cura Sacrum præsertim Ordinem angebat, ne, si Episcopis quoque Germaniæ licentia indulgeretur, ab Ecclesia Romana sine imminutione juris aut dignitatis Episcopalis, recedendi, evanesceret paulatim potestas, quam in illos Pontifex, præter diuturnam usurpationem majorum, ex transactionibus, cum Imperatoribus Germanicis, Henrico V. & Friderico III. initis, dudum sibi vindicabat. Quo minus mirandum, si ad concordiam parum profecit conditio, quam Protestantes obtulerant. Imprimis vero acuendo certamini valuit Scriptum, extra Ordinem, & privatim à Pontificiis, commendandæ causæ suæ, compositum: cujus argumentum, & quid ad illud responderint Protestantes, in *Sleidani Commentariis, libro posthumo,* exhibetur; unde *Thuanus* pauca quædam summatim excerpsit.

Conring de Constit. Episcop. Germ.

Lib. XXVI.
Lib. XVI.

Mos consultationum publicarum in Germanicis Comitiis vulgatus tenet, cum vel Status à se invicem, vel ipsa Collegia Statuum inter se dissident, ut ejus dissensus indicium, una cum iis capitibus, in quæ universus Imperii Senatus consensit, ad Imperatorem, vel qui locum ejus implet, perferatur; si quam forte rationem ille componendi dissidii queat suppeditare: Itaque in hac quoque causa, assentiente quoque Civitatum Collegio, integra controversia Ferdinando Regi Romanorum, die XXI. Junii, exposita est. Aderat is vice fratris Caroli iis Comitiis: jamque privatim antea, cum reliquis Delegatis à Cæsare, insignem huic liti componendæ operam frustra adhibuerat; hac imprimis conditione propositâ, *ut Ecclesiastici quidem Status, qui ad Augustanam Confessionem se adjungerent, loco officioq́; suo exciderent; Sacrorum vero Collegiorum Socij, iis, qui hac ratione a Majorum ritibus recessissent, certam pensionem annuam, ad commodos vitæ honestè ducendæ usus, præstare tenerentur.* Apud hunc, cum, ut modo indicavi, sententia Ordinum de pace componenda, exponeretur; Augustanæ Confessioni addicti Status, rationes, quas antea in Senatu Ordinum allegaverant, peculiari libello comprehensas exhibuerunt; additis aliis quibusdam argumentis, & prolatis imprimis antecedentium conventuum decretis, Noribergensis de Anno 1532. & Ratisbonensis de Anno 1541. quibus

Acta apud Lehm. lib. 1. c. 12.
Acta apud Lehm. lib. 1. c. 15.
Acta apud Lehm. lib. 1. c. 13.

liberta-

libertatem mutandorum Sacrorum generaliter abſq; limitatione aut reſtrictione tali ſancitam, contendebant: *quibuſq; adeo moveantur, ut aſſenſu quidem ſuo contrarium huic libertati caput nunquam ſint firmaturi; nedum ut iis accedant, qui in Conſtitutionem Pacis Religioſæ illud relatum velint: vel ſe ad exequendam tuendamve ejus ſanctionem obſtringant.*

Die nono, poſtquam hæc ad Ferdinandum perlata eſſent, denuntiat is Statibus, quid de placitis ipſorum ſibi videatur; ſimul de exceptione Epiſcoporum, cui caveri peculiari capite Catholici Status petierant, reſpondet: *aſſequi ſe, poſt maturam deliberationem, non poſſe, quid omnino Statibus Auguſtanæ Confeſſionis, de Juribus, quæ ipſi ipſorumve ſubditi hactenus habuiſſent, ea diſpoſitione derogaretur, qua de iis tantum, qui officium pariter ſuum, & acceptum ſemel ſacrum Ordinem, cum patria religione deſeruiſſent, & ne id quidem in duriorem partem ſtatueretur, ut beneficia & præfecturæ ſacræ in eo Statu uſibuſq; permanerent, quibus pia inſtitutione eſſent deſtinatæ. Abominandum eſſe, ultimas hominum voluntates, imprimis, quæ ad honorem & gloriam DEI ſint directæ, infringere. Inſuper, divino pariter ac humano jure, ac præſertim publicis Imperij Conſtitutionibus, præcipue Pacis Publicæ & Tranſactionis Paſſavienſis præcipi, ut Eccleſiaſticis æq; ac Secularibus Statibus quietus ac imperturbatus rerum & jurium ſuorum uſus permittatur: quem obtinere, ſi hæc iis exceptio denegetur, haudquaquam poſſint. Sic enim fore, ut qui Sacrum Ordinem ac veterem Religionem deſererent, retenta bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratione, legum & diſciplinæ Eccleſiaſticæ vim eluderent, quam in illos intendere, collegis haud eſſet futurum integrum. Quin & omnem hac ratione concordiam inter Antiſtites & Sodales Collegiorum iri ſublatum. Cum vero econtra æquiſſimum ſit, ut ad regendas ſacras præfecturas non niſi idoneæ perſonæ admittantur: cæteris ejuſdem Ordinis jus denegari non poſſe, ſi admiſſi, à legibus Eccleſiaſticæ inſtitutionis deſciſcant, animadvertendi in eos, talibuſq; muneribus iis interdicendi; ne collegiis potius, quam ipſis deſciſcentibus ea defectio diſpendio ſit. Hanc itaq; ſuam eſſe ſententiam, ſeq; Auguſtanæ Confeſſionis Status benevole hortari, ne conditioni ipſis minime damnoſæ, Catholicis vero Statibus, & tuendo imprimis Eccleſiaſtico Ordini, perquam neceſſariæ diutius refragentur: atq; apud animum ſuum reputent, ſi Catholici Status Ipſos præfecturis, collegiis atq; beneficiis Eccleſia-*

Acta apud Lehm. lib. 1. c. 16.

clesiasticis, quæ præter tenorem Pacis Passaviensis usurparent, quiete frui paterentur, neq; Iis præscriberent, ut ministris Ecclesiæ ac Sacerdotibus, officium Religionemve suam deserentibus, locum pristinum relinquant; parum utiq; consentaneum, aut ad pacem conservandam proficuum fore, si Catholicos Status Ipsi, ad id, quod sibi molestissimum fore sentiant, adigere conentur, ut administrationem usumque Sacrarum Præfecturarum iis teneantur relinquere, qui religionem suam projicerent & oppugnarent. Hoc responsum cum die v. Septembris ad Senatum Ordinum relatum esset, varios ibi animorum motus excitavit: Et Catholici quidem Status proposito suo insistere certi, nihil de conditione semel oblata remittebant: Protestantes vero hæc potissimum agitavere: *id se indubiâ fiducia præcepisse, Regiam Majestatem amicis atq; æquis conditionibus viam aliquam paci contrahendæ esse commonstraturam: jam autem regio Responso atq; Catholicorum conspiratione se induci, ut Catholicos quidem, libertatem religioni concedere decrevisse, existiment, verùm tam arctis limitibus circumscriptam, ut ad præbendum Augustanæ Confessioni assensum, omnibus, non Secularibus minus, quam Ecclesiasticis, via præcluderetur. Utriusq; partis communia studia, & potissimas illorum Comitiorum consultationes eo tendere, quomodo amicis pacatisq;, atq; adeo Christianis vere mediis, dissidium Religionis componeretur: verum id interim Ecclesiastici Ordinis exceptione veluti præjudiciali sententiâ in favorem Catholicorum decidi: quid enim aliud, quam prædamnari, ne sine hæreseos quidem opprobrio, Augustanæ Confessionis doctrinam, si, qui ad eam se applicuissent Ecclesiastici Status, Ordine statim suo & reditibus indigni pronuntiarentur. Atq; subditis quidem talium Statuum multo apertius etiam præcludi viam ad religionem immutandam: quippe quæ ipsis Statibus Superioribus non pateret, quod à pace inter Status & subditos conciliandâ plurimum utiq; abhorreret.*

Act. apud Lehmann. lib. 1. c. 17.

Sed & in libello, quo *duplicatio,* uti vocant, Statuum, ad responsum Regium perscripta, eodemque die Ferdinando Regi & Delegatis Cæsareis exhibita est, Catholici quidem Status Regi, *quod in hac lite secundum illos definiendâ tam præclarum propitiæ erga sacrum Ordinem voluntatis specimen edidisset,* gratias egerunt: Protestantes vero, imprimis testati, *nunquam hoc propositi sui fuisse, ut Ecclesiastico Ordini regiminis, vel bonorum administrandorum modum præscriberent, multo minus id intendisse, ut præfecturæ sacræ*

Act. apud Lehmann. lib. 1. c. 18.

ſacræ, quibus probe agnoſcant ipſius S. Rom. Imperij partem inniti, diſſipentur, aut ad profanos uſus convertantur: neq; ſe utiq; diſceptationis ejus Authores extitiſſe, quæ præter Catholicorum quoq; Electorum, ſecum in formulam generaliorem conſentientium, voluntatem, ab inferioribus quibuſdam Statibus ſit excitata: rationes illas breviter repetierunt, ob quas jam antea contenderant, *ſe in exceptionem Eccleſiaſtici Ordinis, citra infamiam, aut præjudicium ſuæ religionis, conſentire non poſſe*: denuo precati, *ut ſecundum priorum decretorum, Noribergenſis, Ratisbonenſis & Spirenſis tenorem libertas mutandæ Religionis Statibus generaliter indulgeretur.*

Accepto lectoque hoc libello, Ferdinandus, quod uſu rerum tractandarum didicerat, negotia gravioris momenti, colloquiis coram inſtitutis multo facilius, quam libellis aut literis expediri, vocatis ad ſe ex Electorali & Principum Collegio cæterorumque delectis ad ea negotia expedienda, legatis, cum iis, de iſta controverſia, in hanc ſententiam tranſegit; *quandoquidem ipſi Status inter ſe id diſſidium componere nequeant, ut id Cæſari ex* PLENITUDINE POTESTATIS *definiendum, & quidem ſub certa conditione ex parte Statuum Auguſtanæ Confeſſionis addictorum, permitterent concederentq; : tum ut in ipſa exceptionis Eccleſiaſticæ formula omitterentur verba:* DE JURE ET FACTO. *Act. apud Lehmann. lib. I. c. 19.*

Ad hujus Tranſactionis normam, nova mox pacis formula compoſita eſt, & die x. Septembris in pleno Ordinum Senatu prælecta: hincque de rebus controverſis denuo ſeorſim in Electorali & Principum Collegio deliberari cœptum. Et profitebantur iterum Proteſtantium Statuum Legati; *quanquam videant, ad priorem Eccleſiaſticæ reſervationis formulam, à Ferdinando Rege nonnihil temperamenti eſſe allatum, aſſentiri tamen ſe nulla ratione poſſe, ut ipſi Pacis Conſtitutioni ea inſereretur.* *Act. apud Lehmann. lib. I. c. 20.*

Tradit *Sleidanus*, & ex *Sleidano* deſcribit *Thuanus*, Ferdinandum ad rationes Proteſtantium die VII. Septembris ipſi exhibitas id modo reſpondiſſe: nihil amplius eis tribui poſſe, & ea nunc concedi, quæ tot annis impetrari nunquam potuerint: haberent igitur ejus rationem: nam alioqui futurum, ut nulla re perfecta diſcederetur. Quod ſi fieret, & aliquid ex eo naſceretur incommodi, non eſſe, quod vel in Cæſarem, vel in ſe quoque culpa conferretur, qui tam leniter & patienter cauſam eam tractaſſet, *lib. XXVI. Anno* CIↃ IↃ LV.

tractasset, & eousque permansisset: non sibi esse integrum differre diutius, itaque decem dies ipsis largiri, ut interea domum ea ad suos Principes enunciarent, & simul clare sibi responderent: ubi dies ille venisset, istos, quod & diligentiæ nihil prætermisissent, ut reliquis omnibus de Religione consuleretur, & Cæsari vel Regi modum aliquem in eo præscribere non ipsis liceret, *assensos esse*, præsertim cum Rex etiam nonnulla remitteret.

Verum ipsi *Commentarij Actorum publicorum* in iis Comitiis, quos insigni diligentia & fide collegit vulgavitque *Christophorus Lehmannus, de conditione & modo assensus*, imo, si magis proprie loquendum est, *dissensus* interpositi, memorant plenius: Legatos Electorum Principumque absentium, postquam dominorum suorum sententiam per literas exquisivissent, responsum quod ab iis acceperant libello fuisse complexos, quem die xx. Septembris Regi obtulerint. Eo libello professos esse Legatos: *Gratissimo animo Electores & Principes, dominos suos, ex decreto Regio superius memorato agnovisse paternam prorsus Regiæ Majestatis solicitudinem, pro Pace in Imperio stabilienda: neq; sibi aliud quicquam magis curæ cordiq; esse: cur autem assentiri, vel taciti permittere nequeant, ut exceptio Ecclesiastici Ordinis Constitutioni Pacis inseratur, ejus rei causas idoneas & graves sæpius jam allegasse: ex quibus nunc quoq; Regiam suam Majestatem obtestentur, ut juxta præcedentium Recessuum tenorem, hac quoq; Constitutione Pacem Libertatemq; Religionis illimitatam velit relinquere: Sin autem, repudiatis his rationibus, insistere priori sententiæ, & caput istud de Ecclesiastici Ordinis exceptione, eo, quo antea proposuisset, modo,* VICE CÆSARIS, *ac vi demandatæ sibi ab eodem facultatis, ut &* EX PLENITUDINE IMPERATORIÆ POTESTATIS, *atq; adeo ratione officij suscepti, motuq; proprio, sancire decrevisset; tum sibi quidem, præter deprecationem, & obnuntiationem jam interpositam, aliam rationem non suppetere, qua Regiæ suæ Majestati modum in hac re, aut limites præscribant: neq; curam ob id aut solicitudinem suscepturos, quæcunq; Ecclesiasticus Ordo leges, inter se, sui suorumve bonorum causâ, esset conditurus: sed simul conscientiæ tuendæ causâ hoc declarare atq; apertum facere,* QUANTUM AD SE ATTINERET, IN ISTUD CAPUT SE CONSENTIRE NEUTIQUAM POSSE: *in cæteris pacem optima fide esse conservaturos.*

lib.1. c.21.

Minus valide hinc colligitur Status Augustanæ Cõfessionis Regi decisionem hujus controversiæ commisisse apud Springer. de Pac. Relig. c.8. p.100.

Quod

Quod autem remisisse nonnulla Ferdinandum tradit *Sleidanus*, eo pertinet: Expresserat Ferdinandus in formula *reservati Ecclesiastici*, in quam cum Deputatis ex singulis Ordinum Collegiis eum convenisse, supra diximus, hoc tantum: *dissidio inter consultandum orto, de conditione Ecclesiasticorum à prisca religione abeuntium, se, ex demandata sibi à Cæsare potestate, statuisse, ut ij statim officio suo reditibusq́; exciderent, & collegiis alios in locum desciscentium eligere libera facultas esset.* Protestantes vero, cum libello, cujus argumentum modo exhibuimus, die xx. Septembris formulam obtulerant, qua sequentes clausulas addi petebant. 1. *Status utriusq́; religionis inter se, de capite isthoc controverso, convenire non potuisse.* 2. *Regem Ferdinandum ad petitionem Sacri Ordinis hanc litem definiendam suscepisse.* 3. *si quis ex Ecclesiasticis Statibus ad Augustanam Confessionem accederet, ut per id honori dignitative ejus nihil detraheretur.* 4. *ut quodcunq́; id esset, quod in hac re statutum sit, illud in præjudicium componendi imposterum dissidij in religione neutiquam tenderet.* Post acrem & calidam inter partes disceptationem, tandem authoritate & conciliatione Regis in id consensum est, ut, repudiatâ solum altera illâ clausulâ, *de petitione Sacri Ordinis*, cæteræ in ipsam formulam reciperentur; quæ & hinc Pacis Constitutioni, uti die xxv. Septembris promulgata est, insertæ leguntur. *Acta apud Lehman. c.22. & 23*

Submiserant unà Legatis suis, Electores & Principes absentes, *libellum protestationis*, quem in ipso Pacis concludendæ tractatu, si nihil adversa pars de rigore suo remitteret, exhiberent, hacque ratione, dominos suos in istud caput, quo *de Ecclesiastico reservato* cavebatur, neque consensisse, neque eo obstringi velle, solenniter profiterentur. Postquam vero concessum iis est, ut ipsa Pacis formula, hic dissensus, &, *quod convenire partes inter se nequivissent*, disertis verbis exprimeretur; id obtinuisse contenti, protestationem omiserunt: quod hac ratione non minus efficaciter, quam protestando, causæ suæ consultum judicabant: præterquam enim, quod omnem à religione sua infamiam, ab ipsâ vero controversæ doctrinæ compositione præjudicium amoliti fuerant; haud frustra opinabantur, se neque ad exequendam ejus capitis sanctionem fore obligatos, si quandoque contingeret, aliquem è Sacro Ordine ad suam reli- *Acta apud Burkard. d. Auton. p.1. c.4. p.40.*

 gionem

gionem accedere; neque alio quovis vinculo impediri, quo minus eam causam de integro quandoque tractandam in Comitiis reproducerent, religionemque, si qua fieri posset, in plenam libertatem vindicarent. Nam quod ex *Imperatoriæ potestatis plenitudine sibi commissa,* statutum à se Rex Romanus fatebatur, illi satis constabat, neque Transactionis, quæ ab uno non contrahitur; neque Legis generalis in Germania, quæ conventionem Ordinum desiderat, efficaciam posse arrogari: quod vero, *ad conventionem Ordines dissentientes non potuisse adduci,* adjectum erat, illud totius ejus capitis sanctionem convellebat, vigore *Transactionis Passaviensis*: qua hæc paci de religione componendæ norma præscribitur: *ut id demum in causa religionis firmum atq; ratum habeatur, quod communi Ordinum consensu, & interveniente Cæsaris authoritate, decretum fuerit.*

Dissentit Springer. d. Pac. Relig. c.8. Cui bene respōdet Cranius d. Pac. Relig. p. 1. probl. 10. p. 104. & seqq. Add. Paurmeist. de Jurisd. Imp. Rom. lib. 2. n. 63. & seqq. Lamp. de Republ. Rō. Germ. p. 3. c. 8. § 14. & p. 3. c. 11. § 15. Limn. d. I. P. 1, 13, 34. & seq. Sleid. lib. 26. vid. Burck. de Aut. p. 1. p. 61. Burck. d. Aut. p. 1. p. 28.

Neque sane diutius, quàm ad Comitia, quæ sequenti anno Ratisbonæ habita sunt, ea lis sopita mansit. Nam cum initio illorum Comitiorum, sub Idus Julias, Albertus Bavarus, nomine Ferdinandi Regis, Status monuisset, de quibus rebus deliberatio suscipi deberet, atque inter alia, hortatus fuisset, ut investigarent, an conciliatio religionis, & qua via fieri posset; Protestantes, quod *se nullam ad id planiorem viam excogitare posse,* dicerent, *quam si obstaculum, superioribus Comitiis libertati religionis in Ecclesiastico Reservato positum, removeretur; ut ejus ante omnia ratio haberetur,* contenderunt: propositis denuo rationibus pristinis: quas XXII. Decembris Ann. LVI. Regi Ferdinando scripto comprehensas obtulerunt. Respondit Rex, V. Februarii An. LVII. *Eam litem in prioribus Comitiis secundum Catholicos Status esse definitam; seq; jam tum edidisse rationes, cur definiri aliter non posset: recordari se quidem probe Protestantium dissensus: sed cessisse illos postmodum, neq; contradixisse, quo minus caput de Exceptione Ecclesiasticorum, æq; ac cætera, Constitutioni Pacis insereretur: sibi quoque eos tum, diligentius etiam, quam ipsi Catholici Status, egisse gratias ob pacem magnis laboribus stabilitam: quin & in tabulis decreti, quod iis Comitiis factum est, esse professos, omnia, quæ in illo continerentur, capita, scientibus ipsis atq; volentibus esse conclusa; optimaq; fide se illa servaturos esse atq; impleturos: suo itaq; hortatu omitterent novam contentionem, atq; ut in aliis, ita in hoc quoque capite, promissam juratamq; fidem inconcussam relinquerent.*

Illi

Illi vero die XVII. Februarii exhibito denuo libello, *nunquam se assensu suo probasse*, dicunt, *ut Ecclesiasticis Statibus libertas amplectendæ Augustanæ Confessionis, sub pœna amissionis bonorum, ac redituum sacrorum, adimeretur: id tum ex historia rei, uti in Comitiis Augustanis gesta sit, tum ex ipsa Pacis formulâ clarissimum esse. Id enim in Recessibus Comitialibus demum conclusum haberi, de quo Statuum Collegia inter se, & cum ipso Rege convenissent. Sicut & formula, potioribus decreti capitibus adscripta, testetur: unde sequatur, contrariam formulam, qua* STATUS AD CONVENTIONEM NON POTUISSE INDUCI *dicatur, peculiaris cujusdam dissensus indicium continere: Cum præsertim illa, non ad res in Collegiis Statuum gestas, qualitercunq; narrandas, adhibita; sed in ipso contentionis gravissimæ, nec deniq; compositæ, ardore, Constitutioni præscripta sit: illam insuper esse indolem Constitutionum, quæ* EX POTESTATIS PLENITUDINE *sanciuntur, ut consensui partis nihil præjudicent. Egisse se quidem Regi gratias ob conciliatam Religioni pacem: verum nullo ad Ecclesiasticum Reservatum respectu; quod ad ipsam Pacis substantiam adeo non pertineat, ut nihil etiam illi magis refragetur. Quod de generalibus consensus & promissionis clausulis dicatur, eodem esse referendum. eas enim, adjectis formulis, quibus quisq; Pacem Religionis,* QUANTUM AD SE PERTINERET, *servaturum promittat, ipsaq; pacis capita,* ITA UT SUPERIUS EXPRESSUM SIT, *conclusa esse, profiteatur, satis restringi, ut ad Exceptionem Ecclesiasticorum, nec* PERTINENTEM *ad Augustanæ Confessionis socios, nec communi conventione* CONCLUSAM, *trahi nequaquam possint.* ad ea, cum, decimo post die, nihil, nisi priora repeteret Ferdinandus; Protestantes quoque, prioribus rationibus inhærentes, prolixe denuo sunt testati, *si quis ex Ecclesiastico Ordine ad illorum sacra accederet, nunquam se operam suam eo collaturos, ut pœna huic facto statuta executioni mandaretur.* Neque tamen quicquam tum, in hac re, est immutatum.

Burck. de Auton. p. I. c. 4. p. 37.

Burck. d. Aut. p. I. c. 4. p. 44. Burck. d. Aut. p. I. c. 4. p. 46.

Eadem disceptatio, pari quoque eventu, tenuit sequentia Comitia Ann. LIX. sub Ferdinando, Ann. LXVI. sub Maximiliano II. habita: Statibus Augustanæ Confessionis subinde vel dissensum suum solenni protestatione profitentibus; vel, inter *gravamina* suæ Religionis, iterantibus priores petitiones.

Burck. d. Aut. p. I. c. 4. p. 51. Id. p. 66.

Sed & hinc aliquoties de hoc argumento contendendi occasio in Comitiis nata est, quod ex Ordine Comitum ac Nobilium,

Act. apud Burck. d. Auton. p. I. c. 5. p. 68. & seqq.

bilium, illi, qui Confeſſioni Auguſtanæ addicti erant, indigne ferentes, *ſe peculiaribus Eccleſiaſticorum Collegiorum* STATUTIS, *ac imprimis formulis* JURISJURANDI *ab iis præſtandi, qui recipi in talia Collegia petebant, à Sacris Præfecturis arceri*; has pariter, & illa immutari, ſibique liberum ad Eccleſiaſtica beneficia aditum parari concedique, flagitabant. Sicut ex *Actis Lehmannianis* etiam conſtat.

Lib. 2. c. 40.

Imprimis vero, armis juxta & literis acriter de *Eccleſiaſtico Reſervato* diſceptatum eſt annis ſeculi ſuperioris LXXXII. & LXXXIII. cum Gebhardus Truchſeſius, Archiepiſcopus Colonienſis, ductâ in uxorem Agnete, Jo. Georgii Mansfeldii Comitis filiâ, Auguſtanam Confeſſionem amplexus eſſet. In qua contentione Gebhardus, quique partes ejus tuebantur, præter rationes à Proteſtantibus ſæpius adhibitas, ad impugnandum *Reſervatum Eccleſiaſticum*, id quoque cauſæ ſuæ commendandæ proferebant: *caput illud Pacis Religioſæ, quo exceptio Eccleſiaſtica continetur, nunquam in uſum fuiſſe deductum; nec ab illo tempore adverſus quenquam, qui Auguſtana Sacra ex Eccleſiaſtico Ordine fuiſſet amplexus, ſanctionem ejus eſſe exercitam: Ex adverſo plures, qui Religionem hactenus mutaſſent, Epiſcopatus atq; Præfecturas, & annexa iis beneficia, atque dignitates retinuiſſe: Sed & inter cæteros Imperij Status, in quibuſcunque Conventibus publicis non minus, quam quivis alij, ex Eccleſiaſtico Ordine, Conſtitutionum ſanctionumq; Imperialium jure frui illibato: ut adeo quieto & diuturno uſu Auguſtanæ Confeſſionis Status contrarij juris quaſi poſſeſſionem obtineant.* Addebant & illud: *Etiamſi concederetur, quod concedi quidem non poſſet, in ſanciendo Reſervato Eccleſiaſtico, rite omnia, & cum conſenſu Ordinum fuiſſe peracta, nihil tamen tum in his caſibus fuiſſe definitum, ſi Epiſcopus, non ſua ſolius authoritate, ſed Collegij Sociis vel omnibus, vel, uti tum acciderat, quibuſdam aſſentientibus, mutandæ Religioni animum adjiceret. quod ipſum quoq; nequeat aliter, quam conſentientibus cum Imperatore Ordinibus, decidi.* Hiſtoriam ejus belli totiuſque controverſiæ copioſe & graviter *Thuanus* recenſuit: *Famianus Strada* vero affectuum intemperantiâ & contumelioſorum commentorum verborumque immodeſtiâ narrationem ſuam turpiter fœdavit. Quæ in Camera Spirenſi, ob turbatam poſſeſſionem, in hac cauſa agitata ſunt, apud *Lehmannum*, inter cætera Acta potiora, conſignata extant.

vid. lit. El. Palat. ad Capitul. Colon. apud Lehm. Act. lib. 3. c. 13. p 59. & 60. De Springeri, Schönborneri, Mindani ſententia recte judicat Cranius de Pac. Religion. part. 1. probl. 10. p. 109.

Ex hoc exemplo uſus hujus quæſtionis colligi poteſt cōtra Springerum d. Pac. Relig. c. 8. p. 104. lib. 76. & ſeq. Decad. 11. lib. 2.

Vix

Vix decennio integro elapso, iterum suscitata est ea disputatio in Argentoratensi Episcopatu, ob discordem electionem duorum Episcoporum, Joannis Georgii Marchionis Brandenburgici, & Caroli Lotharingi Cardinalis & Metensis Episcopi: qui contra Brandenburgicum itidem sanctione *de Ecclesiastico Reservato* nitebatur. Verum, præter momenta superius adducta, responsum est pro Brandenburgico, *eam Sanctionem nihil utiq; ad eos Episcopos pertinere, qui ad Episcopatum eveherentur, in quo ad Canonicatum assumpti fuissent, cum Augustanæ Confessioni jam essent addicti.* Belli, in quod ista disceptatio erupit, gesta, utque illud compositum sit, ex *Chytræo, Thuano,* aliisque repeti potest. *Respons. Reip. Argentinens. ad declaration. Carol. Lotharing. edit. 1592.*

Nos enim arctior instituti nostri ambitus ad finem exitumque hujus controversiæ properare jubet: quæ nostro demum seculo gravissimis cruentissimisque motibus penitus desæviit. Longæ notæque sunt ambages: quomodo, post diuturnas Curiæ Romanæ consultationes, de finibus Religionis Pontificiæ ampliandis; prolixasque Statuum Catholicorum querelas, de ereptis atque ad Augustana sacra translatis Episcopatibus, ad *Edictum Cæsareum* sit perventum, quo tum cæterorum bonorum Ecclesiasticorum, tum imprimis Episcopatuum, in quibus inde à tempore pacatæ Religionis, Episcopi, jugum Papalis dominatus excusserant, restitutio præcipiebatur. Promulgatum id est A. D. IV. Cal. Maji A.C. CIↃ IↃC XXIX. Repetebatur autem in eo tota Reservati Ecclesiastici Historia, *ut ab initio sancitum atq; postea confirmatum aliquoties id esset, utq; in illud sæpius deliquissent Protestantes:* inde subjiciebatur: *Circa istum articulum Imperatorem Ferdinandum decernere: Augustanæ Confessionis Ordines nihil causæ habere, cur pro injuria accipiant, quod qui ejusdem forent cum ipsis Religionis, quiq; Ecclesiastica beneficia & Prælaturas Imperio immediate subjectas haberent, vel ad eas adhuc adspirarent, à Catholicis in Episcoporum & Prælatorum numero non haberentur, neq; ipsis sessiones & vota in Comitiis, neq; Regalia & Feuda concederentur: è diverso ex parte Catholicorum justas esse & Reservato Ecclesiastico consentaneas querimonias, quod ejusmodi Episcopi & Prælati, qui à Catholica Religione defecissent, nihilominus suos Episcopatus & Prælaturas retinerent, omniaque jura ac Privilegia, quibus fruebantur, dum essent Catholici, adhuc dum usurpantes, vellent inter Imperii Status censeri: quodq; illi, qui à* *Saxon. lib. XXIX. pag. 851. & 803. lib. 104. & 105.* *Annal. Bavar. part. III. lib. 14. p. 197. & seqq.*

Catholica Religione essent alieni, & ad Statum Ecclesiasticum inidonei, nihilominus se in ejusmodi Episcopatus & Prælaturas intrusissent, & deinceps intrudere niterentur, Ecclesiasticum Statum, ipsamque deniq; Religionem, quantum in ipsis foret, sublaturi.

Limn. Addit. T. 4. ad lib. 1. c. 13. p. 145. & seqq. Conring. Not. MSC. ad Lamp. d. Rep. Rom. Germ. p. 3. c. 11. vid. Burgold. Not. Imp. disc. 10. §. 15. Art. V. §. 3.

Sed his quidem, Status Protestantes, suas quisque pro se vires rationesque opposuere. Editusque paulo post fertur eruditus libellus, sub nomine *Scipionis Aretini*, quo, tum cætera Edicti capita, tum istud *de Ecclesiastico Reservato*, profundo gravique judicio sub examen sit revocatum.

Neque in ipso denique Pacis Westphalicæ tractatu, ex omnibus argumentis, integri fere seculi disputatione collectis, quicquam omissum est, quin ad propugnandam adversus Ecclesiasticum Reservatum Religionis libertatem adhiberetur.

Quousque autem illa profecerint, ex ipsis *pacis tabulis* potest cognosci: in quibus talis dispositio, quantum ad hanc litem in futurum definiendam attinet, extat: *si Catholicus ArchiEpiscopus, Episcopus, Prælatus, aut Augustanæ Confessioni addictus in ArchiEpiscopum, Episcopum, Prælatum electus vel postulatus, solus, aut una cum Capitularibus seu singulis, seu universis, aut etiam alij Ecclesiastici Religionem in posterum mutarint, excidant illi statim suo jure, honore tamen famaq; illibatis, fructusq; & reditus citra moram & exceptionem cedant, Capituloq; aut cui id de jure competit, integrum sit, aliam Personam Religioni ei, ad quam beneficium istud, vigore hujus Transactionis, pertinet, addictam eligere aut postulare, relictis tamen ArchiEpiscopo, Episcopo, Prælato &c. fructibus & reditibus interea perceptis & consumptis.*

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I. *Legem Regiam Romanorum*, legem esse, *contra* Connanum; ante Vespasianum fuisse, nec emendicatam *tamen*, aut vi extortam esse, *contra* Clapmarium; Figmentum non esse, *contra* Schoockium *asserimus*.

II. *Qui* Justinianum Authore Suida ἀναλφάβητον fuisse, *scribunt*, *insignem non* Suidæ *minus*, *quam* Justiniano *injuriam faciunt*.

III. *Aut contradicant sibi necesse est, aut à Socinianis effugium petant, qui ex principiis Grotianis*, polygamiam in se juri naturæ contrariam non esse, *adstruere conantur*.

DISSERTATIO

DISSERTATIO XI.

DE

ABDICATIONE CAROLI V. IMPERATORIS.

Procemium.

RAriſſima ſunt exempla eorum, qui in magna potentiâ conſtituti, ſponte eidem ſeſe ſubducunt, cum natura mortalium ſemper avida ſit Imperii, vel, ut cum Tacito loquar, Hiſt. 2.38.2. *vetus ac pridem mortalibus inſita ſit potentiæ cupido.* & certe, ſi verum fateri volumus, idem nobis palam profitendum eſt, cum Selymo I. hujus nominis Turcorum tyranno, *nihil dulcius eſſe, quam imperare.* Propterea majore etiam admiratione dignum videtur, quod in Hiſtoria eorum exempla reperiantur, qui potentiæ pertæſi, privatam vivendi rationem ultro ſunt amplexi; nullis enim difficultatibus plerumque alias ab imperio abſterreri ſe patitur humanum ingenium, cum, ut idem Tacitus Ann. 15,53.5. ſcribit, *ejus cupido cunctis affectibus ſit flagrantior.* Seculum tamen noſtrum, alias in omnibus ferè ſingulare, magniſque rerum mutationibus obnoxium, duo ejuſmodi vidit prodigia, quippe anno ejus LII. Chriſtina Guſtavi Magni Suecorum Regis filia, paternorum Regnorum ex aſſe hæres, ſponte ſuâ ejurata illa reliquit. Anno vero LXIIX. Caſimirus Poloniæ Rex, cum Regni ejus habenas aliquandiu moderatus eſſet, ſeceſſum Gallicanum Imperio præferens, privatamque vivendi rationem amplexus, ultro coronam alii ceſſit: Cæterum & in antiquiori Hiſtoriâ quædam, veruntamen, ut jam dictum, rariora exempla occurrunt, inter quæ illuſtre eſt in ſacris literis Davidis Iſraëlitarum Regis, cum Regnum Salomoni filio ſenex traderet, cauſis graviſſimis & urgentiſſimis inductus. Oziam Judæ Regem, num huc referre debeam, cauſâ lepræ adminiſtratione regni decedere coactum, quæ filio Jotha-

Reſp. Joh. Chriſtoph. Artopœo, die 3 Mart. 1676.

me

mo commiſſa eſt, jure dubitaverim, ſcriptura illos annos non filio, ſed Patri tribuente, ut vicaria filii gubernatio intelligi poſſit. 2.*Reg*.15. & 2.*Chron*.26. In Hiſtoria civili obvius eſt Bamba Rex Hiſpaniæ, qui, ut ex *Luca Tudenſi* refert *Bzovius* ad annum DCL. dimiſſo diademate monaſterium intravit, & ejuſdem ſeculi anno LXXXIX. Ceadvalla Rex occidentalium Saxonum in Angliâ, qui relicto regno Romam migravit, ibique religioſam vitam agere cœpit, ambo videlicet ſuperſtitione ducti.

Hæc vero ad noſtrum inſtitutum non magnopere faciunt, quibus id ſolum negocii futurum eſt, ut *de Abdicatione Imperij Romano-Germanici à Carolo V. Imperatore factâ*, diſſeramus, ab hypotheſi ad theſin quædam traducentes: de quo argumento diſputationem Academicam, non elaboratum opus, pollicemur.

CAPUT I.

QUæri poteſt, *Utrum Imperator abdicare ſe poſſit Imperio?* nec omnino ſpernendæ rationes in utramque partem afferuntur; ſunt, qui ſimpliciter id concedunt, Imperatorem, quando & quoties velit, Imperio renunciare poſſe, & potiſſimum nituntur exemplis, quod Auguſtus, teſte *Suetonio in ejus vita. c.*28. decedere Principatu voluerit, & Tiberius, utrum Imperium retineret, dubitaverit, *ex Tacito Ann.*1. 2. *& Suetonio in hujus vita. c.*24. quanquam hi depoſito principatu ſimul etiam rempubl. i. e. ſenatui Populoque Romano antiqua jura, aut ſimulaverunt ſeſe reddituros, aut, ſi abeſſet ſimulatio, dulcedine imperii, metuve periculi ſorti privatæ imminentis, vinci ſe paſſi ſunt. *vid. Dion. lib.*52. Inſequentis igitur temporis exempla, quod initio ſeculi quarti Diocletianus & Maximianus Herculius ambo pari poteſtate Imperatores & Auguſti ſimul ſeſe abdicaverunt imperio, ut potiora allegantur ex *Zoſimo l.*2. & *Eutropio l.*9. Quod Anaſtaſius II. & Theodoſius III. depoſito ſceptro religioſe vixerint, quanquam ille invitus imperium deſerere coactus eſt, ex *Zonara l.*3. *p.*81. *&* 83. nec non *Hiſtor. Miſcell. l.*20. *p.*24. Quod denique Lotharius nominis hujus primus, Caroli Magni nepos, ſponte in Filium Imperii faſces transtulerit, ſeque monaſterio incluſerit. *Ex Annal. Fuldenſ. T.*1. *Freher. p.*23. *Aimoino, aliiſq;*

aliisq́; Francicæ Historiæ scriptoribus. Tandem Henrici quoque IV. faciunt mentionem, quod is administratione cesserit, licet invitus, Pontificum quippe impotentiâ adactus, quam resumere tamen conatus est, ex *Urspergensi.*

Inde colligunt, *quod his Imperatoribus liberum fuerit, idem aliis licere:* horum autem ista quidem ratio, ne ad hodierna tempora possit applicari, efficit insignis mutatio, qua pridem ipsa Reipublicæ forma est conversa. Augusti & Tiberii tempore fuit status Romani Imperii purè Monarchicus; nec sub Maximiano & Diocletiano Senatus vel populus de summa potestate quicquam participabant, ideoque etiam pro libitu Imperium retinere, aut reddere rempubl. aut alii, cui vellent, tradere Principatum potuerunt, tanquam absolutâ potestate pleno jure gaudentes. Eodem modo se res habet cum Lothario, qui Imperium Franco-Romanum illimitatâ adhuc potestate gubernavit. Quod verò Henricum IV. attinet, cujus ætate subinde Principum crescente potentia, Cæsaris jam aliquantulum labefactari cœpit auctoritas, Imperii tamen forma nondum, ut nunc est, mixta tum erat. Objiciunt quidem aliqui, Henricum II. cognomento Sanctum, jam antea, cum esset Argentinæ, Imperatorium paludamentum monastico culullo mutare voluisse, à Statibus tamen impeditum esse. Verum quam invalidum sit argumentum, quod ex hoc exemplo petitur, I. hinc potest intelligi, quod etiam illi, qui pro certo habent, Henricum volentem sese imperio abdicare, à Statibus impeditum fuisse; id tamen asseverare non audent: Status jure suo prorsus illum adigere potuisse ad retinendum Imperium, si in suâ sententiâ perstitisset, nec admonitionibus Statuum ultro locum fecisset. Est autem II. totum istud exemplum admodum incertum nulliusque idonei Historici authoritate fideque comprobatum. Potissimus testis, quo vulgo nituntur, est *Huldericus Mutius Chron. Germ. lib.14. p.109.* Sed enim *Mutius,* præterquam quod totis quingentis & amplius annis recentior est, id quod illi, à quibus testis citatur, volunt, non dicit. Verba ejus sunt, *Cum forte Argentinæ esset aliquando Henricus, ceremoniaq́; & preces sacerdotum illi arriderent, consors eorum regulæ, ut sic loquamur, factus est, sed instituta pro sacerdote viro probæ vitæ præbenda,*

qui Regis in Sacris esset vicarius, Ipse discessit, avocatus publicis Imperij negotiis. Ea præbenda Argentinæ ad nostram usq; ætatem vocata est regalis. Unde miro argumentandi artificio utatur oportet, si quis eum abdicare voluisse Imperium & à Statibus impeditum fuisse concludat. Loquitur enim de consortio non monastico *Mutius*, sed Canonicorum Majoris Ecclesiæ: quorum regulæ nihil impediebat Imperatorem retento Imperio adscribi; ut interim sacra munia per constitutum vicarium obiret. Neque porro ab hoc proposito, sed Argentinâ discessisse Henricum dicit *Mutius*: non Statibus adigentibus; sed imperii negotiis avocantibus: quippe afflicto, coërcitoque, quantum satis videbatur, Hermanno Alsatiæ Duce, contra Theodoricum affinem suum, res in Lotharingiâ novantem festinabat; quem eodem adhuc anno, quo hæc acta feruntur, Metis obsedit: quod *Dietmarus Merseburgensis in Chronico, Hepidannus in Annalibus, Hermannus Contractus & Sigebertus Gemblacensis in Chronicis* referunt. Qui cum res Henrici in Alsatiâ gestas attingant; rem utique tantam omissuri non erant; si vere deponere, studio præsertim sanctioris vitæ, Imperium contendisset Henricus. Cæterum injuria sincerioris Historiæ fuerit, si quis ex Chronicis, nullo authoris temporisve, quo scripta sunt, indicio, vulgatis, qualibus *Author Chronici Belgici Magni* simile Henrici propositum, alii apud Limn. Addit. ad I.P. Tom.V. ad II. 2. p. 59. hoc Ipsum adstruere conantur, rerum tanti momenti fidem deducere instituat. De quibus omnino, quantum ad res hujus Imperatoris attinet, verum est Ipsius *Mutij* judicium: *non mirandum, si Ecclesiastici, à quibus merito magnæ laudes debitæ sint Henrico, gratitudine animi ducti, quædam veris affinxerint.*

Nunc vero longe diversa est ratio in statu non pure Monarchico, sed Aristocratiâ mixto, & quidem in Imperio electivo, ubi pacta de ipsa Imperii Administratione interveniunt: quale Romano-Germanicum hodie est; Hic Imperatoris potestas lege restringitur in ipsâ Electione. Et certè satis ardua est ratio, ob quam Imperatori liber discessus ab Imperio concedi non potest; Electores enim, cum illi, quem elegerunt, Imperii habenas committunt, non solum Justitiæ Administratorem, sed & Pacis publicæ adversus quosvis ejus turbatores, certum

eum

eum defenſorem & propugnatorem conſtituunt. Si igitur accideret, Imperatorem periculoſis temporibus, vel ex puſilla-nimitate, vel deſperatione virium, vel aliâ quavis cauſa, privatorum videlicet commodorum reſpectu, Imperium abdicare, non ſolum commiſſum ſibi Imperium non eâ, quâ decet, fide defenderet, ſed & omnium Statuum vitam & fortunas hoſtium injuriæ exponeret, atque ita male conſultum eſſet Principibus, ſi hac in re Imperatori liberum agendi arbitrium permitteretur. Stipulatio igitur intercedit, inter Electum Imperatorem & Status, quorum omnium nomine Septemviri Principes Capitulationis legem Electo præſcribunt, hanc ipſam defenſionis obligationem juratam præ cæteris in ſe continentem. Ut optimo jure Imperium deſerenti objici poſſit, quod Henrico Valeſio Poloniæ quondam Regi objectum eſt, quando expoſitos vicinis hoſtibus Polonos deſeruit, Galliæ avito regno Polonicum permutans.

Pergunt vero, qui liberam Abdicandi Imperii facultatem Imperatori aſſerunt, & *quod non eſt prohibitum, permiſſum eſſe cenſeri*, dicunt. Sicut etiam ſentit *Sigiſmundus Seldus Clar. JCtus in Conſilio Ferdinando I. dato*, ubi dicit, *nunquam eſſe dubitatum de hujus Quæſtionis affirmativâ, cum Abdicatio nunquam fuerit prohibita. Goldaſt. Part. V. pag. 185. In den politiſchen Reichshändlen.*

Sed vero diſtingui primum poteſt inter leges generales Gentium, & ſpeciales unius gentis; quanquam igitur illæ Abdicationem non prohibeant, hæ tamen illam prohibere poſſunt. Quod vero attinet ad Rempublicam Romano-Germanicam, fatendum quidem eſt, nullam extare legem expreſſam, reſtringi tamen illam alioqui liberam facultatem Capitulatione, ut jam eſt dictum. in quem eundem ſenſum ita diſputat *Conringius in Annot. ad J. Lampadij part. III. c. 2. §. 7. lib. de republ. Romano-Germanica. Cum Leges*, inquit, *poſitivæ de reſignatione Cæſareæ aut regiæ dignitatis latæ nullæ ſint, ſuffecerit, ſtare hic illo jure, quod eſt merè naturale: Igitur* primo *ponendum, quod renunciatio omnis tunc demum ſit juſta, quando ſit rei propriæ ſpontanea refutatio.* Secundo, *quoniam id, quod eſt proprium, vel omni eſt ex parte tale, vel ex aliqua: illius quidem refutatio ſita eſt in mero refutantis arbitrio, hujus autem non item, ſed neceſſum eſt, ut accedat conſenſio ejus, cui ex parte illud,*

quod renunciatur, competit. Jam vero munia Imperandi, alia meri arbitrij, alia vero quasi suspensa sunt, sive ex mutuo contractu imperantium & parentium, sive ex superioris committentis voluntate. Quæ prioris sunt generis, illa abdicari liberrimè possunt, quæ posterioris, non item: utpote cum non sint omnino propria, atq; adeo non simpliciter in potestate abdicantium. Si jus administrandi Imperium Romanum fuerit primi ordinis, planum est, haud necessum esse, ut in cujusdam manus fiat resignatio, sed satis esse, si indicata fuerit. Si secundi, longe alia fuerit renunciationis ratio, & requiritur consensio sive parentium sive superiorum. Neque enim id quæritur, an ullo casu Abdicatio concedi possit? Sed an id sit Imperatori liberum, Statibus & imprimis Electoribus invitis vel inconsultis? Hos enim pondere causarum permotos consentire in Abdicationem & posse & debere non est dubium, quanquam si *Limnæo* credimus, etiam justissimis causis statim Electoribus in Abdicationem consentiendi necessitas non incumbit, *si enim magis conducibile est,* inquit, *& decentius videatur, ut Abdicaturiens Imperium retineat, eo Administrationis curâ sublevato, Romanorum Regem creare possunt &c. ad Capitul. Ferdin. I. in proœm. p.453.* ubi præterea de hac re ita scribit, *Quemadmodum enim in Imperio purè electitio, & quod aliquid Aristocraticum in se habet, si necessitas id suadeat, invitus ad Gubernacula rerum trahi potest, ita etiam invito, ob salutem publicam, imponi potest, ut in Administratione & curâ perseveret, postquam preces & admonitiones admittere recusaverit.* Confer *Ahasver. Fritschium cap.2. de resignatione Imperij Romano Germanici.*

Quantum autem discrimen sit inter Abdicationem in Imperio purè Monarchico & mixto Aristocratiâ, in unius Caroli exemplo satis clarum est. Is enim cum Hispaniæ aliisque Hæreditariis Principatibus, in quibus summâ cum potestate regnavit, renunciasset, nemini facti rationem reddere coactus est: Egregium monumentum est, quod habetur apud *Godelevæum in Schardij scriptorum Germanicorum T. 2. p. 1899.* Diploma videlicet Cæsaris, quod Latino idiomate conceptum Senator Bruxellensis, in publicis Belgii Comitiis Caroli nomine, eo tamen præsente, recitavit, in quo expressis verbis summa ejus Majestas exprimitur, ita enim, postquam Philippum Belgii Principem proclamasset, *Ad hæc volo,* inquit, *ut illi omnem honorem, reverentiam, & ob-*

& obedientiam exhibeant, servitia præstent, Eumq; tali amore & studio prosequantur, quo bonos & fideles subditos ipsorum verum supremum & naturalem Dominum & Principem complecti decet, & prout nobismet ipsis hactenus fecerunt, supplentes omnes defectus & omissiones tam juris quam facti, quæ poterunt in hac cessione & translatione esse, & derogantes ex plenariâ & absoluta potestate, omnibus legibus & constitutionibus, quæ ei obstare poterunt; nam ita nobis placet. deinde *ibidem p.* 1900. in *oratione*, quam Carolus ipse ex Charta recitavit, in iisdem Comitiis, hæc habentur verba in fine, *cui, ut morem geratis, fidem jurejurando detis, datam sancte & piè præstetis, mandamus & præcipimus.* Quæ omnia absolutæ potestatis indicia in suis hæreditariis Principatibus luculenter agnoscimus.

At cum Imperio renunciare vellet, longè alia instituenda ei fuit oratio: tum enim non *mandare*, nec *præcipere*, nec *pro arbitratu suo agere* potuit, quod diserte ipse testatur in *Mandatis*, quæ Legatis suis Principi Wilhelmo Arausio, Seldio, & Hallero apud Ordines Imperii procuranda dedit, quorum summa erat, ut refert *Godelevæus* apud *Schard. T.2. p.*1908. & 1941. *Cum Senectus jam appropinquet, molestissimisq; variis morbis vires attenuentur &c. Se Fratri Ferdinando Imperium relinquere, cum vero hoc negocium Electorum munus & dignitatem maxime concernat, se citra ipsorum consensum & approbationem nihil agere voluisse, vel propositum suæ voluntatis ac statutum animi in actum perducere prius, quam ipsi de hoc certiores redditi essent. Petere igitur clementer atq; amice, ut, quod gravissimis de causis secum constituisset, ipsi firmum ratumque haberent &c.* maxime hæc confirmant verba *Wilhelmi Zenocari*, qui *l.5. de vita & gestis Caroli* ita scribit; *Carolus Cæsar veteribus innixus consiliis, summo studio à Germanicis Principibus VIIviris frequenter etiam atq; etiam petebat, ut sese Imperij fasces deponere paterentur, & quamvis jam antea gravissimè constantissimeq; , pluribus variisq; comitiis ea de re habitis, renuissent se facturos, tandem septennio elapso assenserunt.*

Clarè ex his character Imperii non absolute Monarchici, sed restricti & mixti conspicitur: Siquidem Carolus in Abdicando Imperio Romano non ita libere agere potuit, ut in abdicandis hæreditariis regnis: quibus quidem primo cessit, forsan ut

facilius Imperii quoque insignia deponere posset, & causâ approbatâ facilius Electorum consensum impetraret.

CAPUT II.

CUm necesse sit, causis idoneis moveri Electores, ut in Abdicationem consentiant, in eas, ob quas liceat Imperium resignare, paucis inquirere operæ pretium fuerit. Si Imperium adhuc esset hæreditarium & pure Monarchicum, voluntas Abdicantis plus, quam robur ullius causæ attenderetur: ut videmus in exemplo Maximiani & Diocletiani, à quibus rationem facti nemo requisivit, aut jure requirere potuit. Ita quoque Lotharius nemini factorum rationem reddere tenebatur, neque Carolus in abdicandis hæreditariis regnis, ut modo vidimus, apud eos enim fuit summum rerum judicium, ut vocat *Tacitus l. VI. annal. c.8.* Ubi vero Forma Reipubl. non est purè Monarchica, nec Principatus hæreditarius, sed electivus, & Majestas pluribus communicata, sicut in Romano Imperio hodierno tempore, tum causas, illis, à quibus accepit Imperium, examinandas proponat, necesse est, penes quos deinde positum est, utrum consentire velint, nec ne. Præcipua fere causa & maximi ponderis illa censetur, si Imperator ob senium aut valetudinem ad Imperii molem ferendam impar redditus est; Hanc Carolus noster allegavit, ut constat ex Legatorum ad Electores *Oratione*, apud *Godelevæum Tom.2. Schard. p.1914. ex Capitulat. Ferd. procem.* apud *Limn. ex consilio Seldi apud Goldastum. Famianus* etiam *Strada* l. 1. d. 1. narrat, quomodo Belgii & Burgundiæ, & paulo post Hispaniæ dominia in Comitiis Belgii Ordinum, Bruxellis habitis, deposuerit, ubi subnectit causam, quam eo tempore præ se tulit, *ipsam* scilicet *senectutem & valetudinem*, Conf. *Godelev. in Tom.2. Schard. p.1898. & Freher. T.3. p.484.*

Hanc autem causam solam fuisse nemo facile credit. Suberant certè aliæ, quæ variè à Scriptoribus referuntur. Sunt, qui precibus Filii Philippi, cupidine imperandi flagrantis, motum affirmant, ut hæreditaria regna ipsi relinqueret, indeque factum esse, ut etiam Imperii fasces deponere coactus sit, cum

Imperatori

Imperatori ex proprio dignitas Imperatoria sit sustinenda. Hoc facto certe aliquo modo imitatus esset Alphonsum I. Hispaniæ Regem, qui cum seculi X. initio laudabiliter regnasset, Filio Garsiæ, mortem Patris impatienter expectanti, & regnum occupare conanti, sponte cessit, filiique deinde auspiciis adversus Mauros feliciter pugnavit, ut refert ex *Ambrosio Morale Bzovius ad annum DCCCC. VII.*

Præcipue alias prolixus est *Strada l.*1. *d.*1. in enumerandis causis, quæ tum temporis opinionibus & judiciis hominum circumferebantur de Cæsaris secessu, *præterquam enim,* inquit, *quod assidue articulari morbo vexatus esset, etiam animi ægritudine eum laborasse, quam ex nimia Henrici II. Galliarum Regis felicitate sibi formidabili concepit; ad hoc animo oberrasse iniquam cum Mauritio Electore pactionem, infeliciterq; tentatam Metim, & fortunæ (quam juvenum amicam appellabat) mutationem.* Quæ confirmare videtur *Godelevæus* T.2. *Schard. p.*1897. scribens: *Quod non desint fide & authoritate præstantes viri, qui referunt, cum essent, qui à sententiá eum abducere vellent, dixisse ipsum, impendisse se quæ habuisset omnia, & quidem in fulciendum tuendumq; maximè Ecclesiasticum Statum, pecuniam, quæ quidem reparari, quodq; damnum sarciri possit, sed amissam quoq; esse existimationem nominis, & valetudinem bonam, & studia hominum, quæ recuperaturus esset nunquam.* Iisdem plane verbis hæc describit *Joach. Camerarius in annotat. rerum ab anno M D L. usq; ad annum M D LXI. apud Frcher.* Tom.3. *pag.* 495. addit tamen, *Carolum insuper dixisse, omnem spem ereptam esse, Filio Imperium conciliandi,* Add. *Thuan. lib.*16. *in fin.* Præterea alii inusitatæ gloriæ cupiditati id tribuebant, eumque famæ indulgentissimum animi sui æquitatem ostendere voluisse: alii religione motum, & placandæ iræ divinæ gratia id fecisse scribunt, quod scilicet contra datam Pontifici fidem, cum Anglo, ut ille putabat, Hæretico, fœdus percussisset; quod interimisticam in Germania religionem permisisset, quod Româ captâ & direpta, Vicarium, uti ajunt, Christi captivum detinuisset &c. His omnibus pœnitentiâ eluendis solitudinem elegisse. Id certe constat, Carolum jam diu consilium illud animo agitasse, & quidem triginta annis ante, quam id exequeretur, nunc vero exhaustis viribus, & adversis eventis fractum id perfecisse. Testibus *Godelev.*

Tom.

Tom.2. Schard. p.1896. Camerar. Tom.3. Freh. pag.494. Strada vero *cit. loc.* Eum octo annis ante, in Testamento Augustæ condito, mentionem futuræ Abdicationis fecisse scribit. Cæterum has inter causas Justifica est, sola *virium imbecillitas*, reliquæ vero suasoriæ, quæ etsi plus fortasse ponderis haberent, ad animum Cæsaris impellendum, tamen nec allegatæ ab illo fuere publicè apud Electores Imperii, nec, si fuissent, causæ pondus aliquod adjecissent, impetrando eorum consensui; Quin ista quoque vix invenisset locum, nisi necessitatibus Imperii, jam pridem electo Rege Ferdinando, abunde fuisset satisfactum.

CAPUT III.

CUm Imperatori liceat certo modo se abdicare Imperio, in cujus manus commissam Majestatem tradere debeat? dispiciendum est. Antehac nemo dubitavit, quin in manus Electorum, tanquam à quibus accepit, Imperator abdicaturus Imperium reddere deberet, illi enim sunt, à quibus totius Imperii nomine Titulum & jura Majestatis, quæ habet, possidet, ea vero cum non habeat solus, nec omnia, nec hæreditaria depositurus, rerum ordini nexuique naturali conveniens est, ut cum illis, à quibus accepit, tum illis, cum quibus communiter tenuit, potestatem resignet. Jam vero cum Carolus V. Imperium restituisset Statibus, Paulus IV. Pontifex Romanus dubium movit, & resignationem Imperii in suas manus fieri debuisse, multis rationibus demonstrare conatus est. Cum enim Ferdinandus Imperator post mortem jam Caroli, per Gusmannum Legatum suum Pontifici, quæ in Imperio hactenus acta essent, significare vellet, Papa insperatis suis postulatis non solum Caroli jam defuncti resignationem irritam facere, & Electorum acta rescindere, conatus est, sed & Ferdinandum agnoscere Imperatorem noluit, vid. *Thuanum* prolixius hanc Historiam describentem. l.21,

Veruntamen nullam in Imperio potestatem Pontifici esse concedendam, ejusque prætensiones injustas plane esse, persuasissimum habemus cum *Carpzovio, comm. in Legem Regiam Germ. cap.*14. & aliis. An tamen Carolus, è suâ religione conscien-

tiam

tiam informans, debuerit Imperium depositurus, illius vel consensum impetrare prius, vel, quod volunt isti, ejus in manus, quasi ab ipso etiam acceptum, tradere, disquiri meretur: Ideoque Papæ rationes, utrum negligi ab eo potuerint, audire lubet: *Primo*, cum Pontifex Christi sit vicarius, Christo vero omnis potestas data sit in cœlo & in terrâ, ergo, ajunt, Pontifici eandem, ac proinde etiam in omnia terræ Imperia esse concedendam? Sed verò vicariatum hunc Papæ, etsi Pontificii concedere coguntur, hactenus tamen ausi non sunt, ne ipsi quidem Pontifices ad alia, quam Ecclesiastica, extendere, nisi quod indirectam quandam in Principes Regesque potestatem ex ipso illo Christi vicariatu derivant, juxta quam, si Ecclesiæ profectibus illi remoram faciant, in eos animadvertere, aut quocunque alio modo eorum regimini intervenire Papa possit. Nam etsi adulatores quidam Pontificum eam potestatem ad transferenda ac donanda mundi regna quævis extendere conati sunt, tamen inter dogmata Ecclesiastica id non est relatum. Annon vero ipse Carolus suæ causæ præjudicium fecerit, agnoscendo tantam, quantam sibi vindicant, Pontificum potestatem in regna mundi alia, dum Indiæ occidentalis imperium illo solo jure se possidere necesse habuit credere, quo Ferdinandus Catholicus, avus ipsius maternus, sibi acquisivit, donatione nimirum Alexandri VI. Papæ, qui populos omnes Barbaros à primo meridiano versus ortum habitantes Lusitano; versus occasum Hispano, ne videlicet invasores alienæ rei essent, ex illa suâ plena potestate in mundi regna quævis, concessit, id disquirendum aliis relinquo. nimirum ubi conducebat, agnita illa est potestas! alibi acerrime impugnata. à primis certe initiis Pontificum istis prætensionibus alioqui contradictum esse compertum habemus. ex innumeris hujus rei monumentis id unum producam, quod jam olim Fridericus II. Imperator ad Regem Galliæ his verbis extulit, *Etsi Romanus Pontifex plenariam in spiritualibus habeat potestatem, ut peccatores quoslibet possit absolvere & ligare, nunquam tamen legi, ut Papa, divinâ vel humana lege concedente, possit transferre pro lubitu Imperium, aut de Regibus & principibus in regnorum privatione temporaliter judicare. Lehman.* ex monumento ipso *l.5. Chron. Spir. c.32.*

Tanta vero hujus poteſtatis amplitudo cum ſit, ut ad regna Chriſtiana quævis, imo totum terrarum orbem ſe extendat, & vero peculiari ratione Romani Imperii conferendi ſibi jus Pontifices arrogent, aliis utendum ſibi quoque argumentis exiſtimavit *Bellarminus* in ſuo opere de *Translatione Imperij* contra *Illyricum*. Nimirum quod iſta Translatio à Græcis ad Francos, & mox ad Saxones, Pontificum fuerit munus, ex quo ſequatur, Romanum Imperium beneficium Pontificis, Imperatorem vero quaſi ejus Vaſallum eſſe. Aſſumptum quod attinet, abunde id conſtat, Italiam à Longobardis vindicatam jure belli, Romam ipſam (nihil extra ſua pomœria publicè tunc poſſidentem) advocatione Senatus populique Romani in Caroli M. poteſtatem veniſſe, dudum antequam Auguſti & Imperatoris titulos illos Pontifex acclamante populo illi conferret. Si quid igitur eſt, quod in Carolum Magnum collatum eſt à Papa, nil præter nomen fuit. in quam ſententiam jam olim *Johann. de Pariſiis in Tract. de Poteſtate Regia & Papali cap.16.* hæc verba habet; *quod Papa Imperium de Græcis tranſtulit ad Germanos, Reſpondeo, non tranſtulit veritatem, ſed nomen, quia indignabantur Romani, quod Imperium vel Imperij nomen ab iiſdem Conſtantinopolim erat tranſlatum, & ideo Carolo, quem pro ſua defenſione vocaverant, victoriis habitis laudes acclamaverunt, & Imperatoris ei nomen dederunt*, ex *Chronico Floriacenſi*. Eodem refer, quod canit hac de re *Güntherus* tempore Friderici primi *l.6. Ligurini ſui.*

Num Petrus & Clemens & cætera turba piorum
Sceptra Latina dabat? Romanus tempore priſco
Pauper erat præſul, regali munere crevit;
Nec tamen ut faſces & regni jura Latini
Vel dare præſumat, vel cuiquam tollere poſſit,
Sed neq; tanta fuit largitio, nec dare quiſquam
Quó caret ipſe, poteſt, hujus collatio regni
Authorem ſortita DEUM, contingere nulli,
Jure poteſt hominum, collator muneris hujus
Eſt DEUS -- -- -- -- --

Cæterum magnus eorum numerus, qui ex professo in hac materia versati sunt, huc referri posset, nisi brevitatis habenda esset ratio. præcipui sunt *Guilielmus Ockamus*, *Marsilius Menandrinus Patavinus*, *Franciscus Petrarcha*, *Gregorius Heimburgius*, *&c.* quos omnes *Goldastus in Monarchia suâ Imperij*, ad Imperatoris Majestatem à Pontificis tyrannide vindicandam, exhibet. Quæ cum ita sint, neque Carolus V. neque Ferdinandus Frater religioni sibi ducere debuere, cum Pontificem Romanum in Abdicationis negocio ita negligerent, ut de ejus consensu impetrando non essent solliciti: cùm id superioritatis jus in Politicis Imperii negociis, sive ex titulo Translationis, sive ullo alio à Pontificibus Romanis prætensum, eorum Antecessores non agnoverint, sed eidem constanter & apertè in Imperio nostro sit contradictum.

Pergit vero *Bellarminus* etiam ex *Coronatione Imperatoris*, Pontificum manu pridem facta, tale Pontifici superioritatis jus asserere. Sed qua id consequentiæ virtute, ipse viderit. Nam & Imperatores Constantinopolitani ab illius urbis Patriarchâ ungi coronarique consueverunt, & Reges Galliæ ab Archiepiscopo Remensi inunguntur, neque tamen Episcopi illi sunt supra Reges. Plures quoque Imperatores à Pontifice coronati non sunt, & tamen legitimi fuere. Ita ipse Cardinalis *Cusanus* aperte scribit *l.3. de Concord. Cathol. cap.4. Unctio & Coronatio nec arguunt in Papâ majoritatem supra ipsam electionem, vel confirmandam vel infirmandam, sicut nec Unctio, quæ fit Regi Franciæ Remis, aut Coronatio ipsiusmet Imperatoris per Episcopum Coloniensem Aquisgrani.* Memorabile quoque est responsum Rudolphi primi Imperatoris, *multos*, inquit ille, *Allemannorum Reges Italia consumpsit. non ibo Romam. Rex sum, Imperator sum, nec minus pro utilitate Reipublicæ me facturum confido, quam si Romæ fuissem coronatus. Goldast. in Constit. Imp. Tom. I. p.311.*

Hæc itaque cum præcipua sint argumenta, quibus Pontifex potestatem sibi eam, de qua hactenus controvertitur, in Germanicum Imperium vindicare est conatus; jam palam est, assurgere iis nequaquam Carolum debuisse, etiam suis utentem principiis: præsertim cum fere omnes ante ipsum Imperatores talibus postulatis jam ex antiquo contradixerint.

Certe Fridericus olim Ænobarbus graviter offensus est, cum Hadrianus IV. Pontifex his verbis in Epistola ad eum missâ usus esset, *debes, Fili Charissime, ante oculos gratanter reducere, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit & honoris S.S.R. Ecclesia, & qualiter Imperialis insigne coronæ libentissime conferens, benignissimo gremio suo, Tuæ sublimitatis apicem studuerit confovere. Neq; tamen pœnitet nos, desideria voluntatis Tuæ in omnibus implevisse, sed si majora beneficia Excellentia Tua de manu nostra suscepisset, non immerito gauderemus.* Hac, inquam, Epistola lecta, Imperator non solum, sed & Principes qui aderant, tantâ indignatione commoti sunt, ut, cum alter legatorum diceret, *à quo ergo Imperator habeat Imperium, si non à Papa?* Otto Palatinus evaginato gladio in eum impetum fecerit, ipsumque trucidaturus fuerit, nisi ab Imperatore fuisset prohibitus. *Radevic. l.1. c.8.* Ideo autem Imperium *beneficium* vocari Principes tantopere aversati sunt, quod feuda eo tempore beneficia appellarentur.

Ludovici quoque Bavari tempore, Electores acriter sacram Imperii Majestatem tutati sunt. In Moguntiæ vico Reinensi congregati, & Benedicto XIV. hujus nominis Pontifici, literis transmissis, tales prætensiones in Imperium graviter retuderunt. Epistola exhibetur in *Rebdorff.* T. 1. *Freheriano p.* 427. Decretum insuper omnium consensu factum, & sequentibus Comitiis Francofurtensibus in Imperio publicatum est, quod *Lehmannus* ex Balbo Gurcensi recenset. *l. VII. c.* 17. & *Aventinus l.* 7. *in annal. Bojorum.* Decretum Latino Idiomate promulgatum ita habet:

Licet jura utriusq; testamenti manifeste declarent, Imperialem dignitatem & Potestatem immediate à Filio DEI ab antiquo processisse, & DEUM per Imperatorem & Reges mundi jura humano generi aperte tribuisse, & quod Imperator ex sola electione eorum, ad quos pertinet, verus efficitur Imperator, nec alicujus alterius eget confirmatione seu approbatione: quoniam in terris quoad temporalia non habet superiorem, sed eidem gentes subsunt, & nationes: Et ipse Dominus noster JEsus Christus mandavit, quæ sunt DEI DEO, & quæ sunt Cæsaris Cæsari reddenda; Quia tamen nonnulli avaritiæ & ambitionis cæcitate ducti, & nullius scripturæ intelligentiam habentes, sed divertentes à tramite recti sensus in quædam iniqua & prava commenta, & in assertiones

ſertiones deteſtabiles prorumpunt, contra honeſtatem & auctoritatem Imperialem & jura Imperatorum, Electorum, & aliorum Principum & Imperij fidelium committentes, fallaciter aſſerentes, quod Imperialis dignitas & poteſtas eſt a Papá, & quod Electus in Imperatorem, non eſt verus Imperator, niſi prius per Papam aut ſedem Apoſtolicam confirmetur, approbetur & coronetur: & per hujuſmodi pravas aſſertiones & peſtifera dogmata hoſtis antiquus movit lites, jurgia ſuſcitat, contentiones parit, & ſeditiones procurat. Ideo ad tantum malum evitandum, de conſilio & conſenſu Electorum, & aliorum Principum Imperij declaramus, quod Imperialis dignitas & poteſtas ſit immediate à ſolo DEO, & quidem de jure & Imperij conſuetudine antiquitus approbata; poſtquam aliquis eligitur in Imperatorem ſive Regem, ab Electoribus Imperij concorditer, vel majori parte eorundem, ſtatim ex ſola electione eſt Rex verus, & Imperator Romanorum cenſendus & nominandus, & eidem debet ab omnibus Imperio ſubjectis obediri, & adminiſtrandi jura Imperij, & cætera faciendi, quæ ad verum Imperatorem pertinent, plenariam habet poteſtatem, nec Papæ ſive ſedis Apoſtolicæ, aut alicujus alterius approbatione, confirmatione, authoritate indiget vel conſenſu; & ea propter hæc in perpetuum valitura lege decernimus, ut Electus in Imperatorem concorditer vel à majori parte Electorum, ex ſolà Electione cenſeatur & habeatur ab omnibus pro vero & legitimo Imperatore, & eidem ab omnibus ſubjectis Imperio debeat obediri, & adminiſtrationem & juriſdictionem Imperialem, & Imperialis poteſtatis plenitudinem habeat, & habere & obtinere ab omnibus cenſeatur, & firmiter aſſeratur. Quicunq; autem contra hæc declarata decreta vel definita aut aliquid eorum aſſerere vel dicere, aut aſſerentibus vel dicentibus conſentire, vel eorum mandatis, vel literis, vel præceptis obedire præſumpſerit, eos omnibus feudis, quæ ab Imperio detinent, & omnibus gratiis & juriſdictionibus, privilegiis & immunitatibus, à nobis vel prædeceſſoribus noſtris eis conceſſis, ex nunc privamus, & ipſo jure & facto decernimus, eſſe privatos. Inſuper eos crimen læſæ majeſtatis decernimus incurriſſe, & pœnis omnibus impoſitis crimen læſæ maieſtatis committentibus ſubjacere. Datum in oppido noſtro de Franckenfort. d. 8. Menſ. Aug. anno Dom. 1338.

Eventus itaque totius controverſiæ, quam Paulus IV. Ferdinando, propter Abdicationem Caroli non ſibi factam, movit, alius non fuit, quam ut, poſt breve negotium, quod Ferdi-

nando in vindicando ſuo jure faceſſebat (Seldo enim Cancellario ſuo injunxit, ut poſtulata Pontificis ſcripto luculento redargueret, quod exhibet *Goldaſt. parte 5. in den politiſchen Reichshandlungen.*) ridendum ſe potius, quam formidandum aliis præberet. Certè ejus in throno Papali ſucceſſor Pius IV. fateri iniquitatem poſtulatorum Anteceſſoris ſui coactus eſt, cum, quæ ille improbavit pertinaciter, hic mox rata haberet. teſte *Thuan. l.21.*

CAPUT IV.

QUod tempus & ordinem attinet, quo ſe Imperio Carolus abdicavit, diverſitas eſt apud ſcriptores; alii Anno M D LV. alii LVI. alii LIIX. Abdicationem fuiſſe factam ſcribunt: Sed facili negocio hac in re conciliari poſſunt, quippe An. M D LV. Belgio, Burgundia & Hæreditariis regnis ceſſit. *Godel. T. 2. Schard. p.1897. Thuan. l.12. hiſt. ad annum M D LV. Joach. Camerarius T. 3. apud Freherum. p. 484. Famian. Strada. l. 1. d. 1.* Anno M D LVI. in Hiſpaniam navigavit, & Imperii Adminiſtrationem Ferdinando Romanorum Regi, ut ſæpe alias, commiſit, nondum tamen à ſe abdicavit, ut teſtantur literæ ad Ordines Imperii miſſæ, quibus mandat, ut Fratri interea pareant, quas exhibet *Godelev. T.2. Schard. p.1907.* Legatos quoque eo anno ad VIIviros miſit, qui conſenſum eorum impetrarent ſuſcipiendæ Abdicationi. *Thuan. l. hiſt. 12. ad annum M D LVI.* Demum vero anno M D LIIX. Legati auditi ſunt in Comitiis Francofurtenſibus, ubi Abdicatio rite facta, & ab eo tempore Ferdinandus pro Imperatore habitus eſt. *Godelev. T.2. Schard. p.1915.* ideoque non accurate ſcribunt quidam alias Eruditiſſimi Chronologi, inter quos *Chriſtophorus Adamus Rupertus,* Carolum An. M D LV. ſe Imperio abdicaſſe, cum uſque ad annum M D LIIX. Caroli Imperium duraverit, licet interea adminiſtrationis curam Rex Romanorum geſſerit. Confirmatur hoc ex eo, quod uſque in annum M D LIIX. ſub nomine & ſigillo Caroli edicta Imperialia in publicis Imperii dicaſteriis ſunt edita. *Godelev. T.2. Schard. p.1916.* Videri alioqui Carolus poſſet præter ordinem feciſſe, quod non expectato Legatorum reſponſo in Hiſpaniam ipſe abiit,

abiit, Ferdinando Fratri administratione tradita; potuissent enim Electores non consentire. Verumenimvero, cum hæc traditio non fuerit alia, quam fiduciaria, ut ex ante dictis clarum est, sæpiusque idem ab eo factum fuerit antea, quoties in Hispaniam aut Africam profectus, aliisve negotiis districtus fuit, nulli utique potiori jure, quam eidem Romanorum quippe Regi, in eum finem Electo, ut Imperatori in administrando Imperio subveniat, potestatem tractandi & constituendi nunc quoque concessit, publicoque edicto monuit, ut Ordines interim ei parerent, usque dum Electorum impetrato consensu penitus abdicaret. Pleno enim jure Ferdinando Imperium tradere, etsi ille in spem successionis jam fuisset evectus, Carolus non æque valuit, atque Diocletianus & Maximianus Herculius Galerio Constantioque, quos pridem Cæsares dixerant: nimirum propter defectum plenæ potestatis in Abdicando, quæ penes istos quidem fuit: etsi alioqui Ferdinando successio non potuerit dubia amplius reddi.

Quod vero non expectato Electorum Consensu in Hispaniam abierit Carolus, tempori adscribendum est: miserat Legatos ante discessum suum ad Electores, sed illi mandata biennio demum post exponere potuere, multis intervenientibus causis. *Godelev.* apud *Schard. p.* 1908. *Thuan. l.* 13. *ad annum M D LIIX.* Ille interim tamdiu expectare, & tempestatem ad navigandum commodissimam negligere non potuit. Cæterùm nec de Principum consensu dubitavit, quod Imperium, se absente, nullum accepturum detrimentum sciebat, facileque consensuros Electores, eximia benevolentia prosequentes Ferdinandum, quem in procurandâ pace publicâ adeò facilem experti erant.

Legati itaque Guilielmus Princeps Arausius, Sigismundus Seldus JCtus, & Hallerus Secretarius anno M D LIIX. in Comitiis Francofurtensibus comparuerunt, & in Principum Electorum consessum introducti, ibi mandata exposuerunt, (quorum summam habet Godelevæus) xxiv. d. Februar. eo videlicet die, quo Carolus ante annos LIIX. Gandavi natus erat. *Zenocarus l.*1. *p.*23. ante tres & viginti annos Franciscum Galliæ Regem

Regem ceperat. *Idem l.1. p.42.* ante vero annos viginti & octo Bononiæ à Clemente VII. Romanâ Coronâ erat insignitus, *Henr. Corn. Agrippa* T. 2. *Schard. p.1261. Godel. ibid. p.1913. Zenocarus l. 5. p.293. Thuan. l.15. hist.*

Electores denique ægrè consensisse author est *Zenocarus l.cit. Godel. T.2. Schard. p.1915.* Quod Abdicationis attinet formulam, facta illa est simpliciter, sine conditione aut reservato. Per illam itaque remissa sunt obsequia Statibus, reddita Majestas Imperii, ut alii conferretur. Tituli tamen axioma retentum, non aliter, quam ut quidam pristini splendoris radii relinqui solent post solem. Cæterum quod ita redditum semel est, repeti quasi jure postliminii non potuit. Quin autem idem, qui Imperio cessit, revocari novâ Electione VIIvirorum ad capessendas Imperii habenas possit, modo ipse velit, nemo dubitat. Sunt alioqui ut rara exempla eorum, qui Imperium deposuerunt, ita rariora, qui resumere conati sunt, quanquam & illud etiam infelici successu: Maximianus nempe Herculeus in conatu ipso occisus, & Henricus IV. nunquam serio id dimittens, quod dimissurum se invitus spoponderat, itaque destitutus fere ab omnibus tempestivâ morte occupatus est. Quod vero Carolus præviâ accuratâ deliberatione in hac re semel decrevit, nunquam mutare voluit. Nec verisimile est, Carolum initi consilii pœnituisse, ut quidam ferunt, quod Gravellano post aliquot annos dicenti ad Philippum Regem: *Anniversarium illum esse diem, quo Carolus Pater Imperio regnisq; cesserit*; is responderit, *& hunc quoq; diem anniversarium esse, quo illum cessisse pœnituit*: addit suum judicium *Strada l. 1. d. 1. Hoc,* inquiens, *incerto rumore prolatum facile percrebuit apud homines, non in tam inaudito facinore constantiam vel unius diei persuadentes: nisi forte Philippus putavit, in parente non laudandum, quod imitandum sibi non statueret.*

In quo *Stradæ* judicio & nos acquiescimus.



DISSERTATIO XII.

DE ELECTIONE IMPERATORIS ROMANO-GERMANICI.

I.

PLurimum intereſt in Republica, quomodo ad illum, qui ex omnibus unus, præcipuâ vel ſummâ cum poteſtate, imperaturus eſt, civile regimen perveniat. non quod ipſa Reipublicæ forma hinc dependeat, & *diſcrimen ſummi Imperij, aut ſummo minoris, ex delatione Imperij per electionem aut ſucceſſionem ſit petendum*; ut exiſtimârunt, quos *H. Grotius de Jure Bell. & Pac. lib.*1. *cap.*3. *n.*10. refutat: Neque quod ex duobus hiſce primariis ad Imperium perveniendi modis, unus in alterius opprobrium unicè ſit commendandus. Sed quia multarum nationum ætatumque experimentis comprobatum eſt, publicam Imperiorum tranquillitatem perinde vigere, vel periclitari, prout regiminis deferendi propagandive ratio, cum ipſo gentium ac Rerumpublicarum habitu ſtatuque bene aut ſecius, vel ex ſe convenit, vel per fundamentales Reipublicæ leges conciliatur. Reſp. Joh. Georgio Grambs, d. 6. Mart. 1676.

II. Quod argumento eſt, nobiliſſimam diſciplinæ, quæ circa iſthæc verſatur, partem, exemplis, cognoſcendiſque præcipuis variorum populorum inſtitutis conſtare. Electionis autem forte per univerſum orbem illuſtrius atque ad multiplicem profectum civilis ſcientiæ accommodatius ſpecimen occurrit nullum, quam in Imperio noſtro Romano-Germanico: præſertim ſi variæ temporum rerumque vices expendantur, per quas ad iſtam formam deventum eſt, qua hodie peragitur Imperatoris Electio. Unde pretium operæ me facturum exiſtimavi, ſi quaſdam hujus generis meditationes Academicæ diſquiſitioni ſubjicerem: & id quidem, non argumenti ſupra captum ætatis meæ poſiti, ſed ingenii duntaxat excolendi ſtudio propo-

ſitoque: quod directioni Divinæ, gratiæ Superiorum, Commilitonumque favori obnixè cupio eſſe commendatum.

III. Sequar autem, ut ordo dicendis conſtet, partitionem, quam in explicanda Magiſtratuum creatione commendavit & amplexus eſt *Ariſtoteles Politicor. lib.IV. cap.15.* ubi monet multum referre, ut in conſtitutione magiſtratuum accuratè diſtincteque cognoſcatur *I. Ex quibus creentur Magiſtratus? II. à Quibus? III. Quomodo?* His autem breviter pro inſtituti modo expeditis, illi quoque Philoſophi admonitioni locum dabo, qua curari ſtudiosè vult, *ut rectè ac cum judicio tota hæc res applicetur, ſinguliq; quibus hæc fieri queunt, modi, ſingulis Rerumpublicarum formis accommodentur.*

IV. Primus locus, EX QUIBUS ELIGATUR IMPERATOR? duo complectitur; *Nationem* eligendi & *Ordinem*: Natione *Germanus* ſit oportet, ut quis ad hoc faſtigium *idoneus* exiſtimetur. In quo diſtinctè inveſtiganda eſt ratio, *tum* quâ Germaniæ Rex alius quam Germanus eligi non poteſt; *tum* quâ Romanus Imperator creari nequit, niſi qui Rex Germaniæ eligitur. Atque Germanos quidem ab alienigenarum Regum dominatu inde jam ab antiquo non immunes duntaxat, verum maximè averſos fuiſſe, reperio. Unde jam apud *Tacitum* maximo popularium applauſu, contra Italum quanquam Germanicæ ſtirpis Principem, ſolum quod is Romæ natus eſſet, fremunt Cheruſci: *Adimi veterem Germaniæ libertatem, & Romanas opes inſurgere. Adeò neminem in iiſdem terris ortum, qui principem locum impleat; niſi exploratoris Flavij progenies ſupra cunctos attollatur? Fruſtra Arminium præſcribi: cujus ſi filius hoſtili in ſolo adultus, in regnum veniſſet, poſſe extimeſci, infectum alimonio, ſervitio, cultu, omnibus externis.* Eſtque omnium deinceps ſeculorum experientia comprobatum, quod in graviſſimo conſilio ad Maximilianum II. tradit *Lazarus Svendius*: *Daß das Teutſchland, ſo lang man darvon Gedächtnuß hat, und biß in die zwey tauſend Jahr her, ſchier vor allen andern Nationen und Volckern dieſen ſondern Vortheil, Gab und Gnade von Gott gehabt, daß es ſich allewegen vor allem frembden Gewalt geſchützet und erhalten hab: alſo daß es ſich niemahl durch einige fremde Nation hat regieren und beherrſchen laſſen. &c.*

Ann. XI, 16,5.

ap. Goldaſt. Politiſch. Reichshändel Part. 24. cap.3. §.9.11. & 15.

V. De Romano autem Imperio satis liquidò constat, inde jam ab Ottone I. ejus hanc conditionem fuisse, ut illud nemini deferretur, nec deferatur etiamnum, nisi quem Germania sibi Regem elegit. Magna certè cum fiducia provocarunt ad jus istud Proceres Germaniæ in electione Friderici I. è quibus unum producit *Guntherus* ita de hac re disserentem: *Ligur. lib. 1.*

Quodlibet arbitrium statuendi Regis habemus,
Ex quo Romanum nostrâ virtute redemtum
Hostibus expulsis ad nos justissimus ordo
Transtulit Imperium: Romani gloria regni
Nos penes est: quemcunq; sibi Germania Regem
Præficit, hunc dives submisso vertice Roma
Suscipit, & verso Tiberim regit ordine Rhenus.

Neque ipsos Romanos Præsules aliter sensisse complura testimonia illorum comprobant: imprimis Innocentii III. qui citra ambages profitetur: *se recognoscere illis Principibus, jus & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promovendum, ad quos de jure & antiqua consuetudine noscitur pertinere.* quanquam is originem juris hujus non ab Ottone demum, sed Carolo M. repetat. Post hunc Gregorius X. quando de Rudolpho Habspurgico præ Ottocaro Bohemiæ Rege ad Imperium eligendo deliberabatur; *Cum in Alemannia*, inquit, *plures Principes & Comites habeamus, quare vellemus Sclavum ad Imperium sublimare?* *Cap. Venerabilem. 33. X. de election.* *Siffrid. Presbyt. A.C. 1274.*

VI. Objiciuntur quidem vulgo Alphonsus Castellanus, Richardus & Eduardus Angli, in Romanorum Imperatores electi. Sed parum existimo his exemplis motum iri, qui statum temporum, vel ipsum solummodo modum eventumque, quo quisque electus est, paulo diligentius expenderit. Nam Alphonsus quidem & Richardus electi sunt turbulentissimo illo intervallo, quod inter Fridericum II. & Rudolphum I. intercessit; quo quam nihil fere jure ac more probo in Republica gestum administratumque sit, dicere nihil attinet, vid. *Lehmann. Chron. Spir. lib. V. cap. 95.* de electione verò ipsa operæ pretium fuerit scriptoris Itali atque illis temporibus coævi judicium adducere *Monachi sc. S. Justinæ Paduanæ: qui lib. III. de rebus Insubri-*

bus & Euganeis scribit: *Interfecto a Frisonibus in bello Rege Alemanniæ Guilelmo: convenerunt Principes ad electionem more solito faciendam: cum igitur tractarent de Principe idoneo eligendo, humani generis inimicus seminavit zizania inter eos. Nam quidam Comitem Richardum, fratrem Regis Angliæ, Regem Allemanniæ elegerunt: alij verò vota in Regem Castellæ penitus transtulerunt:* neque obscurum esse sinunt scriptores illis temporibus vel coævi, vel proximi, quibus armis patriæ mos oppugnatus tum fuerit à Richardo.

A.C. 1257. Annales Dominicanorum Colmariensium: *Richardus frater Regis Angliæ donis Regnum obtinuit Romanum.* Fragmentum Historicum Alberto Argentinensi præfixum: *Episcopus Coloniensis audiens Wilhelmum esse occisum, ad Angliam perrexit, & inde duxit Richardum Ducem Cornubiæ, quem ipse & Episcopus Moguntinensis elegerunt in Regem, quibus dedit multam pecuniam, & cæteris Episcopis Alemanniæ & Nobilibus terræ. Et cum adhuc opulentus esset in divitiis, vehebatur per Principes Alemanniæ ad singulas civitates & oppida Imperij super fluvium Rheni. Cum autem Richardus Rex pervenisset usq; ad Civitatem Basileam, defecit ei substantia. tunc reliquerunt eum Principes Alemanniæ solum, dicentes, quod eum non elegerunt propter personam, sed ratione substantiæ; & dederunt ei libellum repudij, & per aliam viam reversus est in regionem suam: cujus Regis memoria cum sonitu periit.* Alphonsum verò neque tum, neque postea ab aliis quam à quibus electus fuerat pro Alemanniæ vel Romanorum Rege habitum esse constat. Unde Rudolphi I. denuò competitor fuit. Siffridus Presbyter: *Gregorius X. electionem Regis Rudolphi confirmavit, reprobatis nuntiis Regis Hispaniæ & Regis Bohemiæ.* Ita Eduardi quoque electio, sicut inter medias turbas & per factionem eorum maximè peracta est, qui ne jure quidem liquido eligendi Regem Germaniæ potiebantur: ita detrectante ultro oblatum diadema Eduardo, nec eventum habuit, nec ad interruptionem moris legitimi probandam ullatenus idonea esse potest. Consulatur de illa potissimum *Albertus Argentinensis in Chron. A.C.* 1348.

VII. Validiori ratione niti videntur, qui dubitant; an expreßâ lege unquam sancitum sit, ne alius quam Germanus ad hoc fastigium evehatur? Electorem equidem Moguntinum in electione Caroli V. ad publicas Imperii Constitutiones provocasse,

caſſe, teſtantur *Sleidanus Commentariorum lib.* I. *& Sabinus*, ſive potius, ut *Chytræi* indicio diſcimus, *Philippus Melanchthon in deſcriptione Electionis Caroli V. apud Goldaſt. Polit. Imper. Part.* I. *cap.* 17. ille quidem conciſius: *Legibus noſtris, & jurejurando nos arbitror impediri, ne Franciſcum eligamus, quibus cautum eſt, ne decus hoc Imperij transferatur ad exteros.* Hic plenius: *De Franciſco eligendo arbitror nos impediri noſtris legibus & jurejurando. Eſt enim diſertè conſtitutum, ne extero, ſed Germanico Principi Imperium commendetur, ne hoc tantum decus ad exteras nationes transferatur: & non modo Germania veniat in ſervitutem, ſed etiam in Italia, aut ſtatu Eccleſiæ mutatio ſequatur.* Sequitur mox: *Cum igitur conſtet, excludi Gallicum Regem conſtitutione publica, quam jurati in electione ſequimur, nihil opus eſt longâ diſputatione.* Qualibus quidem verbis ſi uſus eſt Moguntinus, rationem habet ſatis manifeſtam illorum explicatio, qui ad id reſpexiſſe illum dicunt, quod in Aurea Bulla Caroli IV. injungitur Electoribus, ut *idoneum* eligant: ſiquidem juramento Electorum aliud quidquam non legitur expreſſum. Neque tamen hoc modo potiſſima, quæ hic ſubeſt, difficultas expedita erit; niſi oſtendatur, qua lege cautum ſit, ne pro *idoneis* alienigenæ habeantur. Et omninò quidem de Patria eligendi quicquam lege aliqua expreſſa nunquam fortaſſe ſtatutum eſt: *ut alius quam Germanus eligi vel in Regem Germaniæ, vel in Imperatorem Romanum non poſſit:* Cæterùm ex eo, quod ſub Ottone I. uti ſolidiſſimè demonſtravit *Conringius*, Germaniæ in Imperium Romanum jus perpetuum transſcriptum, conſtitutumque adeò eſt, ne quis deinceps alius pro Imperatore Romanorum haberetur, niſi quem Germania ſibi Regem elegiſſet, veroſimillimum eſt, tacito conſenſu invaluiſſe illam, quæ hodie firmiter obtinet de Germano eligendo conſuetudinem: quod non aliter putaretur Imperii decus conſervari Germaniæ poſſe, niſi ipſi quoque Germaniæ Rex Germanus præficeretur. Imò nec ipſa traditio *Mutij, Irenici*, & aliorum, ac ſi tempore Ottonis III. Conſtitutio de Germano eligendo lata eſſet, aliunde videtur manaſſe, quam quia pridem opinio invaluerat, circa illa demum tempora jus eligendi Romanum Imperatorem ad Germanos fuiſſe tranſlatum: Cui quidem Albertus Argentinenſis etiam eſt adſtipulatus, initio *Chronici* ſui ſcribens: *Principes Germaniæ,*

de Imper. German. Rom. c. 10.

mania, virtute translationis ad ipsos factæ ex morte Ottonis Tertij Imperatoris, Richardum in Regem Romanorum eligere decreverunt. Confutavit verò illam abunde *Conringius de Imp. Germ. Rom. cap.* 10.

J.P.II.2.79. IIX. Circa ordinem eligendi requirit *Limnæus*, ut in Imperatorem promovendus sit *natus ex familia illustri*: & observat insuper *Conringius*, in omnibus Germanicis populis Reges non ex promiscuo hominum ordine, sed ex sola nobilitate creatos, idque de vetustissimis jam temporibus confirmat *Tacitus Germ. VII, 1.* ubi de Germanis, *Reges*, inquit, *ex nobilitate*; *Duces ex virtute sumunt*. Neque succedenti ævo stirpis antiquitas & decus neglectum, vel in Rege creando infra Comitum dignationem unquam est descensum. Imò ne ad Comites quidem perventum, nisi necessitate Reipubl. exigente, declarant exempla rariora Wilhelmi Hollandiæ, Rudolphi Habspurgi, & Adolphi Nassoviæ, denique Guntheri Svvarzenburgi Comitum. Imprimis autem ex Wilhelmi Hollandiæ Comitis electione observationem licet mutuari peculiarem: Imperatorio Culmini indecens esse habitum, nisi ante coronationem in equitum numerum solenni ritu cooptatus fuisset, qui, cum eligeretur, armiger duntaxat erat: quod de Wilhelmo *Joh. de Beka in Chron. p.77.* annotavit, & *in Chron. Belg. Magn.* transcriptum est.

Annotatio ad Lamp. part.3. c.4. §.1.

IX. Ad ordinem quoque eligendi pertinet, ut de *stirpe Regia* videamus: cujus multi rationem habendam negant, hoc ipso, quia Electivum est Imperium nostrum. Sed hi minus firmam concludendi rationem sequuntur: cùm electivo regno id demum repugnet, si stirps regia sibi jus vindicet in Regnum; vel in Regis ipsius arbitrio positum sit, quem sibi velit successorem constituere; quomodo inter privatos quoque patrifamilias conceditur, deficiente successore legitimo, vel existente etiam interdum illo, sibi testamento legere hæredem: qualis olim Regni Francici, atque sub antiquis Regibus ipsius etiam Germaniæ conditio fuit: quin & in illo divisioni insuper locus erat, quod hæreditariis tantùm Principatibus convenit: in hac stirps regia per varias vices aliquoties jure successorio excussa, repetere tamen illud & vindicare subinde non destitit, donec

extincto

extincto Friderico II. penitus collaberetur. Nam ante illum quidem usque ad Henricum IV. integrum illud viguisse, testantur ipsi Rudolphi Suevi suffragatores: dum sancire annitente Pontifice sunt moliti, *ut Regia potestas nulli per hæreditatem, sicut ante fuit consuetudo, cederet, sed filius Regis etiamsi valde dignus per electionem spontaneam, non per successionis lineam Rex proveniret, si verò non esset dignus Regis filius, vel si nollet eum populus, quem Regem vellet facere, populus haberet in potestate*: quæ licet non tam legitima constitutio, quam seditiosorum hominum contra jus & fas omne, legis ferendæ potestatem sibi arrogantium conspiratio fuerit: eam tamen, authoritate, nisi fallor, Pontificiæ confirmationis, in Germania opinionem concitavit; ut centum circiter post id tempus annis sub Friderico I. prorsus crederetur *id juris Romani Imperij apex sibi tanquam ex singulari vindicare prærogativâ: videlicet non per sanguinis propaginem descendere, sed per Principum electionem Reges creare*: ut *Ottonis Frisingensis* verba habent: quod etiam *Guntherus* carmine complexus est: *Bruno de Bell. Sax.* *de Gest. Friderici I. lib. : cap. 1.* *Ligur. lib. 1.*

Regibus est aliis potiundi jure paterno
Certa fides, sceptrumq́, patris novus accipit hæres:
Nos, quibus est melior libertas, jure vetusto,
Orba suo quoties vacat inclyta Principe sedes,
Quodlibet arbitrium statuendi Regis habemus.

Iterum tamen hanc rem ad pristinum statum reducere conatus est Henricus VI. ut ex *Chronico Belgico Magno* & *Gobelino Persona* *Conringius* refert: & post ejus mortem Philippus frater ejusdem, missis legatis ad Principes Germaniæ Andernaci creandi Regis causa congregatos, *effecit ut nulla ibidem celebraretur electio: tum propter sui & quorundam Principum absentiam, tum propter Regiæ generationis non destituendam prosapiam, tum propter juramenta Principum eidem generationi exhibita*: quod *Abbatis Urspergensis* testimonio discimus. Post Friderici II. mortem autem neminem reperio, qui sibi jus hæreditarium ad Imperium vel Regnum Germaniæ competere asseruerit: nisi quod *Albertus Argentinensis* scribit, *Albertum Austriacum, cum Papa contra Regem Franciæ illum instigare vellet, respondisse, se hoc non facturum, nisi sibi & hæredibus suis regnum & Imperium confirmaretur per Sedem.* Sanè *ad Lampad. III. 2. 4.* *Chronic. in Gest. Philipp. p. 54.* *Chron. p. 111.*

à quo

à quo tempore Imperatores ad certam formulam Capitulationis adſtringi cæperunt, omne jus hæreditarium atque ſucceſſivum, pro ſe ac universa ſtirpe regia ſolenniter abjurant: ſicut ex *Capitulationis Carolinæ Artic. XXIIX.* videri poteſt: qui in omnium ſequentium Imperatorum Capitulationes poſtea receptus eſt. Renunciavit autem Carolus juri ſucceſſorio his verbis: *Und inſonderheit ſollen und wollen Wir uns auch keine Succeſſion oder Erbſchafft deß offt ernennten Römiſchen Reichs anmaſſen, unterwinden, noch in ſolcher Geſtalt unterziehen, oder darnach trachten, auff Uns ſelbſt, Unſere Erben und Nachkommen, oder auff jemand anderſt unterſtehen zu wenden: ſondern Wir, dergleichen Unſere Kinder, Erben und Nachkommenden, die gemeldten Chur-Fürſten, ihre Nachkommen und Erben zu jeder Zeit bey ihrer freyen Wahl geruhiglichen bleiben, und gantz ungetrangt laſſen.* Quo ſicut clariſſimè demonſtratur, ſublato omni jure ſucceſſorio in Imperio noſtro, meram & liberam Electionem obtinere. Ita libertati huic Imperii merè electivi nullatenus repugnat, ſi eligentes non jure aliquo ſtirpi Regiæ competente, ſed Reipublicæ utilitate adducti, in eligendo Imperatore ſtirpis Imperatoriæ rationem habeant. quin imò videntur ad hoc pro certo rerum ac temporum ſtatu, ipſa Lege Aureæ Bullæ & vi juramenti Electorii per bonam conſequentiam obligari: ſi nimirum ea rerum & Imperii temporiſque conditio ſit, ut is, qui ex Imperatoris defuncti Familia ſupereſt, ſine imminente periculo Reipublicæ præteriri non poſſit, vel ſolus ad tuendam Imperii ſalutem tranquillitatemque neceſſariis viribus atque facultate ſit inſtructus: nam talem utique, juxta tenorem Aureæ Bullæ *idoneum* maximè habendum eſſe, nemo dubitaverit.

X. In *ſecunda Parte*, A QUIBUS FACIENDA SIT ELECTIO? hodie nulla dubitatio ſupereſt: cum ſatis liquidò conſtet, poſt *Auream Bullam & Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ*, jus & munus iſtud competere *Octoviris Electoribus*, tribus ArchiEpiſcopis, Moguntino, Trevirenſi & Colonienſi, & quinque Principibus Secularibus, Regi Bohemiæ, Ducibus Bavariæ & Saxoniæ, Marchioni Brandenburgenſi, & Comiti Palatino Rheni. Id circa Electores hoſce in diſceptatione maximè poſitum eſt: *quando & quo jure* munus iſtud iis cœperit ita proprium eſſe, ut excluſis reliquis,

reliquis, ſoli Germaniæ Regem & Romanum Imperatorem eligerent? Ubi, ne recenſendis aliorum ſententiis inhæreamus, obſervare licet, vetuſtiſſimos rerum Francicarum & Germanicarum Scriptores, *Electionis* nomine non tantùm uti, ad denotandam *veram Regum conſtitutionem,* quæ votis & ſuffragiis eligentium peragitur; ſed etiam *ſolennem illam declarationem* hoc vocabulo deſignare, qua, ut ipſi loqui amant, *Rex in ſolio Regni ſublimatur,* populoque uſitatis inaugurationis cerimoniis exhibetur: unde illos etiam Reges *electos eſſe* dicunt, in quos ipſa Imperii vis non *electionis* propriè ita dictæ, ſed *ſucceſſionis* modo translatum eſt. Eſt autem porrò certiſſimum, in ritu hoc ſolenni celebrando potiores partes primariorum in Regno Epiſcoporum atque Officialium indè à remotiſſima antiquitate jam fuiſſe. De Francicis Imperatoribus nihil attinet dicere: Ejus verò, qui, exſtincto Carolingorum Imperio, primus inter Germanos Imperatoris nomen geſſit, Ottonis videlicet I. inaugurationem ita deſcribit *Witichindus lib.2. Geſt. Saxon. pag.16.* ut Coronationem quidem à Moguntino ArchiEpiſcopo peractam teſtetur, ſed ſimul diſertè indicet, tum Trevirenſem & Colonienſem ArchiEpiſcopos ejus conſecrationis honorem ſibi vindicare conatos; tum Ottonem *à Ducibus ac cætero Magiſtratu* in ſolio collocatum fuiſſe. Ne de adminiſtratione ſolennium miniſteriorum in convivio Regio jam dicam. Licet autem præterea certò demonſtrari non poſſit, quando ad ſeptem illos Principes, qui poſtea Electores conſtituti ſunt, hæc officia Aulica & cum iis inauguratio Regia reſtricta ſit: id tamen, quod noſtro inſtituto ſatis eſt, indubia teſtimoniorum fide poteſt adſtrui, eo tempore ſolos hoſce VII. Principes dignatione iſthac jam fuiſſe inſignitos, cum ad conſtituendum per electionem Regem atque Imperatorem Romanum cæterorum quoque Principum ſuffragia adhuc requirerentur. Quin & ex hoc ipſo, quod rudioribus ſeculis major externæ huic ſolennitati, quam ipſi propriè ita dictæ electioni authoritas tribueretur, & is demum verè Rex haberetur, qui à Principibus iſtis in regno fuiſſet ſublimatus, invaluiſſe paulatim videtur, ut, qui antea ſoli facultatem inaugurandi habuerant, quem univerſi Principes elegiſſent, deinceps ſoli conſequerentur eligen-

di quoque Regis poteſtatem: concedentibus facilè cæteris Principibus: qui jam pluribus exemplis inducti fuerant, ut univerſum electionis ſuæ robur ab inauguratione ſeptem illorum Principum dependere exiſtimarent. Accedente præſertim traditione, artificio potiſſimùm Romanæ Curiæ diſſeminata, pridem jam ab Ottone III. fuiſſe inſtitutum, ut Imperatorem ſoli ſeptem Officiales Imperii eligerent. Mutationem autem iſtam poſt Friderici demum II. tempora contigiſſe, evidentiſſimè colligi poteſt ex *Alberto Stadenſi*, coævo Friderici ſcriptore; qui ſuis temporibus adhuc jus Electionis inter Officiales & cæteros Principes Imperii ita commune fuiſſe, ut univerſi quidem Principes ſuffragiis ſuis Regem conſtituerent, Officiales verò conſtitutum jam Principum electione ſolenniter inaugurarent, teſtatur his verbis: *Papa Gregorius inſolentias Imperatoris contra Eccleſiam metuens, Principes ſuper electione alterius ſollicitavit, ſed nihil profecit: quia quidam Principum reſcripſerunt, non eſſe ſui juris Imperatorem ſubſtituere, ſed tantum electum à Principibus coronare. Electio enim ad ipſos dignoſcitur pertinere.* Ex PRÆTAXATIONE *Principum, &* CONSENSU *eligunt Imperatorem, Trevirenſis, Moguntinus, Colonienſis, &c.* Neque aliter ſenſiſſe exiſtimo *Authorem Speculi Saxonici*, quem in eadem tempora refert *Conringius*, quando *lib.3. Art.57.* ita ſcripſit: *Den Käiſer kieſen des Reichs Fürſten, beyde Pfaffen und Leyen, die darzu dem erſten an der Wahl benandt ſind, die ſollen nicht wehlen nach ihrem Muthwillen, wen ſie wollen, ſondern welchen die Fürſten alle zu einem König erwehlen, denſelben ſollen ſie auffs allererſt beym Nahmen nennen, und kieſen.* Quale autem in hac inauguratione ſingulorum Officialium munus circa illa tempora fuerit, declarat *Jo. de Beka in Chron. p.78.* de Wilhelmi Hollandiæ Comitis inauguratione ſcribens: *Poſtera die, quæ eſt omnium Sanctorum feſtiva ſolennitas, univerſa multitudo Prælatorum & Principum deduxit electum Regem ad Baſilicam perpetuæ Virginis Mariæ, ut* SOLENNEM BENEDICTIONEM ACCIPERET, SECUNDUM RITUM ANTIQUÆ CONSUETUDINIS, *quem ex tunc Colonienſis Archiepiſcopus, Cancellarius Italiæ, collocavit in ſede Majeſtatis; ArchiEpiſcopus Moguntinenſis Cancellarius Germaniæ cum oleo ſanctificato dextram ejus foras unxit: ArchiEpiſcopus autem Trevirenſis Cancellarius Galliæ manus illi ſuperimpoſuit. Marchio quidem*

de Orig. Jur. Germ. cap. 30.

dem Brandenburgiæ Regis Camerarius annulum ei tradidit: Dux autem Saxoniæ Regis Justiciarius donavit ipsi gladium: Dux quidem Bavariæ, Comes Palatij, seu dapifer, dedit ipsi globum aureum. Rex dehinc Bohemiæ Regis Pincerna de consensu Coloniensis Archi Episcopi coronam argenteam capiti ejus superimpressit; hanc verò solennem benedictionem secundum ritum antiquæ consuetudinis peragi solitam, electionis nomine denotatam fuisse illius ævi Scriptoribus, patet ex eo, quod *Godefridus Monachus ad Ann.* 1198. scribit: *Coloniensem & Trevirensem ArchiEpiscopos electionem Regis sui juris esse firmasse.* quod tum quidem de alio quam inaugurationis jure illos non intellexisse inde colligi potest, quia eodem tempore cæteros Principes ad constituendum Regem Coloniam evocarunt. Sed & postea adhuc usum istum loquendi obtinuisse sequens locus demonstrat ex *H. Steronis Altahensis Annalibus ad A.C.* 1298. desumtus: *Electores Imperij Albertum Ducem Austriæ in Regem Romanorum, apud Francenfurt, unanimiter* ELEGERUNT. *Hic cùm prædecessorem occidisset*, ELECTUS FUIT *Aquisgrani in Regem.* Tametsi verò, ut modo innui, sub Friderico II. quidem nondum aliud quam consecrandi Regis jus Officialibus competeret; illo tamen è vivis sublato, authoritas illorum in ipsa electione, uti jam antea non exigua fuerat, ita ad excludendos reliquos, usu & conniventia tacitoque cæterorum Principum consensu, magis magisque invaluit, ut qui post illum electionis Regiæ meminerunt, jam in solidum illam Septemviris hisce transcribere non dubitent. inter eos autem imprimis *Martinus Polonus*, cùm in *Chron. Rom. Imp. Anno* 988. *& seqq.* scripsisset, *licet tres Ottones per successionem generis regnaverint, post tamen institutum fuisse, ut per septem Officiales Imperij Imperator eligeretur*, pluribus errandi occasionem præbuit, ut vel ab Ottone III. vel ejus tamen tempore institutum fuisse traderent, quod *Martinus*, nulla authoris & temporis additâ designatione, post Ottones tres institutum scripserat: quorum error à *Simone Schardio, Christophoro Gewoldo* aliisque frustra propugnatus, ab *Onuphrio Panvinio* aliisque abunde confutatus est: fontem verò ejus, quem dixi, indicat etiam *Cardinalis Baronius Annal. Eccles. Tom.X. A.C. 996.* Qui sicut ad confutandum *Bellarminum*, Gregorio V. institutionem septem Electorum asserentem, satis firma argu-

de Transl. Imper. lib.2. menta suppeditat: ita vicissim ex *Bellarmino* facile retundi potest ejus jactantia: dum gloriatur, *septem Electorum creatio à quonam Romano Pontifice fuerit primitus decreta, & ubi locorum, & qui electi fuerint, certo certius ex Synodalibus actis in promtu esse demonstrare, ut id tuto affirmari possit.* Postea vero explendo huic tanto hiatui satis habuit produxisse *decretum Concilij Lugdunensis*, quo Dux Austriæ, Dux Bavariæ, Dux Saxonum, Dux Brabantiæ, ArchiEpiscopus Coloniensis, ArchiEpiscopus Moguntinensis, & Salsburgensis, Electores sunt constituti. Cum tamen ex Scriptoribus, quos producit *Bellarminus*, quosque circa ipsa illa tempora Concilii Lugdunensis vixisse admonet, discere potuisset, decretum hoc nunquam in Germania receptum, neque Electores in eo recens constitutos, Salisburgensem videlicet, Austriacum & Brabantiæ Ducem, pro Electoribus agnitos fuisse.

XI. Cæterum de temporibus illis, quibus ab Electione Imperatoris Romani cæteri Principes exclusi nondum fuerant, verissimum est, quod contra *Onuphrium Panvinium* asseruit *Flacius Illyricus*: *Solis Germanicis Principibus, Pontifice, ejusdem Legatis, ut & cæteris Italis exclusis, eligendi jus competiisse.* *de Transl. Imp.* Neque exempla à *Bellarmino* producta ullo modo ad probandum contrarium valere possunt. Nam *Fridericum I.* quem ille ex *Urspergensi* ait Henricum Filium suum Romani Pontificis electione Regem constituisse; *ne minimum quidem in electione jus Pontifici competere, constanter sensisse*, apparet ex *Responso* ejus ad Episcopos apud *Guntherum in Ligurin. lib.VI.*

Debita Pontifici faveat reverentia: Regnum
Legibus antiquis, & prisco more regatur:
Cujus ab æterno tantùm collatio Rege
Provenit: ad Proceres Electio pertinet, in qua
Præcipuam vocem Præsul de jure vetusto
Moguntinus habet: Pastori prima recentis
Agrippine tuo conceditur unctio Regis.
Imperij nitidam summo sacrare coronam
Pontifici jus est; ut vero nomine possit
Non dator Imperij sed confirmator haberi.

Add.

Add. *Radevic. de Gest. Friderici I,16.* Neque validius argumentum est, quo in Electione Lotharii Saxonis Legatum Apostolicum suffragium tulisse colligit, quod illum *Continuator Sigeberti* scribat *in consultationem admissum,* tandemque subjiciat: *Lotharium omnium consensu electum,* ubi nemo non videt, quæ sit inter suffragium & consensum diversitas; quodque insuper hic ipse consensus de iis intelligi debeat, qui eligendi jus habuerunt: quod ad exemplum Conradi etiam notandum: cujus electioni quid addiderit, vel Nuncii Apostolici præsentia, vel populi Romani assensus, pronum est judicare. Nam Friderici quidem I. electioni, quo nomine consilioque interfuerint Italiæ Barones, declarat *Guntherus Ligurin. lib. I.*

Nec minus ex Italis multos & gente Latina
Traxerat huc rerum miratrix fama novarum,
Concilium, Regemq; novum, faciesq; verendas
Aspexisse Ducum, famosaq; nomina nosse
Optabant, populisq; suis exacta referre.

Quomodo tempore Ludovici Bavari, postulata Pontificis, ac si Electionis authoritas à Papali coronatione dependeret, retusa sint, cognosci potest ex decretis, quæ tum publicata sunt: apud *Freher. Script. Rer. Germ. Tom. I. p.426.*

XII. Quod ad partem tertiam attinet, Modum scilicet Electionis faciendæ, est ille tum Caroli IV. Aurea Bulla, tum exemplorum illustrium observatione uberrimè jam ab aliis descriptus: unde pro instituti modo aliqua excerpemus. Inter cætera itaque, quæ ex diuturna observantia Carolus IV. in legem scriptam transtulit, etiam hoc est, quod *ex clarissimis relationibus & traditionibus antiquorum, illud à tempore, cujus non habetur memoria per eos, qui præcesserant, feliciter esse observatum,* notat, *ut Regis Romanorum futuri Imperarotis in civitate Francofurt celebraretur electio, idq; etiam futuris temporibus servari debere* declarat, *nisi impedimentum obviaret.* Neque fefellerant eum certè illi, ex quorum relationibus hoc didicisse se profitetur. Licet enim alibi etiam electorum exempla obvia essent: illa tamen peculiaribus causis atque impedimentis innixa, existimare facile potuit, & invaluisse utique tum opinionem, ut non alibi vetusto *Cap.28.§.5.*

mori satisfieri posse crederetur, proprio exemplo edoctus est Carolus; cujus electioni hoc etiam nomine tum contradictum est, quod non esset loco solenni peracta. Quod verò *Mutius* tradit, *Ottonem III. in frequentibus Comitiis Principum decrevisse, ut perpetuò Francofurti eligeretur Imperator*; id eodem modo, quo cætera de illa constitutione Ottonis omnia, confictum reor. An verò & alterum illud explodendum erit, quod alibi refert *Mutius*: *Guntherum Swarzeburgicum contra Carolum IV. electum, ex consuetudine & statuta lege sex totas hebdomadas in castris ad Francofordiam expectasse hostem*: equidem videtur is secutus *Albertum Argentinensem*, satis aliàs fide dignum de illis temporibus testem: cujus hæc sunt de ista re verba: *Cumq; Guntherus per sex hebdomadas jacuisset in campis Francfurt, more Regio per eandem civitatem est receptus.* quo quidem si respexit *Mutius*, aliâ distinctione horum verborum usus est; hoc fortasse modo legens: *Cumq; Guntherus per sex hebdomadas jacuisset in campis Francofurt more Regio, per eandem civitatem est receptus.* Sanè *Limnaeus* ex Chronicis Hassiacis idem refert. *Lehmannus* verò, *neq; ante Carolum, neq; postea in ulla Electorum Imperatorum controversia, hoc usurpatum* contendit. Verùm is vel non cogitavit, vel itidem pro conficto habuit, id quod de Ruperto contra Wenceslaum electo Imperatore annotat *Author Chronici Belgici Magni* his verbis: *Rupertus electus in Regem post electionem suam in mense Septembri juxta oppidum Francofordiæ tentoriis fixis in campo unà cum Principibus per septimanas & dies, prout electis ad Regnum moris est, sub dio moram traxit, & tandem oppidum festivis gaudiis intrat.* Aureæ Bullæ dispositionem quod attinet, scribit *Hartmannus Maurus de Coronat. Caroli V.* ea quæ de Electionis loco statuerat Carolus IV. contrariâ sanctione A. C. 1363. palam iterum rescidisse. & nolim quidem Mauri fidem quoad hanc narrationem in dubium vocare: interim exemplis, quibus Aureæ Bullæ dispositionem in usum deductam docet *Arumaeus ad A. Bull. disc. I. thes. 35.* moveor, ut existimem, hanc contrariam sanctionem vel receptam non esse, vel eo tantum valuisse, ut exceptionem legitimi impedimenti, in ipsa quoque A.B. comprehensam, sive declararet, sive confirmaret.

ib. 14. pag. 107.

lib. 25. pag. 247.

A. C. 1349.

J. P. II, 3. *Chron. Spirens. VII, 34.*

A. C. 1400.

XIII. Quæ

XIII. Quæ antecedant electionem, quæque sequantur, persequi nihil attinet. In electione ipsa plurimùm sine dubio momenti habet, quod *jurato* illa peragitur; idque *tum* ratione juramenti, quod Electores, *tum* ratione juramenti, quod eligendus præstat. Illud quod attinet, fatetur doctissimus *Conringius*, *maximè salutarem esse legem Aureæ Bullæ hac in re: quandoquidem indicat, spectatum iri in electione bonum publicum*: Cæterum *Idem* putat, *olim quidem jurato factam electionem non esse: neq; ullum Sacramenti ab Electoribus præstiti in omnibus antiquis Germaniæ nostræ monumentis inveniri vestigium.* Fortè tamen Scriptorum vitio magis factum est, ut præstiti talis juramenti memoria distinctius liquidiusque tradita non extaret: quam quod penitus omissum sit juramentum. Parùm certè abest, quin existimem, *Joh. de Beka* de tali juramento, quale ex Aureæ Bullæ præscripto præstant Electores, sensisse, quando in eligendo Wilhelmo dicit, *Electores esse protestatos, ipsum potentiorem esse Principem in Regno Germaniæ.* Magis verò me movet, ut ita sentiam, *Scriptor Chronici Colmariensis*, candidus equidem & verax, sed rebus distinctè rotundeque enuntiandis parùm aptus: qui Electionem *Alberti Austriaci* hoc modo describit: *Vigilia Joannis Baptistæ tres Electores Regis Romanorum, Moguntinus, Brandeburgensis, & Saxo, Moguntiæ convenerunt, campanas compulsaverunt, populum convocaverunt, quædam quæ fecerunt, quædam facienda fideliter retulerunt. Ascenderunt igitur in Ecclesiam, facies suas vertentes ad altare, manus suas elevaverunt, per DEUM viventem juraverunt; quod cùm ante sex annos Regnum Rege caruerit Romanorum, nos Electores tres, ex parte nostra & ex parte reliquorum Electorum, qui in nos eligendi vota sua transtulerunt, jure ac canonicè Adolphum de Nassau, tunc non cognoscentes meliorem in Regem elegimus Romanorum*: & enumeratis causis destitutionis, *nunc authoritate nobis commissa, Adolphum Regem absolvimus à regiminis dignitate, & Dominum Albertum Ducem Austriæ in Dominum & Regem eligimus Romanorum, & potestate tradita nobis similiter, confirmamus.* In quibus juramenti quidem formulam, quam præcessisse necessarium est, ita cùm destitutionis & electionis formulis permixtam cernere licet, ut hæ quidem illam penitus absorpserint: distinctam autem reapse fuisse dubitari vix potest.

Ad Lamp. III, 2, 23.

p. 76.

XIV. Ju-

XIV. Juramentum quod ab Eligendo præstatur, variis de *Capitulationum origine* disputationibus atque conjecturis locum fecit: sicut videri potest apud *Carpzovium de Leg. Reg. German. cap.*1. *sect.*8. qui tempore Conradi I. Capitulationem Cæsaream natam esse pronuntiat. Est autem meo quidem judicio præclarè admodum à *Conringio* observatum: *cum in Germania nostra Regum potestas semper fuerit* κτ̀ νόμον, *seu legitima, non infinita, non simpliciter libera, indubiè nunquam non admissos esse Reges in certas leges: Nullo autem indicio colligi posse, sigillatim illas quondam verbis disertis expressas, multò minus esse scriptas, vel novatas. Per igitur esse verosimile, si non semper saltem ordinariè Reges in observantiam duntaxat aliquam communem legum & consuetudinum receptarum creatos esse.* Adjicit deinde Leges Rudolpho Suevo præscriptas, tum juramentum ab Ottone IV. præstitum, quidque de Capitulatione in ipsa Caroli IV. Bulla Aurea sit constitutum. cujus egregiè traditis operæ pretium fuerit isthæc pauca adjicere. Videri initio Capitulationis locum & instar aliquod obtinuisse illas admonitiones solennes, quæ in Regum ac Imperatorum inaugurationibus ad illos fiebant, & ad quas aliquando etiam juramento adstrictos eos legimus. Exempla illustriora habemus in coronatione Ludovici Pii apud *Theganum de Gest. Ludov. Pij cap.6.* ubi postquam Pater Carolus Filium de variis ad Rempubl. regendam pertinentibus admonuisset, ac peculiariter quidem, *ut Ecclesias defenderet, Sacerdotes honoraret ut Patres, Populum diligeret ut Filios; fideles ministros & DEUM timentes constitueret, nullum ab honore suo sine causa discretionis ejiceret, semet ipsum coram DEO & populo irreprehensibilem demonstraret; interrogavit eum coram multitudine, si obediens esse voluisset præceptis suis? At ille respondit: Libenter obedire, & cum DEI adjutorio omnia præcepta, quæ mandaverat ei Pater, custodire.* Quibus quidem verbis juramenti formulam designare voluisse *Theganum*, apparet ex *actis Exauctorationis* ejusdem Ludovici *art.* 1. ubi inprimis illi objicitur, *quod reatum sacrilegij incurrerit, eo quod paternam commonitionem, & terribilem contestationem sub Divina invocatione ante Sacrum altare, in præsentia Sacerdotum, & maxima populi multitudine sibi factam secundum suam promissionem non conservavisset.* In coronatione Ottonis I. apud *Witichindum lib. 2. p.16.* Conradi

Add. ad Lampad. pag. 125.

apud Andr. du Chesn. Tom. II. p.333.

radi Salici apud *Wipponem in vita ejus.* Wilhelmi Hollandi apud *Jo. de Beka Chron. p.78.* Atque hoc quidem modo, ſicut in Germania ſua ſe vel admoneri vel adſtringi Reges noſtri facile paſſi ſunt, ita memoratu dignum eſt, quid Romanis, aliquam veluti Capitulationis formulam ipſi præſcribentibus, reſponderit Fridericus I. *Proponis,* inquit ille apud *Ottonem Friſingenſem de Geſt. Friderici II. 21. trium Sacramentorum exactionem, dicis, me debere jurare, ut leges Anteceſſorum meorum Imperatorum, eorum privilegiis tibi firmatas, & bonas conſuetudines tuas obſervem: apponis etiam, quod Patriæ, uſq; ad periculum capitis, tuitionem jurem. Ad iſta duo ſimul reſpondeo. Ea quæ poſtulas, aut juſta ſunt, aut injuſta: ſi injuſta ſunt, nec tuum eſt poſtulare, nec meum eſt concedere. Si juſta recognoſco, me hæc & debendo velle, & volendo debere. quare ſuperfluum erit, voluntario debito, & debitæ voluntati juramentum apponere. Affirmas pro pecunia quadam juramentum præſtari à mea debere perſona. Proh nefas! à tuo Roma exigis Principe, quod quilibet lixa exigere deberet ab inſtitore. A captivis hæc penes nos exiguntur.*

XV. In recentioribus controverſiis, quarum hiſtoriam exhibet *Author der Grundveſte des Heil. Röm. Reichs part. 3. cap. 3.* & ſupplet *Balthaſar Venator in Ominoſa rerum ſerie*; diſputatum etiam conſtat: *An Capitulatio ſit pars Electionis?* Neque parum certè favet affirmantibus, quod ex *Sleidano* & *Julio Pflugio* notat *Hortlederus, id quod agunt in eligendo Imperatore Septemviri, ante ratum non haberi, quam leges in Capitulatione comprehenſas deſignatus Imperator accipiat, juramento confirmet, fidemq; det Electoribus, interpoſitâ cautione ſcripta, ab iis nullo ſe modo receſſurum.* *ap. Goldaſt. in Pol. Imp.* Quo haud dubiè in Electione Leopoldina ſpectavit, quod Capitulationis formula deſtinato Imperatori exhibita eſt, ut de illa accipienda deliberaret, antequam ipſa ſolennis Electio perageretur.

XVI. Cæterum ſicut omnibus conſociationibus hoc commune eſt, notante *Grotio,* ut in iis rebus, ob quas conſociatio quæque inſtituta eſt, *pars major* nomine univerſitatis obliget ſingulos, qui ſunt in ſocietate: *de J. B. II, 5, 17.* Ita in Collegio Electorali quoque pridem, antequam Carolus IV. id expreſsâ lege ſanxiſſet, obtinuit, ut is pro Imperatore haberetur, quem major pars Electorum elegiſſet. Imò antequam ad ſeptenarium numerum reſtricta eſſet facultas eligendi, in univerſis Principibus

Ll majoris

majoris partis ratio habebatur, ut ex Electione Conradi Salici apparet: in qua cum inter duos Conrados ambigeretur; *ad extremum*, ut *Wipponis* verba habent, *ipsi inter se convenerunt quodam pacto in tam dubia re satis convenienti, ut si quem illorum major pars populi laudaret, alter eidem sine mora cederet.* Eandem judicandi formam antea jam secutus fuerat Heribertus ArchiEpiscopus Coloniensis, cum Ottone III. mortuo Henricus Bavarus Imperium ambiret: is enim, referente *Dithmaro Chron. lib. 4. p. 44. Duci tunc non consentiebat, neq; omninò denegabat, sed quo melior & major populi totius pars se inclinaret, libenter assensurum pronuntiabat.* Quod verò Electorale Collegium attinet, jam tum A.C. 1339. non dubitarunt Electores ipsi in Literis suis ad Benedictum XII. Pontificem apud *Freherum Scriptorum Germ. Tom. 1. p.427.* asserere: *jure cautum, & consuetudine, cujus contrarium memoria hominum existeret, rationabiliter esse introductum, & sine cujusvis contradictione legitimè observatum: quod vacante Romano Imperio is qui eligeretur concorditer, vel à majori parte Principum Electorum, pro Rege Romanorum ab omnibus esset habendus.*

XVII. Quod verò hic disputant *Interpretes Aureæ Bullæ*: *an jus eligendi Imperatoris Electores ut singulos, an verò ut universos spectet?* tum *an id, quod dictum est de majori parte, intelligendum sit cum respectu ad universum collegium eligentium, an verò cum respectu ad concurrentes?* uti aliqui statum hujus quæstionis formant, vel ut alii: *Utrum major pars respectu Collegii, aut eligentium putanda sit?* Illud utrumquè ex historia præcedentium turbarum optimè puto explicari posse: quibus intendisse oculos curamque videtur Carolus, ut in posterum similes motus averteret. Potissimùm autem fomitem discordiæ inter Electores præbuerat, quod existimarent Electores, sibi ut singulis eligendi Imperatoris jus competere, sicut imprimis apparuit in discordi Electione Ludovici Bavari, & Friderici Austriaci; de qua notat *Albertus Argentinensis A.C.* 1314. *Principes Electores non convenisse, sed quemq; in suo exercitu, per se vel per suum procuratorem elegisse, & in suis exercitibus publicasse.* Idem *Henricus* quoque *Stero Altahensis A.C.* 1313. tradit his verbis: *Principes ad præficiendum Monarcham, cœlitùs constituti, contentiosè eligentes, quidam in Franckenfurt, aliqui per literas, aliqui in locis sibi competentibus, & sic discordantes in duas*

duas partes, una elegit Fridericum, altera Ludovicum. Et quod ad definiendam alteram dubitationem pertinet, trium Imperatorum contra Carolum Electorum exemplo patere potuit, quam exposita esset dissensionibus turbisque electio, nisi talis aliqua norma præscriberetur, quæ ipsam quoque consultationem de Imperatore eligendo ad paucissimos, quam fieri potest, competitores deduceret: quod utique præstari hac ratione apertum est, si illi demum spes ad Imperium & aditus relinquatur apertus, qui pluribus, totius Collegii respectu, suffragiis designatur: Tum enim si ab initio vota per plures æmulos distrahantur, illa, ipso secundum legis præscriptum institutæ deliberationis progressu, non ut quidam existimant, ad irritum recident, sed ad duos competitores restringentur: è quibus is ad Imperiale culmen evehetur, quem jam citra ambages ullas major pars totius Collegii Electoralis idoneum maximè pronuntiaverit: sicut factum est durante adhuc pristino Electionis more, cum Conradus Salicus eligeretur: tum enim, *postquam diu certatum esset, quis regnare deberet; cumq;*, ut describit *Wippo vit. Conrad. Salic. p.* 424. *alium ætas, vel nimis immatura, vel citra modum provecta: alium virtus inexplorata: quosdam insolentiæ causa manifesta recusaret: inter multos electi sunt pauci: & de paucis admodum duo sequestrati sunt, in quibus examen extremum summorum virorum summa diligentia diu deliberatum, in unitatis puncto tandem quievit*: postquam scilicet convenisset, *ut si quem illorum duorum major pars laudaret, alter eidem sine mora cederet*: quod ibidem *Wippo* indicat. Add. *Buxtorff. ad Aur. B. cap.2. thes.35.*

XIIX. Superest, ut admoneamus, QUOMODO hæc universa CONSTITUENDI IMPERATORIS RATIO IPSI FORMÆ REIPUBLICÆ nostræ vel EX SE CONVENIAT, vel hactenus LEGIBUS USUQUE atque ipsorum etiam ELECTORUM PRUDENTIA SIT ACCOMMODATA? Ubi licet I. certissimum quidem sit, modum constituendi Principis à forma Reipublicæ, vel hanc ab illo per causalem nexum non dependere; neque ibi electionem semper obtinere, ubi legibus adstrictum, vel successionem, ubi absolutum regimen viget: attamen id quoque in confesso est, electionem Statui, in quo nec omnis nec absoluta potestas penes Imperatorem est solum, sed in quo libertas & potestas Ordi-

num admixta est Imperatoriæ Majestati, convenientissimum
2.Pol.4,13. esse: *minus enim*, ut cum *Lipsio* loquar, *servilis est hæc species*, &,
1. Histor. 16,2. quæ *Taciti* verba sunt, *loco libertatis erit, quod eligi incepimus*. quod *Guntherus* etiam confirmat verbis superius adductis.

Nos quibus est melior libertas, jure vetusto
Quodlibet arbitrium statuendi Regis habemus.

II. Putat *Bodinus de Rep. VI, 5.* inter præcipua incommoda Electionis etiam istud esse, quod necesse sit aut peregrinum Regem creari, aut Civem: si peregrinus creetur, maxima regno pericula imminere: sin civibus pateat aditus, impudentissimum ac ferocissimum quemque per fas & nefas principatum ambiturum: si plures æquâ potestate & gratia valeant, populum in factiones distracturos esse. At in Germania nostra utrumque periculum arcet mos patrius: dum & exteros excludit ab Imperiali fastigio; & è civibus non nisi ex illustri stirpe natos, nec hos quidem aliter, quam si majori Electorum parti idonei videantur, admittit. III. eademque ratione, qua non nisi illustri stirpe genitus ad Imperium admittitur, illud etiam, quod electioni adscribit *Bodinus*, incommodum avertitur: quod nimirum, qui ex humili & obscuro loco nati sunt, si ad Imperium provehantur, animos attollant, & tyrannidem crudelius exerceant, quam qui regali sanguine sunt creti. quanquam huic suspicioni & illa *Guntheri* validè reponi possint, ex *Ligurin. lib.1.*

Nam quod summa probos mutare potentia mores
Dicitur, ex aliâ sumtum magis æstimo causâ:
Si quis forte sibi perversæ conscius artis,
Ingeniíq; mali, tacitus captator honoris
Tempore dissimulat: cum quod cupiebat adeptus
In vitium moresq; redit: mutasse videntur,
Immeritiq; hominem violasse putantur honores,
Quos magis ille malo corrumpit & inquinat usu.

IV. Existimat idem *Bodinus* Electivum Regem, si Regnum penitus in patrimonium suum redigere nequeat, attamen sibi ex domo successorem ereptis optimatum suffragiis designaturum. Verùm hoc ne facere Imperator Germanicus possit, *Capitulatione*,

ne, cujus formulam ſupra exhibuimus, ſatis prohibetur. V. Sicut & adverſus illud, quod graviſſimum in omni aliàs Regno electivo periculum eſt, ut in incerto vagabunda electio varii generis turbas cruentiſſimoſque motus excitet, Electorum prudentiâ egregiam cautionem medelamque adhibitam, dum in eligendo Imperatore pridem ſtirpis Regiæ rationem habere conſueverunt, evidentiſſimis graviſſimiſque rationibus *Conringius* jam demonſtravit. VI. Quemadmodum *Bodinus* ipſe fatetur, magno Germaniæ commodo eligendi Imperatoris facultatem à pluribus ad pauciores eſſe translatam reſtrictamque. Ita quod VII. Diſſenſui tamen inter hos locum eſſe ait, ad bellum facile erupturo: illi, ſtabilito per Auream Bullam jure majoris partis, obviam ſatis felici ſucceſſu itum eſt; niſi quatenus inſtituto per Tabulas pacis Weſtphalicæ Octavo Electoratu, paribus ſuffragiis, adeoque diſſenſui forte non adeò facile explicabili via eſt aperta. IIX. Corruptelis verò varii generis ſanctitas juramenti Electorii obicem ponit. IX. Interregni verò pericula conſtitutus Aureâ Bullâ Vicariatus, & electionis peragendæ tempus arctioribus limitibus circumſcriptum prohibet. Perinde uti X. Capitulationibus Cæſareis ſatis abundeque proſpectum eſt, ne, quod itidem inter incommoda Electitii ſtatus refert *Bodinus*, Imperator vel res Imperii ſegniter curet; vel pro lubitu Imperio ſua commoda ſubtrahat; vel denique ipſas Imperii provincias alienet. Quæ adverſus *Barclajum* etiam alioſque, qui electionem Germanicam vel traducunt, vel animoſius impugnant, eo valere poterunt, ut hinc perſpiciant: ſicut non quævis electio omnium populorum ingeniis, vel cuivis regiminis formæ convenit; ita poſſe tamen electionem ad certæ alicujus Gentis Reipublicæve habitum ſtatumque legibus & cautionibus attemperari accommodarique, ut non minorem illi in tuenda publicâ ſalute tranquillitateque uſum, quam aliis nationibus Regniſve ſucceſſio, præſtet.

Ad Lamp. part. 3. c. 2. §. 4. p. 111.

Argen. lib. 1.



DISSERTATIO XIII.

DE PHILOSOPHIA CELTICA.

I.

Resp. Joh. Casparo Kuhn, d. 9. Mart. 1676.

MIræ ſunt, uti in rebus ipſis, ita in rerum æſtimatione viciſſitudines: quibus haud rarò fit, ut quæ aliquo tempore in honore fuerunt, in contemptum prolabantur, alia ex contemptu aſſurgant. Ne de aliis nunc dicam, quis ignorat, quam vile quondam Romanis Barbarorum nomen fuerit? idem tamen translatâ ad Barbaras nationes ſummâ rerum in Italiâ clarum maximè & illuſtre habitum eſt, & in ejus vicem ignominioſa atque opica, ut ait Cato, facta Romanorum appellatio. Probat id de temporibus, quibus Oſtro-Gothi in Italia dominati ſunt, *Hadrianus Valeſius Rerum Francicarum libro VI. p.* 289. Idemque annotat ex Luitprando: *ætate Ottonis Aug. Francos, Burgundiones, Suevos, Langobardos, Saxones, Lotharienſes & Bajoarios ita Romanos dedignatos fuiſſe, ut inimicum ſuum non aliter, quam Romanum, contumeliæ cauſa, irati appellarent, & quicquid ignobilitatis, quicquid avaritiæ, quicquid libidinis, quicquid mendacÿ, quicquid deniq; vitiorum eſt, hoc uno nomine ſe complecti arbitrarentur.* Sed nec ipſe literarum ac ſapientiæ cultus, quo ſe præ aliis populis Græci & Romani olim præcipuè efferebant, minus præclarum hujus rei argumentum ſuppeditat: inprimis in Germania noſtra: quæ quondam, ut *Tacitus in Germ. II,* 2. ſcribit, *informis terris, aſpera cœlo, triſtis cultu aſpectuq;*, homines alebat, *literarum ſecreta,* ut itidem *Tacitus Germ. XIX,* 1. indicat, penitus *ignorantes*: poſteà præſtantium ingeniorum atque diſciplinarum fœcunditate atque culturâ ita effloruit, ut præcipua quoque recens repertarum vel ex ſitu & tenebris reſuſcitatarum artium ſcientiarumque præſidia vel inſtrumenta reliquo Orbi

Orbi ſubminiſtraverit. quod & Exteri ultro confitentur, & Alii integris voluminibus demonſtrarunt. Non inutile tamen fuerit, ad vetuſtiora illa tempora reſpicere, & ex antiqua ruditate in publicam lucem producere, ſi qua ſapientiæ veſtigia vel tentamina ſuperſint. quod ego hac quidem vice breviter, ac velut per indicem facere conſtitui: Deum T.O.M. precatus, ut propoſitum hocce meum ſibi glorioſum, Patronis & Commilitonibus acceptum, mihi fauſtum atque ſalutare eſſe jubeat.

II. *Philoſophiam Celticam* deſcribunt plerique, *quam apud Gallos Druidæ profitebantur*. Stricte id quidem nimis, ut mihi videtur: ſiquidem obſervare licet, Veteres eos, quos Celtarum Sapientes nominant, interdum à Druidis diſtinguere, & populo etiam à Gallis diverſo, Germanis nimirum adſcribere. quod verbis ſatis diſertis facit *Clemens Alexandrinus Strom. lib.I. pag.305.* προέστησαν τῆς φιλοσοφίας Αἰγυπτίων τε οἱ προφῆται, καὶ Ἀσσυρίων οἱ Χαλδαῖοι, καὶ Γαλατῶν οἱ Δρυΐδαι, καὶ Σαμαναῖοι Βάκτρων, καὶ Κελτῶν οἱ φιλοσοφήσαντες. *Præfuerunt Philoſophiæ & Ægyptiorum Prophetæ, & Aſſyriorum Chaldæi, & Gallorum Druidæ, & Semanæi Bactrorum, & Celtarum Philoſophi.* Sed & *Diogenem Laërtium*, quando in *Prooem.* ex *Ariſtotele* & *Sotione* ſcribit, γεγενῆσθαι παρά τε Κελτοῖς καὶ Γαλάταις τοὺς καλουμένους Δρυΐδας καὶ Σεμνοθέους. *Extitiſſe apud Celtas & Gallos, qui Druidæ & Semnothei vocati ſint*, ita explicandum eſſe, ut *Celtarum nomen Germanos comprehendat*, monuit Gallus eruditiſſimus *Ægidius Menagius* in *Obſervat. ad Prooem. Laërt. p.1.* egregiè id utique ad mentem Veterum: ἐπεὶ τόγε πάνυ ἀρχαῖον Κελτοὶ ἑκάτεροι οἱ ἐπ' ἀμφότερα τοῦ Ῥήνου οἰκοῦντες ὠνομάζοντο. *Antiquiſſimis enim temporibus populi iſti ad utramq; Rheni ripam colentes, Celtæ appellati fuerunt.* ut *Dionis lib. 39.* verba habent. Add. *Phil. Cluver. Germ. Antiq. I, 2. & ſeqq.*

III. Gallorum Sapientes recenſentur *Straboni lib.4. p.197.* Βάρδοι τε καὶ Οὐάτεις, καὶ Δρυΐδαι. *Bardi, Vates, Druidæ*: atque hinc exiſtimant quidam emendandum eſſe *Ammianum Marcellinum lib.15.* qui Bardis & Druidibus loco Vatum *Eubages* adjungit. Si quid tamen in his nominibus mutandum ſit, ego malim apud *Strabonem* pro Romano Barbarum, quàm apud *Ammianum* pro Barbaro Romanum vocabulum ſubſtituere. Nam quòd *Plinius Hiſt. Nat. lib.16. c.44.* putat, ipſos quoque Druidas à Græcâ

voce

voce δρῦς esse appellatos, ei conjecturæ optimâ ratione opponit *Casaubonus ad Laërt. Proœm.* prudentissimum *Strabonis* consilium, negantis in appellationibus Gentium Barbararum Græcas Etymologias esse quærendas. Add. *Ger. Jo. Voss. de Sect. Philos. cap.*3. §.6. Neque Σεμνοθέους proprio nomine vocatos Celtarum Philosophos, sed *Aristotelem & Sotionem*, unde *Laërtius in Proœm. Stephanus de urbibus & Suidas* descripserunt, existimo Barbaram appellationem Græco isthoc vocabulo interpretatos: quomodo *Dinon in Persicis* Zoroastrem Ἀστροθεάτην nominavit. Et fortasse ipsum Druidarum nomen Σεμνοθέους significabat. Sanè linguâ Francicâ seculo adhuc nono post Christum natum DEUS vocabatur *Druthin*: quod apud *Ottfridum in dedicatione Evangeliorum*, & in *Evangeliis* ipsis sæpius occurrit. ut in illis:

Druthin hohé mo thaz guat:
DEUS augeat illi bonum;
Druthin halff imo sar:
DEUS auxiliabatur illi quidem:
Druthin deta soso Zain,
Thin vvorolt minnota ér so frain.
DEUS ita mundum dilexit &c.

Nisi fortè apud Germanos illi, qui Divino cultui præerant, aliâ appellatione designabantur: nam *Cæsar de Bell. Gall. lib.*6. *cap.*21. *Germanos non habuisse Druides, qui rebus divinis præfuerint*, asserit. Et sacerdotes tamen ipsis non defuisse, ex *Taciti Germania* & aliunde passim exploratissimum est. Vid. *Georg. Horn. Histor. Philos. l.*2. *c.*11. *&* 12.

IV. Primaria Celticæ Philosophiæ pars fuit *scientia rerum divinarum*: profitebantur enim Gallorum juxta & Germanorum Sapientes, se intelligere Deorum *naturam, voluntatem, & cultum*. Ad doctrinam de *natura* Deorum pertinet, quod *Cæsar Bell. Gall. lib.*6. *cap.*14. de Druidibus scribit, eos *disputare de Deorum immortalium vi ac potestate*: Sed & *Diodorus Siculus lib.* 5. *cap.*31. vocat illos Θεολόγους καὶ τῆς θείας φύσεως ἐμπείρους, *Theologos & Divinæ naturæ conscios*: Ad quos & *Lucanus Pharsal. lib.* 1. *vers.*452. direxit illa:

Solis

Solis nosse Deos & cœli Numina vobis,
Aut solis nescire datum.

Atque inprimis Germanos testatur *Tacitus, Germ. cap. 9. num. 3. magnitudinem cœlestium* præclarè perpendisse, *Deorumq; nominibus appellasse secretum illud, quod sola reverentia videbant.* Et ut singula paucis perstringam, habuerunt Celtæ perinde ut reliquæ Gentes *Theologiam Naturalem, Fabularem, & Historicam.* Ad *Theologiæ naturalis* rationem refero illud *Cæsaris Bell. Gall. lib. 6. cap. 21.* de Germanis: *Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus apertè juvantur, Solem, & Vulcanum, & Lunam.* quibus ex *Taciti Germ. cap. 40. n. 3.* addi debet *Herthus*, id est, *Terra mater*, quam in commune plures Germaniæ nationes colebant. Atque in illis quidem sicut cum Ægyptiis conveniebant Germani: ita cum Magis Persarum, ea quæ hominibus evenirent, partim à DEO bono, partim à DEO malo proficisci statuerunt. De Magis author est *Aristoteles lib. 1. de Philosophia*, & exinde *Laërtius in Proœm.* ubi *Hermippum* quoque & *Eudoxum* & *Theopompum* testes citat: δύο κατ' αὐτοὺς εἶναι ἀρχὰς, ἀγαθὸν δαίμονα καὶ κακὸν δαίμονα. καὶ τῷ μὲν ὄνομα εἶναι Ζεὺς καὶ Ὠρομάσδης. τῷ δὲ Ἅδης καὶ Ἀρειμάνιος. *Ex eorum sententia duo esse principia, bonum malumq; Larem: quorum alter Jupiter & Oromasdes, alter Orcus & Arimanius appelletur.* De Slavis autem annotat *Helmoldus in Chron. Slav. l. 1. c. 52. n. 2. Est Slavorum mirabilis error; nam in conviviis & compotationibus suis pateram circumferunt, in quam conferunt, non dicam consecrationis, sed execrationis verba, sub nomine Deorum, boni scilicet atq; mali: omnem prosperam fortunam à bono DEO, adversam à malo dirigi profitentes, ideò etiam malum DEUM suâ linguâ Diabol sive Zeernebcch, id est, nigrum DEUM appellant.* Add. *Albert. Cranz. Vandal. lib. 3. cap. 37.*

V. De Gallorum *fabulari Theologia* insigne est testimonium *Cæsaris Bell. Gall. lib. 6. c. 17. Deûm maxime Mercurium colunt. hujus sunt plurima simulacra: hunc omnium inventorem artium ferunt: hunc viarum atq; itinerum ducem: hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturasq; habere vim maximam arbitrantur. post hunc Apollinem, & Martem, & Jovem, & Minervam. de his eandem ferè, quam reliquæ gentes habent opinionem; Apollinem morbos depellere; Minervam*

vam operum atq; artificiorum initia transdere; Jovem imperium cœlestium tenere; Martem bella regere: De Germanis *Tacitus Germ. cap.9. n.1. Deorum maximè Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoq; hostiis litare fas habent. Herculem ac Martem concessis animalibus placant: pars Suevorum & Isidi sacrificat.* His Castorem insuper ac Pollucem addit idem *Tacitus Germ. cap.43.* quos à Celtis Oceani accolis maximè cultos etiam *Diodorus Siculus* testatur. Sed & Dianam apud Treviros pro numine habitam refert *Gregor. Turonens. lib.8. cap.15.* Posletque huc referri ingens vanissimorum Idolorum farrago. de quibus videatur *Eliæ Schedij de Diis Germanis Syngramma* 1. *cap.4. & seqq.* & *Syngram.4. cap.1. & seqq. Cluver. Germ. Antiq. lib.1. cap.25. & seqq. Henr. Bangert. ad Helmold. Slav. lib.1. cap.52.*

VI. *Historica Theologia* Celtarum consistebat in cultu Heroum: quos divinis honoribus venerabantur. Tales Tuisto & filius Mannus, quos Gentis suæ originem conditoresque Germani sunt arbitrati; itemque Hercules & Ulysses *ap. Tacit. Germ. cap.2. n.3. & cap.3. n.1. & 3.* aliique quos recenset *Schedius de Diis Germ. Syngram.3.* quibus addi merentur, quæ de Othino aliisque Septentrionalibus Diis ex rarioribus monumentis exhibet *Stephanus Johannis Stephanius ad Saxon. Gramm. Histor. Dan. lib.6. p.103. v.16.* nec minus fortè in hunc censum referendus Kruzmanna, quem Treboci nostri sub habitu Herculis coluisse feruntur. Effigiem ejus ab insigni Architecto *Daniele Specklino* delineatam exhibet *Schadæus in descript. Summ. Templ. Argent. cap.2.* Cæterum Celtas Herculem vernaculo sermone vocasse Ὄγμιον testis est *Lucianus in Hercule Gallico.* Atque hinc quidem & *Plato* Barbaris Gentibus sapientiæ laudem asseruit, quod Heroas suos & Legumlatores divinis honoribus afficerent, sicut ex ejus *symposio* probat *Clemens Alexandrinus Strom. lib.1. p.303.* Quanquam nec sit diffitendum, infandam illam Gentilium Deastrorum multitudinem ex hoc potissimum fonte promanasse: quod à veteribus Ecclesiæ Christianæ Doctoribus *Augustino de Civit. Dei lib.7. c.18. & lib.8. c.26. Lactantio Divin. Instit. l.1. c.15.* aliisque passim ostensum est.

VII. Ad hæc *voluntatis* quoque *Divinæ* notitiam jactabant Celtarum Sapientes. De Druidis testatur *Pomponius Mela* de

de situ Orb. l.3. c.1. quid Dij velint, scire profitentur. De Germanorum Sacerdotibus *Tacitus Germ. cap.7. num.2. Neq; animadvertere, neq; vincire, neq; verberare quidem, nisi Sacerdotibus permissum: non quasi in pœnam, nec ducis jussu, sed velut DEO imperante.* Et *cap.40. num. 4.* de Sacerdote Terræ Matris: *Est in Insula Oceani Castum nemus, dicatumq; in eo vehiculum veste contectum, attingere uni Sacerdoti concessum. Is adesse penetrali Deam intelligit.* In universum autem hac aliisque Theologiæ Gentilis partibus Celtas præ Græcis quibusdam Philosophis extollit *Ælianus Var. Hist. l.2. c.31.* quod statuerint: Καὶ εἶναι θεὲς, ϗ͂ προνοεῖν ἡμῶν, ϗ͂ προσημαίνειν τὰ μέλλοντα ϗ͂ διὰ ὀρνίθων, ϗ͂ διὰ συμβόλων, ϗ͂ διὰ σπλάγχνων, ϗ͂ δι᾽ ἄλλων τινῶν μαθημάτων τε ϗ͂ διδαγμάτων. *& esse Deos, & nostri curam gerere, & præsignificare futura per aves, omina, exta, aliasq; observationes quasdam & doctrinas.* Unde multiplex divinandi ratio atque scientia apud Celtas, etiam *Ciceroni de divinat. l.1. c.41. Diodor. Sicul. l.5. c.31. Tac. Germ. c.10. n.1. & seqq. Justino lib.24. c.4. n.3.* laudata atque descripta. Quâ mulieres potissimum excelluere; *quibus,* ut *Tacit. Germ. c.8. n.3.* loquitur, *inesse sanctum quid & providum putabant:* quod exempla apud *Cæsarem Bell. Gall. l.1. c.50. Plutarch. in vitâ Cæsaris. Clement. Alexandrin. Strom. l.1. p.305. Lamprid. in Alexand. Sever. c. 60. Vopiscum in Aurelian. c. 44. & in Numerian. c.14.* satis declarant. Atque sortium quidem consuetudo tam altas in animis horum populorum radices egerat, ut ne per ipsam quidem Christianam religionem, quanquam ab iis magno fervore cultam, vestigia ejus dudum evelli penitus quiverint. Sicut inter alia multa *Legis Frisionum Tit.14.* cum *Taciti Germ. c.10.* collatus abundè demonstrabit.

IIX. De *cultu Deorum* notat generaliter *Laërt.* in *Proœm.* Druidas philosophatos esse: σέβειν Θεὲς. *Deos esse colendos.* Ex *Diodoro Siculo* autem *lib.5.* discimus, nemini apud Celtas fas fuisse θυσίαν ποιεῖν ἄνευ φιλοσόφε. *absq; Philosopho sacra facere: quod non per alios quàm divinæ naturæ conscios & ad colloquia Deorum admissos, Diis vel gratias, vel bonas preces offerendas arbitrarentur.* Cæterùm Germanorum plerorumque satis cordata de divino cultu sententia fuit: siquidem, ut *Tacit. Germ. cap.9. n.3.* indicat, *nec cohibere parietibus Deos, neq; in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrabantur.* quâ ratione quàm propè

ad primævam & genuinam veri cultus institutionem accesserint, admonere superfluum fuerit: & de Judæis testatur ipse *Tacitus Hist. l.5. c.5. n.8. Judæi mente sola unumq́ numen intelligunt. Profanos, qui Deûm imagines, mortalibus materiis, in species hominum effingant: Summum illud & æternum, neq́ mutabile, neq́ interiturum.* Unde non multum discrepat, quod de Magis Persarum apud *Laërtium in Proœm.* annotatur: τοὺς Μάγους περί τε θεραπείας Θεῶν διατρίβειν, καὶ θυσίας καὶ εὐχάς, ὡς αὐτοὺς μόνους ἀκουομένους. ἀποφαίνεσθαί τε περί τε οὐσίας Θεῶν καὶ γενέσεως· τῶν δὲ ξοάνων καταγινώσκειν καὶ μάλιστα τῶν λεγόντων ἄρρενας εἶναι Θεοὺς καὶ θηλείας. *Magos in Deorum cultu, sacrificiis & precibus versari, tanquam qui ab eis soli exaudiantur; atq́ etiam de Deorum natura & ortu differere; Statuas verò reprobare, & maximè illorum opinionem, qui Deos mares ac feminas esse ajunt.* Quin & Romani ex Numæ, atque ut *Plutarchus in vit. Num.* existimat, Pythagoræ instituto, primis centum & septuaginta annis, nullam vel pictam vel fictam DEI imaginem habuerunt. ὡς οὔτε ὅσιον ἀφομοιοῦν τὰ βελτίονα τοῖς χείροσιν, οὔτε ἐφάπτεσθαι Θεοῦ δυνατὸν ἄλλως ἢ νοήσει. *nefas putantes augustiora exprimere humilioribus: neq́ adspirari aliter ad DEUM, quàm mente posse.*

IX. De Lucorum consecratione & cæteris sacrorum ritibus egit abunde *Cluverius Germ. Antiq. l.1. cap.34. Sched. de Diis Germ. Syngr.2. c.23. usq́ ad 34.* ubi & de Ανθρωποθυσίᾳ Celtarum pluribus tractatur. Itaque hîc suffecerit paucis attigisse, quale fatum Romæ sacra Celtica experta sint. videntur enim in eo non satis consentire Veteres. Nam *Plinius* quidem *Hist. Nat. l.30. c.1.* ita commemorat: *DCLVII. demum anno Urbis Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso Coss. Senatusconsultum factum est, ne homo immolaretur: palamq́ in tempus illud sacra prodigiosa celebrata. Gallias utiq́ possedit, & quidem ad nostram memoriam. Namque Tiberij Cæsaris Principatus sustulit Druydas eorum, & hoc genus vatum medicorumq́.* At *Suetonius in Claud. c.25.* demum Claudio abrogationem horum sacrorum attribuit: *Druidarum,* inquit, *religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantùm civibus sub Augusto interdictam penitus abolevit.* A *Suetonio* verò maximè discordat *Seneca in Apocolocynthosi: Cogitate P. C. quale portentum in numerum Deorum se recipi cupiat. Principes pietate & justitia Dij fiunt.*

Scilicet

Scilicet hic (Claudius) *pius & justus, quoniam Druidarum immanem religionem advexit, nostram prorsus extirpavit.* Et *Plinium* quidem cum *Suetonio* ita conciliat *Lipsius ad Tac. Annal. lib.12. p.336.* ut dicat, *Tiberium in urbe tantum sustulisse, Claudium in Gallia ipsa.* Sed fortasse dicendum potius fuerit, sacra quidem illa Celtarum immania pridem abolita, manentibus tamen illorum vestigiis, qualia *Mela de situ Orb. l.3. c.1.* describit, subinde repullulasse, ut novis constitutionibus opus foret, non sub Claudio duntaxat, sed post illum quoque sub aliis Principibus: siquidem ad *Tertulliani* ævum usque Barbarum morem durasse, ex *Apologetico* ejus constat. *Seneca* autem Druidum sacra non verè in urbem reducta à Claudio, sed specimen crudelitatis non absimile, interfectis inter sacra nuptialia triginta Senatoribus, exhibitum perstrinxit. Sequitur enim apud eundem: *ut Romæ nuptiarum sacra essent: quibus ipse cum sibi Agrippina nuberet, XXX. Senatoribus, innumeris equitibus Romanis mactatis, principium dedit:* Druidas verò ipsos non esse penitus sublatos, rectè videntur censuisse *Petrus Pithœus Adversar. subsec. l.1. c.3. Levin. Torrent. ad Sueton. Claud. c.25. Joan. Brantius ad Cæs. Bell. Gall. l.6. c.13.*

X. De reliquâ Celtarum Philosophia in summam hæc annotat *Ammian. Marcellin. l.15. p.56. Per Galliam hominibus paulatim excultis viguere studia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos, & Eubages & Druidas. Et Bardi quidem fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus, cum dulcibus Lyræ modulis cantitarunt: Eubages verò scrutantes summa & sublimia naturæ pandere conabantur. Inter hos Druidæ ingeniis celsiores, ut authoritas Pythagoræ decrevit, sodalitiis adstricti consortiis, quæstionibus occultarum rerum altarumq; erecti sunt, & despectantes humana, animas pronuntiarunt immortales.* Et quanquam *Plinius Hist. Nat. l.18. c.25.* scribat: *Neminem in Galliis observasse, qui siderum proderet exortus.* Author tamen est *J. Cæsar Bell. Gall. l 6. c.14. Druidas multa de sideribus atq; eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac potestate disputasse, & juventuti transdidisse.* Neque *Mela l.3. c.1.* multò aliter: *Habent Galli & facundiam suam, magistrosq; sapientiæ Druidas. Hi terræ mundiq; magnitudinem & formam, motus cœli ac siderum, ac quid Dii velint, scire profitentur.* Atque inter cœtera quidem illorum

dogmata de natura rerum, de quibus videndus etiam *Otto Heurnius de Philosoph. Barbar. l. 2. c. 33.* refert *Strabo l. 4. p. 197.* quod mundum ſtatuerint ἄφθαρτον *corruptionis expertem*: ἐπικρατήσειν δέ ποτε καὶ πῦρ καὶ ὕδωρ. *ignem tamen aliquando & aquam ſuperatura.* quo quidem apparet, inter infinitas Veterum Philoſophorum ſententias de mundi æternitate, ad Celtarum noſtrorum ſententiam Stoicos quam proximè acceſſiſſe, qui interprete *Cicerone de Natur. Deor. l. 2. eventurum putabant, ut ad extremum omnis mundus igneſceret; cum humore conſumpto, neq; terra ali poſſet, neq; remeare aër: cujus ortus aquâ omni exhauſtá, eſſe non poſſet. ita relinqui nihil præter ignem: quo rurſum animante, renovatio mundi fieret, atq; idem ornatus oriretur.* Add. *Auguſtin. de Civit. Dei lib. 12. c. 11.*

XI. Inprimis verò *Druidas hoc voluiſſe perſuadere*, docet *Cæſar Bell. Gall. lib. 6. cap. 14. non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios.* idque *Strabo* etiam *lib. 4. p. 197.* confirmat. Sed & *Mela de ſitu Orb. l. 3. c. 1. Unum ex iis quæ præcipiunt Druides, in vulgus effluxiſſe,* ſcribit, *videlicet ut forent ad bella meliores, æternas eſſe animas, vitamq; alteram ad manes.* Quod & *Diodorum Siculum* impulit, ut *l. 5.* aſſeveraret, ἐνισχύει παρ' αὐτοῖς ὁ Πυθαγόρου λόγος, ὅτι τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων ἀθανάτους εἶναι συμβέβηκε, καὶ δι' ἐτῶν ὡρισμένων πάλιν βιοῦν, εἰς ἕτερον σῶμα τῆς ψυχῆς εἰσδυομένης. *Invaluit apud eos Pythagoræ opinio, quod animæ hominum immortales, in aliud ingreſſæ corpus, definito tempore denuo vitam capeſſant.* Verum ſi quis rectè attendat, inter παλιγγενεσίαν iſtam Celtarum & Pythagoræ μετεμψύχωσιν hoc intereſſe deprehendet; quod Celtæ hominum animas non ad pecudum ſed ad humana corpora & quidem in alio Orbe, apud Manes, ut *Mela* loquitur, tranſire ſtatuerunt. Unde *Lucanus Pharſal. l. 1. v. 454.* ad Druidas:

-- -- -- Vobis auctoribus, umbræ
Non tacitas Erebi ſedes Ditisq; profundi
Pallida regna petunt: regit idem Spiritus artus
Orbe alio; longæ (canitis ſi cognita) vitæ
Mors media eſt.

Atque hinc nata fiducia dandi pecunias mutuas, quæ apud inferos redderentur; & conſuetudo conjiciendi epiſtolas propinquis

pinquis inſcriptas in rogum defunctorum, ut à mortuis legerentur; cremandique cum eis ac defodiendi apta viventibus: *Diodoro Siculo, Pomponio Melæ,* aliiſque notata. Ut adeò hac in re *non idem bracati ſenſerint, quod palliatus Pythagoras credidit.* quanquam id præter *Diodorum & Ammianum* etiam *Valerius Maximus l.2. c.6. n.*10. aſſerat: Atque huc referendum quoque, quod *Appiano in Celticis* Marcomanni dicuntur καταφρονητὰι θανάτου, δι' ἐλπίδα ἀναβιώσεως, *contemptores mortis ob ſpem reſurrectionis.* Qualiſcunque autem ſit hâc in re inter Celticam & Pythagoricam Philoſophiam convenientia; illa non aliunde profluxit, quàm quod inter alios Barbararum gentium ſapientes Celtarum quoque Philoſophos præceptores habuit Pythagoras: ut *in libro peculiari de Symbolis Pythagoricis* teſtatur *Alexander* apud *Clement. Alexandr. Strom. l.*1. *p.*304.

XII. Præter hanc Philoſophiam etiam *de moribus* diſputarunt Celtæ: *Strabo* diſertè *lib.* 4. *p.* 197. πρὸς τῇ φυσιολογίᾳ καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι. *Ultrà Phyſiologiam etiam Philoſophiam moralem tractant.* Summam breviter complectitur *Diogenes Laërt.* in *Proœm.* dum illos docuiſſe ſcribit σέβειν Θεοὺς, καὶ μηδὲν κακὸν δρᾷν, καὶ ἀνδρείαν ἀσκεῖν. *Deos eſſe colendos, nihil mali faciendum, fortitudinem exercendam.* Atque ad fortitudinem eos maximè ſpe immortalitatis incitatos notat *Cæſar Bell. Gall. l.*6. *c.* 14. *Val. Max. l.* 2. *c.* 6. *n.* 11. itemque *Lucanus Pharſal. l.* 1. *v.* 458. in illis:

-- -- Certè populi, quos deſpicit Arctos,
Felices errore ſuo, quos ille timorum
Maximus, haud urget lethi metus. inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæq; capaces
Mortis: & ignavum reditura parcere vitæ.

XIII. Neque bellica tantum virtute, ſed & contrà alios fortunæ caſus, verâ animi magnitudine præcellebant Celtæ noſtri. triſteſque eventus, neque ut plerique fortium virorum ambitiosè, neque per lamenta rurſus ac mœrorem, muliebriter ferebant. *Lamenta,* ut ait *Tacit. Germ. c.*27. *n.*4. *ac lachrymas citò; dolorem & triſtitiam tardè ponebant. Feminis apud eos lugere honeſtum erat; viris meminiſſe.*

XIV.

XIV. Cæteras Celtarum virtutes ex *Tacito* potiſſimum & *Cæſare* enumerat *Claver. Germ. Antiq. l.1.c.19.* quas huc referre nihil attinet, utpote moribus potiſſimum apud illos & naturæ incorruptioris ductu, quàm diſciplina & ſtudiis excultas. Inter quas juſtitiam maximè extollunt *Cæſar, Diodorus, Strabo.* & viſum eſt ſanè hactenus idoneum, quod contrà ipſas quoque Chriſtianas gentes laudaretur Chaucorum exemplum, de quibus *Tacit. Germ. c.35. Populus inter Germanos nobiliſſimus, quiq; magnitudinem ſuam malit juſtitia tueri: ſine cupiditate, ſine impotentia, quieti, ſecretiq; nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Idq; præcipuum virtutis ac virium argumentum eſt, quod ut ſuperiores agant, non per injurias aſſequuntur.* Conf. *H. Grot. de J. Bell. & Pac. l.2.c.22.n.5. Lipſ. Polit. lib.5. c.3. & lib.5.c.5. n.33.*

XV. Reliquum eſt, ut de *modo & ratione docendi philoſophandiq;*, qualis Celtis veteribus in uſu fuit, aliquid admoneamus. Et Druidas quidem *ſodalitiis adſtrictos conſortiis* fuiſſe, ex *Ammiani* teſtimonio ſuperius citato patuit. Inſuper autem teſtatur *Mela l.3.c.2.* illos *docuiſſe multa nobiliſſimos Gentis clam & diu, vicenis annis in ſpecu, aut in abditis ſaltibus.* Cauſam, quæ nobiliſſimos gentis in hanc diſciplinam attrahebat, indicat *Cæſar*, & ſimul totam hanc rem illuſtrat eximie, *de Bell. Gall. l.6. c.14.* ſcribens: *Druides à bello abeſſe conſueverunt, neq; tributa unà cum reliquis pendunt, militiæ vacationem, omniumq; rerum habent immunitatem. Tantis excitati præmiis, & ſuâ ſponte multi in diſciplinam conveniunt, & à propinquis parentibuſq; mittuntur. magnum ibi numerum verſuum ediſcere dicuntur. itaq; nonnulli annos vicenos in diſciplinâ permanent.*

XVI. Germanis carmina potiſſimum ad celebrandos Heroas ſuos in uſu fuerunt: tum ut ad prœlia animos accenderent: quod utrumque *Tacit. Germ. c.2.n.3. & c.3.n.1.* teſtatur: qui & *Annal. l.2. c.88.n.5.* de Arminio ſcribit: *Septem & triginta annos vitæ, duodecim potentiæ explevit: caniturq; adhuc Barbaras apud Gentes. Diodorus Siculus* & *Ammianus Marcellinus* Bardis aſſignant hoc munus: ut & *Lucanus lib.1. Pharſal. v.447.* hiſce verſibus:

Vos quoq; qui fortes animas, belloq; peremptas

Laudibus

Laudibus in longum Vates dimittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Unde *relatum* talium carminum *Barditum* à Germanis vocatum, ex *Tacit. Germ. cap.* 3. *n.* 1. existimari queat. Add. *Ott. Heurn. de Philos. Barbar. l.2. c.33.*

XVII. Cæterùm quanquam Druidæ callerent literas, iis tamen sapientiæ suæ decreta mandare nefas esse existimabant. *Id mihi,* inquit *Cæsar Bell. Gall. l.6. c.14. duabus causis instituisse videntur: quod neq; in vulgus disciplinam efferri velint: neq; eos, qui discunt, literis confisos, minus memoriæ studere. quod ferè plerisq; accidit, ut præsidio literarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant.* Ad posteriorem hanc rationem pertinet, quod *Quintil. Instit. Orat. lib.11. c.2. invenisse se* ait *apud Platonem, obstare memoriæ usum literarum. videlicet quod illa quæ scriptis reposuimus, velut custodire desinimus, & ipsâ securitate dimittimus.* Invenit autem hoc *Quintilianus* vel in *Timæo Platonis* vel in *Phædro*: ubi Thamus ad Theutum, qui se literarum inventorem prædicaverat: νῦν, inquit, σὺ πατὴρ ὢν γραμμάτων, δι' εὔνοιαν τοὐναντίον εἶπες ἢ δύναται. τοῦτο γὰρ τῶν μαθόντων λήθην μὲν ἐν ψυχαῖς παρέξει, μνήμης ἀμελετησίᾳ, ἅτε διὰ πίστιν γραφῆς ἔξωθεν ὑπ' ἀλλοτρίων τύπων, οὐκ ἔνδοθεν αὐτοὺς ὑφ' αὑτῶν ἀναμιμνησκομένους. *Nunc tu literarum Pater, propter affectum aliud prorsus de illis, quàm efficere valent, affirmasti. Nam illarum usus, propter negligentiam recordationis, oblivionem in animis discentium pariet. quippe qui externis literarum monumentis confisi, res ipsas intus animo non revolvent.*

XIIX. Priori rationi inserviit etiam obscura illa & ænigmatica docendi consuetudo, quam Celtarum Philosophis tribuit *Diogenes Laërt.* in *Proœm.* quando eos dicit philosophatos esse αἰνιγματωδῶς ἀποφθεγγομένους. *ænigmaticè & per concisas sententias.* in universum autem *Diodoro Siculo lib.5.* dicuntur Celtæ κατὰ τὰς ὁμιλίας βραχυλόγοι, καὶ αἰνιγματίαι, καὶ τὰ πολλὰ αἰνιττόμενοι συνεκδοχικῶς. *in colloquiis verborum parci & obscuri, per involucra Synecdochicè pleraq; enunciantes.* Atque hunc quidem modum philosophandi tum Græcos omnes communiter, tum verò inprimis Lacedæmonios & Cretenses diligentissimè fuisse

Nn con-

conſectatos, ſcribit *Plato*; *Clemens* verò *Alexandrinus* quanquam Ægyptiis potiſſimum adſcribat Symbolicam docendi rationem, quos & Sphingem hinc in templis ſuis dedicaſſe diſcimus ex *Strabone lib.17. p.805. & Plutarch. de Iſid. & Oſir.* attamen omnes, qui de rebus divinis tractarunt, tam Barbaros quam Græcos oſtendit *lib.5. Strom. p.556.* veritatem occultaſſe αἰνίγμασι, καὶ συμβόλοις, ἀλληγορίαις τε αὖ καὶ μεταφοραῖς. quin & *lib.2. Strom. pag.358.* aſſeruerat Græcos aliunde mutuatos eſſe τὸ ἐπικεκρυμμένον τῆς βαρβάρου φιλοσοφίας τὸ συμβολικὸν τοῦτο καὶ αἰνιγματῶδες εἶδος. ab Hebræis ſcilicet: unde *lib.1. Strom. p.301.* illi dicitur τρόπος τῆς φιλοσοφίας Ἑβραϊκὸς καὶ αἰνιγματώδης. Ubi laudat etiam eximiè ταύτην τὴν βραχυλογίαν παραινετικὴν τὴν ὠφελιμωτάτην, & ſelectioribus exemplis illuſtrat.

COROLLARIA.

I.

Inter effata Epicuri de Sapiente refert *Petrus Gaſſendus Philoſ. Epicur. part.3. pag.1229. & ſeqq. Solum Sapientem rectè de Muſica Poëticaq́ verba facturum*: Eundem tamen *Poëmata ſive figmenta Poëtarum ignoraturum, necdum aliqua elaboraturum.* Mihi perinde id videtur eſſe, ac ſi dixiſſet, cœcum optime de coloribus eſſe judicaturum.

II.

In Diſputatione inter *Danielem Heinſium, Balſacum*, & *Salmaſium, de Herode Infanticida*, à *Balſaco* quidem exiſtimo acuto judicio Græcorum Furias in Tragœdia Judaica reprehenſas: ab *Heinſio* tamen validiori ratione defenſas: Neque à *Salmaſio*, quantumvis erudita & ſubtili diſquiſitione, ſatis efficaciter exploſas.

DISSERTATIO

DISSERTATIO XIV.

DE

UNITATE REIPUBLICÆ IN S. ROMANO IMPERIO.

§. I.

SI omnino extra reprehensionem consistit illorum institutum, ut potius egregii civis munia explevisse censeri debeant, quicunque *Statum Reipublicæ, qui quoquo tempore sit,* deficientem quoque, *defendere,* omnibus viribus connituntur, haud dubiè indulgentior aut certè minus acris censura eorum adhibenda est operæ, qui confutandis, non tam veris, quam in opprobrium veluti publicum confictis, Reipublicæ malis atque aberrationibus, quibus, legum fundamentalium cavillatione prostitutioneve, inquietos ac perniciosos cives, quales nunquam ferè Rebuspublicis desunt, easdem onerare videas, industriam intendere maluerunt, etiamsi conatus per se laudabiles aliquando in re præsenti successus ferè deseruerit. hujus certè fiduciæ nonnihil sibi etiam applicat nostra *Dissertatio,* quæ sicut prima tantum lineamenta signare profitetur, unde *Reipublicæ nostræ unitas* cognoscenda dijudicandaque sit, ita perfectam hujus argumenti elaborationem à juvene neminem vel expectâsse vel requisivisse facile speramus, cujus difficultatem Viri usu rerum exercitati demum paulò interius perspicere valent. In universum propositi nostri mensuram implevisse arbitrabimur, si aliqualium profectuum, in eo præsertim studio, quod *jura & Notitiam status publici* complectitur, sub disciplina *Amplissimi Dn. Præsidis, Præceptoris nostri uti fidelissimi, ita nunquam sine honoris præfatione nominandi,* hactenus factorum, rationem reddiderimus illis, quibus in eos inquirendi jus est. Clarius id faciemus, si præsentem tractationem in certas redigamus *partes,* ut I. inquiramus *in fundamenta, ex quibus in genere Reipublicæ alicujus unitas æstimanda est,* eaque II. ad *Rempublicam Imperii nostri* applicemus,

Resp. Joh. Georgio Kulpis, d. 13. Mart. 1676.

mus, & denique III. *quæ in contrarium tendere videntur*, removeamus.

§. II. Quid *Unitas*, vel *unum in genere* ſit, ex principiis Philoſophiæ univerſalis repetendum erit. *Ariſtoteles* poſtquam varios modos *unius* recenſuiſſet, ad rationem communem ſingulos reduxiſſe deprehenditur, quando ait: *V. Met. 6.* καθόλου γὰρ, ὅσα μὴ ἔχει διαίρεσιν, ᾗ μὴ ἔχει ταύτῃ ἓν λέγεται: *univerſaliter enim quotcunq; non habent diviſionem, quatenus non habent, eatenus unum dicuntur.* particula reduplicativa reſpectum aliquem importat, pro cujus diverſitate, diverſam quoque æſtimationem ſortitur ipſa *unitatis* ratio, unde variæ diſtinctiones, quas vulgares Metaphyſicorum libelli exhibent, ſubnatæ ſunt. Nobis *Unitas*, quam *formalem* vel *eſſentialem* dicunt, potiſſimum reſpicienda eſt, *quâ aliquid indiviſum eſt in ſe ratione formæ ac eſſentiæ ſibi unicè competentis*; hâc unitate una ſunt entia non ſolum *ſimplicia*, ſed & *compoſita corpora*, tam *naturalia*, quam *moralia*, adeoque & illa, quæ ſecundum diſciplinam Stoicorum *ex diſtantibus conſtare*, dixit *l. 30. pr. de Uſurp. & Uſucap.* *Pomponius*, quæque recentiores philoſophi *aggregata cum ordine* appellarent, in quantum nimirum *indiviſionem participant*, ut loquitur *Comment. ad V. Met. Ariſt. f. 116. lit. F.* *Alexander ab Ales*, ſive, *non ſoluta, ſed uni nomini ſubjecta ſunt*, ut *JCtus* indiviſionem iſtam ſpecialius explicat. Aliàs maximè ratio unitatis variat, atque ipſe jam obſervavit *Philoſophus, magis unum eſſe, quod naturâ, quam quod arte eſt unitum*, *V. Met. 6.* & inter hæc poſteriora reperiri *unitatis gradus* pridem *Suarezius* *Diſp. Met. 4. ſ. 3. n. 14.* annotavit; quod non attendunt, quicunque corporibus illis, quæ ad arctiſſimam unitatem aſſurgere non patitur rerum humanarum indoles, ſubinde omnem unitatis modum denegant, ſicut conſociatis cœtibus, & ipſi quoque *Reipublicæ* aliquando accidiſſe videas.

§. III. Reipublicæ autem voce hic non abutimur, ad denotandum *qualecunq; corpus civile neminem alium in terris ſuperiorem agnoſcens*, quo ſenſu etiam ſyſtemata ſociorum, arctiſſimo fœdere unius civitatis naturam imitantia, Reipublicæ titulum ſibi præſcripſiſſe, exempla vetera & recentia, qualia *Bodinus* *de Rep. I. 7.* conduxit plura, teſtantur. Sed ad ſignificatum proprium reſpicimus, quo cum *Civitate* ac *populo libero* permiſcetur, ut nihil *vid. Grot. de J.B. & P. I, 1, 14.* aliud ſit, quam *cœtus perfectus liberorum hominum juris fruendi cauſa*

communi

communi Imperio ſociatus. quomodo & Regnum Hiſpanicum, Gallicum & ſimilia ſui juris Imperia appellationem Reip. ſuſtinent. *add. I, 3, 7. III, 3, 2. & Bœcler. Inſt. Pol. 1, 6. p. 66.*

§. IV. Cæterum ſicut cujuslibet rei, ita etiam Reipublicæ unitas, ex unitate eſſentiæ unicè æſtimari debet. *Eſſentia* autem Reip. ut ſic, conſiſtit in conſociatione vitæ civilis plenâ, cujus principium *materiale*, ſi doctrinæ cauſa in ſcholis ita nobis loqui licet, eſt *cœtus juris fruendi cauſa ſociatus*, *formale* autem cœtus illius civilis conſtitutio ac *ordo in imperando parendoq́; conſiſtens*; quemadmodum igitur ex corpore organico, animaque rationali una, unus homo conſtituitur: ita & ex corpore civili, una Majeſtate informato, unam reſultare Rempublicam neceſſe eſt, quocunque demum regimine, regione, plurium an multitudinis, an ex his mixto adminiſtretur, quæ accidentales ſolummodo formæ ſunt: nam *ſpiritum* vel *animam* & *corpus*, ex analogia rerum naturalium ad illuſtrationem hujus argumenti revocari videmus apud *Grotium*, & alios. Quæ comparatio in ſe ſpectata bona eſt, & veteribus quoque uſurpata, ſed applicatione ſcriptorum in re præſenti ſæpè corrumpitur, quando quæ ipſi Majeſtati, quatenus in ſubjecto *communi*, ut *Grotius*, vel *eſſentiæ*, ut *Lampadius* loquitur, tribuenda erant, ad ſubjectum ejuſdem *accidentale* referunt, ſpecimen habemus in *Diſſertatione de Rep. Irregulari*, quam pro defenſione *Monzambani* adornavit *Cl. Puffendorffius*. *de J. B. & P. II, 9, 3.* *I, 3, 7.* *de Rep. R. G. p. 1. §. 59. 63. §. 5. & 20.*

§. V. Omnis autem Reſpublica eatenus una manet, quatenus *indiviſionem eſſentiæ* conſervat, hoc eſt, quatenus Majeſtatem integram ac indivulſam retinet, quam I. non tollit *diverſitas partium*, in quas pro varia ratione civilis adminiſtrationis, *intellectu magis quam corpore*, ut cum *JCto* loquar, dividitur. vid. *Pufendorfius*: neque II. iſta periclitatur per *translationem jurium Majeſtatis in diverſa ſubjecta accidentalia*, unde *mixtura* ſolum oritur, & *ſimplicitas*, non autem *unitas* Reip. tollitur, quod egregiè demonſtrarunt *Grotius* inprimis atque *Lampadius*. nam quod poſt *Bodinum* atque *Hobbeſium Cl. Pufendorf.* objicit, *tantam eſſe inter omnes partes ſummi Imperij conjunctionem, ut una ab altera non poſſit avelli, niſi regularis forma corrumpatur, & morbidum cor-* *l. 5. de ſtip. ſerv.* *de J. N. & G. VII, 4, 1.* *de J. B. & P. I, 3, 17.* *de Rep. R. G. p. 1. § 60. 61.* *de J. N. & G. VII, 4, 11.*

 pus

conf. Diſſ. ſuper geſt. Philip. Amyntæ F. § 3. ſqq.

pus resultet, validè exauditur, si de summo Imperio ratione formæ suæ, prout in subjecto essentiali & communi existit, accipiatur: quamprimum enim vel unicum jus communicatur cum alia Rep. aut transit in aliud subjectum essentiæ, illa Majestas, cui aufertur, interit, & corpus, cui inhæsit, non tantum *quoad regularem civitatis formam* corrumpitur, sed omninò inter perfectas Respublicas censeri desinit, quod post bellum Punicum secundum Carthaginiensibus, amisso jure belli, contigisse notum est. *Deinde* propter *incommoda,* quæ hanc partitionem comitari *Puffendorffius* existimat, ad ipsum talem Reip. Statum negandum extendi non debent; *de summa enim potestate judicandum non ex eo, quod privatus quisq; optimum judicat, sed ex voluntate ejus, unde jus oritur.* ne dicam illa incommoda, quæ formis mixtis in genere adhærere possunt, sæpè in applicatione ad hanc vel illam gentem ultrò evanescere, vel per leges fundamentales, ne se exserere possint, præcaveri. Certè abusus jurium eorundem partitioni imputari non debet, nisi distinctionem inter *vitia hominum & vitia status, alibi* inculcatam, *ipse* deserere velit. sed de his aliàs. Non etiam destruitur illa indivisio III. si membra nobiliora, ex quibus Respublica concinnatur, certas provincias proprio jure administrent, ita ut de reditibus constituere, ipsisque incolis leges veluti peculiares præscribere possint, nam & in domo paterfamilias dominii vi circa res suas pro arbitrio disponit, atque illis, quos in potestate sua habet, per modum legis, quid faciendum, præscribere, sæpè etiam jus vitæ ac necis in eos exercere potest, & notum est, quomodo aliàs privatorum voluntas, conventionibus invicem initis declarata, in legem ire possit, in publicis quoque judiciis valituram, sicut in Rep. Rom. expressa vox Prætoris erat: *pacta, conventa, quæ neq; dolo malo, neq; adversus leges, Plebiscita, SCta, edicta Principum, neq; quo fraus cui fiat, facta erunt, servabo.* Absurdus autem foret, qui ideò facultatem legislatoriam geminare, & consequenter Rempubl. multiplicare vellet. Quod si quis dicat, dispositiones privatorum circa bona ac possessiones suas restringi per Imperium Civitatis, cui jus quoddam majus & supereminens in nos & nostra competit, utilitatis necessitatisque publicæ causa exercendum, pacta autem privatorum, quod sæpè vim legis habeant,

Grot. de J. B. & P. I,3,17.

de J.N. & G.VII,5,10.

l.7. §.7.D. de pact.

beant, non esse à jure & facultate privati, sed à summa potestate, unde effectus iste dependeat; respondebo, hæc etiam ad ditiones istas, de quibus loquimur, earumque Rectores pertinere, nam ad hos quoque illud *Senecæ* applicari debet: *Omnia Rex,* (civitas, quacunque regiminis forma utatur) *imperio possidet, singuli dominio,* hoc est, illi jus suum ad finem ditionum regendarum restrictum ita tuentur, ut supremo juri Imperii aliquando debitos intra limites cedere jubeantur. quanquam enim provinciæ istæ per se consideratæ civitatis quandam speciem habent, earumque Rectores in relatione ad sibi subjectos egregiâ præfulgent potestate, quamprimum tamen ad universum Imperium illa comparatio terminatur, tum istæ eam incipiunt habere rationem, quam domus habet ad civitatem, & horũ quantacunque est authoritas, absorbetur atque exspirat, vel, ut cum *JCto* loquar, *privatorum loco habentur.* quod ὑπαλλήλοις potestatibus cõmune esse *Grotius* demonstrat. Cæterùm quia à voluntate eorum, qui civitati formam accidentalem accommodare jus habent, suspenditur, qualem potestatum subordinationem instituere, aut progressu temporis ortam legibus publicis formare ac instruere velint, mirum non est, quando in una interdum Republ. potestas, *summæ proxima,* deprehendatur, quæ ipsam summam potestatem apud imperitos mentiatur, eosque ut plures sibi perfectas Respublicas concipiant, seducat. quod in *Imperio Romano* de *superioritate territoriali* pronuntiari potest.

de Benef. VII,5.

l. 16. D. de V. S.

de J. B. & P. I,4.6.

§. VI. Quemadmodum autem hæc non tollunt *unam Rempublicam,* ita eandem non efficiunt I. si plures populi diversi sub uno capite uniantur, ita ut illa unio non in communitate juris, sed in sola persona Regis aut ejus familia fundetur. *neq; enim ut in naturali corpore non potest caput unum esse plurium corporum, ita in morali quoq; corpore: nam ibi eadem persona diversa ratione considerata caput esse potest plurium & distinctorum corporum,* ut notavit *Grotius,* varias autem *causas modosq;,* quibus ejusmodi conjunctio oriri possit, recensuit *Pufendorfius,* quos vel solo Hispanorum Regum exemplo comprobare licet. Sed est alia adhuc *unio,* qua *populus unus alteri populo indissolubili ac æterno nexu conjungitur, & in Imperium illius transit, ut tamen in formam provinciæ, solenni quidem modo, non redigatur,* sicut *Sabinos Imperium*

de J.B. & P. I,3.7.

de J. N. & G. VII,5,17

omne

omne contulisse Romam, dixit *Livius*, qui de *Albanis* idem ferè tradi-
I, 13. I, 28. dit *alibi*. *Grotius* diceret, *non amitti jura, sed communicari*, alii *pe-
de J. B. & P. II, 9, 9. nitus distincta manere* statuerent, *sed ab uno summo Magistratu administrari, cujus constituendi facultas penes istum populum solum sit, sub cujus Imperium alter populus concessit.* In genere fortè nihil pronuntiandum, sed ex formula, in quam uterque populus convenit, judicandum est, quâ si constat ab unius populi arbitrio rerum summam pendere, *alter civitas mansisse dici non potest, sed alterius pars facta censeri debet, quicquid simulacri causa obtendatur, nisi velis civitatem in civitate statuere, quod est omni rationi adversum.* Merentur legi, quæ de *unitis civitatibus* ad locum Gro-
p. 34. seqq. tii, antea productum, consignavit *Illustris Bœclerus in Dissertatione; de eo quod civitas egit.*

§. VII. Sed nec II. unam civitatem constituunt *populi, qui arctissimo fœdere in σύστημα quoddam sunt colligati*, de quo *Grotij*,
de J. B. I, 3, 7. & paulo prolixior *Pufendorffii* annotatio videnda est. Etsi enim conjungantur jura istorum populorum, non tamen ab uno im-
de J. N. & G. VII, 5, 18. perii spiritu, sed mutuâ sociorum conventione, vis atque efficacia illorum procedit, & in singulas partes explicatur. Interim *simulacra Reipublicæ* hîc occurrunt, quorum respectu talia fœderata corpora sæpè etiam *Reipublicæ* nomine insigniri, ab exteris quoque cum illis, tanquam cum una Republica, agi observamus, sicut *Hispanos* cum *Belgis* in Induciis, tanquam cum *populo
Induc. Belgic. l. 3. c. 1. libero*, pactos esse *Baudij* indicio discimus, quorum tamen singulas provincias perfectæ civitatis statum retinere abunde *Grotius* demonstravit in *Apologetico*. Hinc ut in summam denique, quæ hactenus dicta sunt, concludamus: *Ea demum Respublica verè una est, in qua, tanquam in subjecto essentiali, summum Imperium indivisum & inconvulsum, quoad singulas suas partes consistit, &*, si ad subjectum accidentale etiam respicere velis, *regimine vel Monarchico, vel Aristocratico, vel populari, vel ex his pro diversa summæ potestatis partitione mixto, per omnes civitatis partes & negotia sese diffundit, exserit, dispensat.* Quæ quomodo ad *Imperium Romanum* applicanda sint, ALTERUM *Dissertationis nostræ* MEMBRUM nunc ostendet.

§. IIX. Quid *Imperij Romani* nomine hîc intelligatur, adpositum *Sacri* elogium sufficienter declarat, quod inauditum fuit

fuit in *Imperio*, antequam *Romanos titulos* in *Germaniam* intulit, adeoque loquimur de *Imperio Romano*, quod cum adjectione *Teutonicæ Nationis, das Römische Reich teutscher Nation*, vel ſimpliciter *Imperium Germanicum, das Teutsche Reich*, appellari conſuevit. Ubi plerique regimen Ottonis, alii Caroli M. in oculis habent, nos autem in præſenti argumento *ſanctionem Pacis Weſtphalicæ* præcipuè reſpicimus, ex qua tanquam lege fundamentali, in univerſum habitus *Imperij*, qualem nunc ſe oſtendit, condiſcendus eſt, niſi quod ab antiquioribus inde ſeculis *unitatem Reipublicæ noſtræ* defluxiſſe, veluti in lucro ponamus.

§. IX. Sed præcavenda ſunt, quæ errandi occaſionem incautis præbere poſſunt. *Imperij* enim *Romani* appellatione plures inſigniuntur populi; ita *Germaniæ Regnum* & *Imperium* ſive *dominium urbis Romæ*, & *Regnum Longobardiæ* vel *Italiæ, Imperij*, quique iis præſunt, *Imperatoris Romani* titulum ſibi non ſine ratione præſcribunt: nam quod aliqui *Imperium Romanum à Germania* ac cætera *Italia* tam ſollicitè diſtinxerunt, illos tum Pontificum machinationes, ſub *Imperij Romani* nomine, in quicquid à Germanis poſſeſſum, ſibi jus aliquod vindicantium, tum errores quorundam Juſtinianæi juris interpretum, omnia Romano Imperio connexa, ditioni ejus ſubjicientium, excuſare non ſolum poterat, ſed & commendari merebatur illorum opera, in aſſerenda patriæ libertate, diſtinguendiſque diligenter titulis, quibus aliæ regiones ei accreverunt, tam laudabiliter occupata, cujus inſtituti menſuram *Illuſtris Conringij liber de Germanorum Imperio Romano* omninò adimpleviſſe Eruditioribus pridem viſus eſt: ſed diſciplina illius egregiè abuteretur, qui propterea *Imperij* nomen *Germaniæ* penitus ereptum vellet; diſtingui à ſe invicem *Germaniæ Regnum, Imperium Romanum, Regnumq; Italiæ* variis de cauſis & poſſunt & debent, ſed ſeparare, poſtquam horum omne jus in perpetuum Germaniæ cohæret, minimè licet. Cujus intuitu appellationes iſtas ſcriptores rerum Germanicarum permiſcere, *Bœclerus* obſervavit. *in Otton. I. p. 295 & 299.*

§. X. Illud tamen deciſione indigeret, *an in verè unum Reip. corpus coaluerint, an ſaltem unio ita contigerit, ut nihilominus tres perfectæ Reſpublicæ manſiſſe dici poſſint?* Equidem de libertate civili *Germaniæ* minus dubii ſupereſt. Sed quod *Imperium Romanum*

de J. B. II, 9, 11. *manum* attinet, *Grotius* asserere non dubitavit, *populum Romanum hodie eundem esse, qui olim fuit, & Imperium penes eum mansisse, tanquam penes corpus, in quo esset ac viveret*, nisi quod Eruditi existimaverint, illum hunc locum ex hypothesi potius illius gentis, cujus auspiciis universum *de Jure belli ac pacis* Opus lucubratum est, quam ex sua ipsius mente percoluisse; quicquid sit, certè pridem non solum à Commentatoribus, sed & *Conringio, Limnæo*, ac aliis confutatus est. de Imp. G. Rom c. 12. Addit. Tom. 2. ad I, 4, 24. p. 9. Quæ autem *de regno Italiæ Æneas Sylvius in Histor. Friderici III.* tradit: *Illud subactis Longobardis, non in formam provinciæ, sed ad Imperium sub* HONORE REGNI *receptum esse*, validè nobis opponi non possunt, quoniam, ut ex contextu illius digressionis apparet, rerum veritas ab ipso impetrare non potuit, ut affectuum erga patriam penitus oblivisceretur. Nos igitur existimamus, si quis rem ipsam detractis simulacris inspiciat, neque *Imperium Rom.* neque *Longobardiæ Regnum* mansisse perfectam Remp. ex ea ratione, quod per Otton. I. ipsi Germaniæ utrumque non solum conjunctum, sed & subjectum fuerit, ita ut extincta familia regnatrice, utriusque populi Imperium ad Germaniam solam, non ad quemque populum seorsim reverteretur, quod tamen, si distincta Rerumpubl. corpora fuissent, omninò requireretur; Vid. Bœcler. Otton. I. p. 297. & Vind. Anti-Blond. pag. 247. Conr. de Imper. Germ. Roman. c. 10. Ipse *Fridericus I. Imperator* in responso ad orationem Romanorum Legatorum non obscurè eo provocavit: *Supervenit Francus*, inquit, *verè nomine & re nobilis, eamq; quæ adhuc in te residua fuit ingenuitatem* (civilem, quæ sine summo Imperio intelligi nequit, ut *Grotius* loquitur,) de J. B. & P. I, 3, 11. & 12. *fortiter eripuit, vis cognoscere antiquæ tuæ Romæ gloriam, Senatoriæ dignitatis gravitatem, tabernaculorum dispositionem, Equestris Ordinis virtutem & disciplinam, ad conflictum procedentis intemeratam ac indomitam audaciam? Nostram intuere Rempubl. penes nos cuncta hæc sunt, ad nos simul omnia hæc cum Imperio dimanarunt. Non cessit nobis nudum Imperium, virtute suâ amictum venit, ornamenta sua secum traxit. penes Nos sunt Consules tui; penes Nos est Senatus tuus; penes Nos est miles tuus. Proceres Francorum ipsi tuam ferro injuriam propellere debebunt.* Cœterum *trina coronatio Cæsarea*, etiamsi in expedito esset, quam non evincat distinctionem trium ad c. 1. §. 14. Rerumpub. nuper observavit *Amplissimus Dn. Præses in Animadversionibus Monzambanianis*; quid vero ex eo colligere liceat,

quod

quod anni Regnorum & Imperii ſubinde in Diplomatibus Cæſareis ſeorſim numerentur, pridem oſtendit *Bœclerus* in Ottone I. *n.9. p.298. ſeqq.*

§. XI. Unde ſi quis rigoroſe loqui amet, præſcriptus Diſſertationis index ad totum complexum ſeſe extendit: ſed quoniam Italiæ *poſſeſſio* hactenus fere interverſa eſt, quamvis *Jus* integrum perſiſtat, ut prolixè demonſtrat *Conring.* de *Imp. Germ. R.* *c. 12.* & per univerſam Imperatorum ſeriem deducit *Bœcler.* *p. 253. ad 276.* in *Vind. Anti Blond.* fit tamen, ut ratione adminiſtrationis à Germania penitus ſeparetur, ad quam alias, ſi dicendum quod res eſt, veluti acceſſio & pars minus digna ſe habet, ut proinde eximie huc non pertineat, neque à ſcriptoribus, qui de unitate Reip. Imperii noſtri diſſerunt, ullo modo attendatur, quos ſi ſequamur, ad ſolum, ut appellitant, *Germaniæ regnum*, diſquiſitio noſtra devolvetur, cui ut præſcriptum & *Sacri* & *Romani* & *Imperij* titulum amplius vindicemus, ſupervacuum foret, poſtquam profeſsâ operâ tam luculenter illud præſtitit *Illuſtris Bœclerus* in ſæpius laudatis *Vindiciis Anti Blondellianis.*

§. XII. Germania autem ab iis temporibus, quibus in unam Remp. conceſſerat, eandem quoque unitatem fere retinuit: nam quamvis poſt mortem *Ludovici Germanici*, ad quem in diviſione Regni Francici Germaniæ Regnum pervenit, filii, conventione facta, paternum Regnum diviſerint, ut *Carolomannus Bajoariam, Pannoniam, Carenthanum, Bohemiam, Moraviam: Ludovicus Orientalem Franciam, Thuringiam, Saxoniam, Friſiam, Lotharingiam: Carolus Alemanniam & quaſdam civitates Lotharingiæ propter vini copiam, haberet,* *Oth. Friſ. Chr. L.6. c.6.* adeoque tria nova, ſui Juris Regna inſtituta fuerint, ut ex ſcriptoribus illius ævi conſtat, mox tamen duobus fratribus ſine legitima ſobole denatis, ultro in tertium, *Carolum*, poſtea *Craſſi* nomine appellatum, ut cœtera, de quibus hactenus inter Carolinos poſteros armis decertatum erat, ita etiam hæc tria Germaniæ Regna confluxerunt, & in unam Remp. denuo coaluerunt, quæ omnia diſtinctius tradita ſunt à *Conring. de Finib.* *L. 1. c.4. & ſeqq.* Exinde verò Germanici quidem Regni diviſionem factam nullam eſſe, facile demonſtrari poteſt, nam quoties iſtius & ſequentium ſeculorum ſcriptores vel ſubſidiariæ Electionis, aut inaugurationis ſolennis actum deſcribunt,

 obſer-

observare subinde licet ejusmodi formulas: *Congregatis Principibus, Consensu omnium*: interdum etiam enumeratio additur, *Francorum, Alemannorum, Bavarorum, Thuringorum & Saxonum Rex eligitur*, vel *elevatur & ungitur in Regnum*, certissimo indicio, hos populos tunc unius Reipubl. vinculo combinatos fuisse. Etsi autem postea, temporibus præsertim interregnorum hoc vinculum variis casibus laxatum sit, non tamen penitus dissolutum est, nec eo usque saltem *degenerasse* dici potest, *ut vix majorem vim habeat, quam fœdus aliquod systematicum sociorum inæqualium*, nisi quis rebellantium facinoribus speciosa juris nomina præscribere sustineat. Illud quidem certum est, inde à quo Monarchica Cæsarum potestas limitari & paulatim Ordines consortium Regiminis affectare cœperunt, instabilem Reip. habitum, quo jam Imperatoriæ partes prævalebant, mox sua Ordines jura amplificare contendebant, etiam prudentum sententias in dignoscenda dijudicandaque *forma Imperij accidentali*, distraxisse, quippe quæ variis loquendi modis agendique simulacris vestita in certum publicisque formulis perscriptum statum nondum subsederat: sed ad *unitatem Reip.* quæ formam ejusdem *essentialem* comitatur, dubitationes istæ non pertinent, illa enim sicut sub turbis civilibus inconcussa perstitit, ita per *Sanctionem Pacis Westphalicæ*, tanquam legem fundamentalem, amplius roborata, & in universum de *Statu Imperij Politico*, *ne posthac controversiæ suboriantur*, ibidem provisum est, ut adeo hic disputandi tricandique libidini & scripturientium audentiæ constituti termini putari debeant.

ut in Henr. Aucup. Contin Regin. ad A.C. 920.

Vid. Bœcl. Notit. S.R. I. L.1. c.2. p.4. Forstner. ad Tacit. XIII. Annal. 54.

Instr. Pac. Cæs. Suec. art. IIX. §.1.

§. XIII. Omnino enim habent hoc *Populi liberi*, ac rationi naturali non solum consentaneum est, sed & communi veluti nationum consensu in vim juris gentium evaluit, *ut quam sanctionibus publicis & qui his innititur, curiali stylo, regimini suo formulam prætexuerint, privatorum opinationibus aut umbraticis ratiunculis explicari judicarive, nec possit nec debeat, sed Legibus publicis privatæ scripturæ, sermones, meditationesq; sese attemperare teneantur.* quod *Bœclerus* quoque submonuit; jam autem certissimum est, Leges fundamentales de Imperio nostro, tanquam de *una Rep.* non solum *disertis verbis* loqui, sed & contextum publicæ administrationis quoad singulas sui partes ejusmodi instruere præsidiis,

Notit. S.R. Imp. XXII, 2. p.218.

diis, qualia extra Remp. verè unam ne quidem concipi possunt.

§. XIV. Ita *diserte* unitas Reip. signatur, quoties in Constitutionibus publicis, *Sacrum Romanum Imperium*, non qualicunque figuratione Verborum, ut privatæ consociationes & systemata fœderata, sed subli miori aliquo significatu & veluti solenni formula, *Corpus* appellatur, in quo *Capitis* autoritate *Imperator*, *membrorum* verò æstimatione *Ordines* censeantur: loca *Limn.* & aliis consignata non repetimus. intempestivum autem fuerit, comparationis hujus medium à vulgari quadam cœterisque cœtibus communi figura loquendi arcessere, quod jura Imperii publica repetunt ab intima illa unius animæ ac spiritus participatione, qua singuli Status cum Imperatore ac inter sese æquali juris harmonia, qualis nempe *formæ Reip. & Constitutionibus Imperij* (ut publicus stylus loquitur) *conformis est*, tanquam vinculo formali, in unam personam moralem coalescunt, & cujus arcano impulsu ipsum *caput* & universa ac singula *membra* ad subeunda officia muniaque suæ cujusque constitutioni congrua, moventur veluti, & *per modum Imperij* adiguntur, ut toti *Corpori* decus, vigor, & sua in fruendis utilitatibus communibus felicitas constet. vid. *Lampadius.* Nam *quod aliquando caput adversus membra velut in partes discesserit*, superiorum temporum labes fuit, cujus ratione *Monzambanus* Imperium R. non magis monstrum dicere debebat, quam Galliæ Regnum aliasve Resp. quas dissidium religionis aut similes causas in bella civilia interdum traxisse notissimum est.

de J.P. I, 7. 51.

Instr. Pac. Cæs. Suec. art. V. §. 1.

de Rep. R. G. P. III. c. 1.

de Stat. Imp. G. c. 7. §. 8.

§. XV. Eodem pertinent, quæ in Imperio nostro tam signanter, tantoque potestatis apparatu disposita videmus, *de reformatione atq; emendatione* Politiæ, cui omnes actiones suas, per se aut ex circumstantiis ad civilem administrationem pertinentes, per modum legis universalis jubentur attemperare, quicunque inde ab Electorum, Principum, cœterorumque Statuum fastigio ad infimam usque privatorum classem in *Imperatoris & Imperij* subditorum censu habentur. in exemplum conduci possunt, *Reformation guter Policey zu Augsp.* de Anno 1530. & 1548. *zu Franckf.* de Anno 1577. & plura instituta similia, quibus non dispari vinculo, licet dispari ordinis gradu obstrin-

 guntur,

guntur, qui alio respectu supra privatos eminent. ita aliis formulis *Recessus* & *Constitutiones Imperij, Diplomata, Privilegia, Edicta,* & in universum *stylum publicum* instrui videas, quæ sicut cum natura systematicorum corporum manifesto pugnant, ita eadem operâ unitatem Reipubl. luculenter evincunt.

de Rat. Stat. in Imp. R. G. P. 1. c. 4. §. 3. n. 24. 25. add. §. 5. n. 19. & P. 1. c. 6. §. 2. n. 7. 8.

§. XVI. Vim hujus argumenti non elidunt, quæ *Hippolith. à Lapid.* aliâs tradit: *Recessus Imperij parum accurate loqui, & magnificis verbis, etiam contra rerum naturam nimium sibi indulgere, à parasitastris illis Legistis Recessuum concinnatoribus vim Comitiorum non satis capientibus provenire, quorum opinione etiam Ordines Imperij persuasi ac in fœdam status sui ignorantiam inducti sint, itaq; ex uno alteroq; Recessuum verbo, lubrica peti argumenta, quibus solum sibi placeant isti, qui vitri exteriora lambunt, pultem vero non attingunt*; istis enim criminationibus cordatiorum neminem sibi illudi passurum esse opinor: quid enim sani expectes ab eo, qui adversus Cæsarem non tantum, sed & plurimos nominatim Ordines, & totum denique Reip. Statum hostili animo & calamo grassatur? cui ut formam, quam sibi animo conceperat, aptare posset, primum cavillari legum fundamentalium verba necessum habebat, quod si cavillationi manifestissimus sensus viam præcluserat, quid aliud relinquebatur? quam autoritatem illarum atterere, dummodo suæ causæ serviret; quanquam profecto hoc non est causæ servire, sed nocere, si quis autoritatem illis denegare sustineat, unde *basin & fundamentum operis sui extruere* ratio videbatur, quæque *limpidissimi* universæ scriptionis *fontes* haberi debebant, quod de *Recessibus* INPRIMIS & *Constitutionibus Imperij alibi* profitetur Hippolithus, cujus dicacitatem armorum jus aliquatenus excusare valet, quale suæ *commentationi* prætexere nullum potest *Monzambanus*, quanquam in illa passim dicteriis *stylum Curiæ* lacessere, aut ipsis etiam Recessibus insultare non dubitaverit.

præf. ad Lect. §. 26. & 28. de Stat. Imp. G. c. 6. §. 6. add. c. 5. §. 2.

§. XVII. Sed ne pro Imperio cuiquam unitatem Reipubl. nostræ obtrudere videamur, per partes omnes summæ potestatis eam demonstrabimus, nisi quod in antecessum *de Superioritate Territoriali*, ejusque *juribus* pauca dicenda sunt, ne in progressu offendamus; quemadmodum enim in cujusque populi liberi arbitrio constitutum est, qualem in civitate sua ordinem

nem & poteſtatis diviſionem introducere velit, ita Germanorum ingenio eximiè illam, qua utitur, regiminis ſpeciem convenientem, imò neceſſariam fuiſſe experientiâ edocti ſumus. Sunt autem *jura Territorialia* nihil aliud quam *jura realia territorio connexa, quorum vi ſingula immediata Imperij membra in territoriis à ſe poſſeſſis, poteſtatem, ſummæ proximam, exercent.* Natura illorum melius intelligi nequit, quam ex analogia jurium majeſtatis; quemadmodum enim jura Majeſtatis ſe habent ad univerſam Rempubl. ac circa omnia media ad finem Reipubl. univerſalem obtinendum neceſſaria verſantur abſolutè & illimitatè; ita jura territorialia ſe habent ad territorium, & circa diverſa media ad finem territorii particularem obtinendum neceſſaria, verſantur modo ad univerſales Imperii leges reſtricto. unde ſi quis exquiſitè loqui velit, *Superioritas Territorialis* ſumma & Majeſtatica non eſt, ſed dependet non tantum quoad modum habendi, verum etiam quoad rem ipſam, ab *imperio ac dominio univerſali, quod in omnes perſonas, univerſas regiones, earumque ſingulas partes civitati toti, hoc eſt, Imperatori & Imperio competit,* ſicut nemo quoque ex Ordinibus *directum* in territorium ſibi jus vindicat. in univerſum autem limites, quibus ſuperioritas illa coërceatur, ſignavit Generoſ. *Dn. à Seckendorff im Teutſchen Fürſten-Staat*, peculiari capite, *von der Maß der Lands-Furſtl. Hoheit in Anſehung Kayſerl. Mayeſt. und des Reichs.* part.2.c.2. Poteſt tamen ſumma & Majeſtatica dici, ſi commodè explicetur, nimirum quatenus conſideratur non *in ſe & abſtractivè*, ſed *concretivè*, ſi cum Philoſophis loqui licet, hoc eſt, quatenus *in certo ſubjecto* Majeſtati tam arctè connexa eſt, ut quædam è viſceribus Majeſtatis progreſſa virtus ſe ei veluti inſinuet, vigoremque Majeſtati cognatum conciliet: & hoc ſenſu intelligi fortaſſis voluit *Lampadius*, quando *ratione rerum ad Comitia ſpectantium Principibus in ſuis Territoriis ſupremam atq; adeò Maieſtaticam juriſdictionem competere,* aſſeruit, propter intimam illam conjunctionem, de Rep. R. G. p 3. c. 3. n. 16. ſeqq. qua mutua ope & indivulſo agendi principio in actus ſui perfectionem convaleſcunt, Majeſtas, alio reſpectu Statibus competens, & Superioritas Territorialis, in exercitium adminiſtrationis provincialis degreſſa, ut illa huic dignitatis ſuæ poteſtatiſque ſplendorem pariter ac efficaciam quandam largiri ac diſpenſare

pensare intelligatur. Sed quoniam non cujusvis erat, tantæ connexionis propinquitatem pervidere ac comprehendere, aut quid proprium quidve aliunde communicatum hîc esset, probè discernere, plerique non ultra fermè, quàm superioritatis vocabulo meditationem suam ac interpretationem definiverunt, ut nihilominus in re præsenti effectus Majestati proprios illi adscribere non dubitaverint, unde subnata est fluctuans illa ac multa verborum formularumque commixtione perturbata de *Superioritate* philosophandi ratio, cujus causam quidem in id conjicere maluit *Wehnerus* cum aliis, quod *nec jure scripto nec perpetua aut certa aliqua observantia* hæc materia definita sit, unde privatæ disquisitiones explicationis suæ mensuram capere possint. Solidissimæ tamen tractationis specimen in hoc argumento edidisse videtur *Ludolphus Hugo* adornato nobili Commentario *de Statu regionum Germaniæ & Regimine Principum summæ Imperij Reip. æmulo*, ubi diligenter *Jura Imperialia*, sive summæ potestatis, à *juribus territorialibus* distinxit, diversasque horum species, & imprimis nobilem partitionem inter Jura territorialia *per se & ex suppositione* talia, eximiè illustravit, quem non exscribimus : sed pergimus ad dispiciendum, quid vel in universo Imperio, Imperator & Ordines conjunctim, jure Majestatico, vel in suis territoriis singuli Status jure superioritatis ex Majestate resplendescente, possint, ut exinde, quomodo secundum singulas partes summa potestas in Imperio Rom. una sit, colligamus.

Obs. pract. voc. Landsfürstl. Obrigk.

§. XIIX. Principio enim *legem* universum Imperium obligaturam *condere*, aliaque eo pertinentia exercere, *Imperatoris & Statuum conjunctim* sumtorum res est, nisi quod separatim, quid juris nomothetici Electoribus competere videatur in concipienda Capitulatione, & jus privilegiorum concedendorum, inter reservata Cæsaris censeatur: unde quidem distributio objecti in subjecto accidentali, non autem multiplicatio ipsius facultatis Legislatoriæ evincitur. Nam quod vulgò dicunt, *Status in suis territoriis posse leges condere etiam juri communi repugnantes*, ad Jus Justinianæum & consuetudines in Imperio communiter receptas restringendum est, ad publicas autem Imperii leges in comitiis latas non pertinere, *Mylerus* ostendit; quanquam

de Pp. & Stat. Imp. R.G. p. 2. c. 39. §. 5.

quam amplius distinguendum puto: sunt enim & hæ leges duplicis generis; aliæ statutis & consuetudinibus territorialibus expressè derogant, sicut in *R.A. zu Augsp. de Ann.* 1551. §.71. & alibi passim ejusmodi clausulæ annullatoriæ deprehenduntur: quo casu libertas legem provincialem pro arbitrio condendi manifesto præscinditur; aliæ autem Ordinibus facultatem positivè permittunt, generalitatem legis imperialis quadantenus corrigere, ei aliquid addere, detrahere, atque conditioni hominum, regionumque statui, quibus præsunt, attemperare. Specimina vid. in *Ordin. Crimin. Carol. V. prin. R.A. zu Regenspurg. de Ann.* 1654. §. 171. ubi contrarium aliquid communibus legibus utique statuere possunt, si modo contrarium dici potest, cui à voluntate Legislatoris vis legitima decernitur, quare secundum illius tenorem in causarum quoque decisione inter provinciales *Camera Imperialis* pronuntiare jubetur. *Ord. Cam. p. 1. t. 57.*

§. XIX. Peculiarem magis æstimationem quam cætera sortitur *jus circa sacra*; quoniam enim religio non intra finem consociationis civilis subsistit, sed ad ulteriorem ordinatur, dissidium autem in Ecclesia subortum legitimis rationibus componi nondum potuit, nulla alia expediendi ratio supererat, quam ut defectum Imperii in ditionibus, prout res patiebantur, supplerent status, quoad singulorum conscientiæ liberum relinquebatur, ex religionis controversæ partibus alterutram eligere: è cujus electione habitus quoque *jurisdictionis Ecclesiasticæ* dependet. Quantacunque autem illa sit *autonomia in sacris*, certos tamen limites à constitutionibus Imperii accipit, quos nuper *Sanctio Pacis Westphalicæ* luculenter exposuit. Add. *Mylerus de Princ. & Statib. Imp. R.G. p.2. c.82.83.84.* *art. V.*

§. XX. Ad *bella* ut veniam *nomine Imperij* decernenda gerendaque communem Imperatoris Statuumque consensum *regulariter* requiri *Tabulæ Pacis* apertè testantur: quanquam enim *in subitis* etiam reliqui Ordines admitti & in *monitis* suis *ad Capitulationem Leopoldinam* hanc clausulam inseri denuò voluerint, hactenus tamen *legaliter* Electoralis Collegii solius mentio facta est. *Jus faciendæ pacis* sicut naturaliter *eorum est, quorum est bellum*, ita in Imperio necessario quoque contextu secum invicem cohærent. Quamvis autem instituta civitate jus illud resi- *art. IIX. §. gaudeant. ap. A. der Grundv. p.3. c.3. p.223. vid. Capit. Leop. art.13. Grot. de J. B. III,20,2.*

resistendi promiscuum, singulis naturaliter permissum, civitati accreverit, ut *Grotius* philosophatur, idemque in Imperio nostro sanctionibus de pace publica servanda, aliisque quibus non vi sed jure experiri Status jubentur, expresse statutum sit, tamen propter *defectus administrationis publicæ*, qui veluti cicatrices ex vulnere, quod superiorum temporum labes Reip. inflixit, superstites, eandem suo officio fungi, eo quo par erat modo, nondum patiebantur, *singulis territoriorum dominis* pro securitate *armorum* jus permittendum fuerat, quorum tamen bella cum exteris non solo jure gentium, sed civili etiam, Constitutionibus Imperii comprehenso, reguntur, ne Imperio vel alicui ex civibus Imperii damno sint. Ita porrò, ad *bella offensiva* ex legibus Imperii specialem consensum Imperatoris requiri, ostendit *Mylerus* & contra *Limnæum* id negantem amplius asserit *Schuzius*, quanquam *Limnæus in Additionibus* re ipsâ *Schuzio* largiri videatur, quod in verbis formalibus tam pertinaciter negat. Interea certum est, quicunque aliter, atque leges publicæ permittunt in Imperio, arma suscipit, in *crimen fractæ pacis publicæ* incidere, ideoque in Camera Imperiali vel Aula Cæsaris mandata avocatoria contra eundem sub pœna banni & publicationis bonorum decerni, ut *R.I. Spirens. de Ann.* 1529. expresse dispositum repetitumque *R.I. August. de Anno* 1530. §.66.67. ac *Ordinat. Camerali. P.II. t.*9. §.3.4. insertum est. Eodem ferè modo *in fœderibus* se res habet, ad quæ, si *nomine Imperij* pangenda sint, *ordinario casu* consensus Imperatoris & Statuum communiter requiritur; *in subito* Cæsari ac Electoribus *vi Capitulationis* ea res committitur. Terminos autem *superioritati territoriali* hic constitutos ex ipsis *Tabulis Pacis* intelligere licet, in quibus *jus faciendi inter se & cum exteris fœdera, pro sua cujusq; conservatione ac securitate singulis Statibus perpetuò liberum conceditur. Ita tamen, ne ejusmodi fœdera sint contra Imperatorem & Imperium, pacemque ejus publicam vel hanc imprimis transactionem, atq; salvo per omnia juramento, quo quisq; Imperatori & Imperio obstrictus est.* Sed hæc ad *fœdera defensiva* pertinent; *offensivum* autem nullum cum altero inire possunt, nisi itidem ex speciali Imperatoris consensu.

de I.B. & P. I,4,2.

de Princ. & Stat. p. 2. c. 81. §. 4.

de J. P. IV, 8,247.

Colleg. J P. vol.I. disp. 10. th. 3.

T.2. p.304. seqq.

Leopold. art.10.

art. IIX. §.1.

§. XXI.

§. XXI. Quod attinet *jus in res civium extraordinarium, supereminentis Dominij* nomine *Grotio* appellari solitum, in Capitulationibus Imperatoriis, inde *a Carolina ad Leopoldinam* usque *Imperatoris & Electorum* tantùm fit mentio, unde subdubitari cœpit, *an consensus cœterorum Ordinum sit necessarius? Doctissimus Conringius de Statu hodierno in re dubia malle se ἐπέχειν*, professus est, *cujus ad exemplum suum quoq; judicium se suspendere* dixerat *Limnæus in Annot. ad Capit. Ferdin. IV. artic. 9.* quæ inserta sunt *Additionibus T. 2. ad I, 12, 245.* sed in *posteriori editione*, ubi inter cæteras quoque Capitulationes comparent, *affirmativam* suscepit; ista tamen concludendi ratio, quam ex *art. IIX. Instr. Pac.* mutuatur, vix rem evincet, ut *Bœclerus* ostendit: fortius argumentum petitur ex illustri *Pacificationis Osnabruggensis* exemplo, *in qua supereminentis Dominij rationes probè excussas esse, & non nisi ab Imperatore & Imperio sive Ordinibus simul exerceri potuisse, Bœclerus* alibi notavit: quod & expressæ formulæ: *Cæsarea Majestas de consensu, consilio & voluntate Electorum, Principum & Statuum Imperij concedit, &c.* in *Instr. Pac.* tum *Cæsar. Suec. art. X.* tum *Cæsar. Gall. §. 69.* testantur. Dubium autem, quod ex Capitulatione moveri posset, optimè, ni fallor, expedivit *Conringius*. Ex his constat, quam peritè *Monzambanus* dixerit, *magnum habiturum esse malum, qui in Imperio asserere audeat universis Ordinibus in singulorum bona tantùm competere potestatis, quantum in Republ. Veneta toti Senatui in bona singulorum Senatorum*: Certè malum nullum habebit, qui dicit, quod Leges publicæ dicunt, & quotidiana praxis docet: quo enim nisi *Dominij Eminentis* jure adigi potuit *Sereniss. Elector Brandeburgicus*, ut jus suum in ditiones Suecis cedendas deserere, aliisque in compensationis vicem sibi satisfieri pateretur? nam suapte sponte non consensisse Sereniss. Electorem, patet ex *Epistolis Forstnerianis*, & ipse *Severinus alibi* fassus erat, *maluisse eum pro hisce Pomeraniam interiorem retinere.*

art. 9. *art. 12.* *de Finib. Imp. G. c. 19. p. 290.* *n. 17. p. 831.* *Not. 6. R. Imp. L. 18. p. 198.* *Diss de Domin. Emin. p. 117.* *de Fin. Imp. G. d. l. p. 289* *De Stat. Imp. G c. 6. §. 5.* *c. 2. §. 7.*

§. XXII. De *Jure ordinario*, quod ad *vectigalia & contributiones* refertur, potius dispiciendum est. Equidem *vectigalia* omnia, etiam quæ Imperii dicuntur, non Imperium, sed singuli Status in territoriis suis percipiunt, in compensationem nimirum onerum personalium vel realium à se quoque sustinendorum, quæ unicum vectigalium exigendorum *fundamentum* at-

de J.B. & P. II,2,14. que *menſura* ſunt, notante *Grotio*. Iidem tamen Status ſine *Imperatoris & unanimi Electorum conſenſu*, neque vetera ultra modum legibus publicis perſcriptum intendere, neque nova inſtituere poſſunt, adeò ut ſi quiſpiam ſub quocunque prætextu tale quid moliatur, Camera Imperialis mandata ſine clauſula inhibitoria ac reſtitutoria præter extraordinariam pœnam decernat. vid. *Capit. Carol.V. art.*18. *& reliquorum. Leopold. art.*21.22.23. *Contributionum* autem *nomine Imperij (Reichs Steur) indicendorum* art.IIX. §.1. *jus penes Imperatorem & Ordines ſimul* conſiſtere, dubitare *Inſtrumentum Pacis* nos non ſinit. quanquam *modus exercendi* hujus juris non careat difficultate; nam de *pluralitate votorum* pridem dubitationem ſubortam eſſe, *Limnæi* indicio diſcimus, quam neque de J.P. IX, 1, 182, 183. Inſtr. Pac. Caſ. Suec. art.V. §.52. T.2. Add. ad IX. 1, 182. p.362. ſeqq. conf. A.der Grundv. p. 3. c. 7. p.286. *Pacificatio Oſnabrugenſis*, neque inſecuta *Comitia* An. 1653.54. expedire potuerunt, uti ex *actis* conſtat, qualia per *Excerpta* idem *Limnæus* exhibuit. An autem *præſentia Comitia* legalem definitionem productura ſint, tempus docebit, nam in conſultationem veniſſe hoc argumentum conſtare poteſt ex *B. Venator. ominoſ. rer. ſerie.* add. *Olhaf. diſc. vom heutigen Reichstag p. 2. l. u.* Interea certiſſimum eſt, quod ſi *Imperator & Ordines* eo modo ac formula, qua in cæteris quoque deliberationibus utuntur, inter ſe de *quota* convenerint, quæ ab initio voluntatis fuerat (*freywillige Steur*) neceſſitatis fieri, Statuſque non *jure* aliquo *pactitio*, ſed *decreto imperiali (Reichs Decret)* à ſumma poteſtate civili profecto, ad ſolvendum obligari, adeò ut ſi quiſpiam cunctetur, in Camera Imperiali mandata ad pœnam dupli contra eum decerni, contumacem verò privatione bonorum vel regalium, proſcriptionis etiam pœna, coërceri poſſe, Imperii Receſſibus conſtitutum ſit, quod demonſtrat *Doctiſſimus Mylerus*. Imperitiam de princ. & Stat. Imp p. 3. c.97. §.25. de Stat. Imp G. c.5. §.7. de Princip. & Stat. I. p. 2. c. 62. de Stat. Imp. Germ. c.5. §.7. igitur Status publici iterum detexit *Monzambanus*, quando *nihil ab Ordinibus pro Imperio exigi*, veluti de plano pronuntiavit. Quales autem termini per leges univerſales *Superioritati Territoriali* circa exactionem collectarum provincialium poſiti ſint, idem *Mylerus* & alii exponunt. Unde & ille *Monzambani* error corrigi debet, *ac ſi Cæſari parum curæ eſſet, quomodo quiſq; Ordinum ſuos ſubditos tractet, & tondeat an deglubet ſuas oviculas*, quem vel nuperum *Extenſioniſtarum*, ut vocabantur, exemplum confutare poterat.

§.XXIII.

§. XXIII. Accedunt ex partitione Grotiana, quam hactenus ſequi maluimus, ea quæ Majeſtas per alium expedit. *Jus judiciorum in Imperio*, quatenus Majeſtaticum eſt, ſi ſequamur rationem concludendi pragmaticam, aliquoties *Lampadio* traditam, quâ omnia *imperandi jura Cæſaris propria eſſe dicuntur, in quorum communionem Ordines per Capitulationes, Receſſus, aliaſq; Conſtitutiones Imperij, non expreßè conceſſerunt*, apparebit *Imperatori ferè ſoli* tanquam ſubjecto formali ac primo ineſſe, quod prolixè etiam demonſtrarunt *Paurmeiſterus* atque *Lampadius*: ut proinde *Juriſdictio*, quam vi *Superioritatis territorialis Dicaſteriis ſuis & Judiciis Provincialibus* impertiunt Status, ſi non appellando, quod cum natura ſubditi conſiſtere poſſe, *Grotius* docuit, certè ſupplicando Juriſdictioni Cæſaris ſubjiciatur, patiaturque ſuperiorem, quam de cœtero Status vel cum ſubditis ſuis, vel inter ſeſe litigantes recognoſcere tenentur, in omnibus cauſis, tam civilibus, quam feudalibus; nam quod *Pares Curiæ* aliquando adhibebantur, conſilii erat, non neceſſitatis. Aliud eſt in *Jure Magiſtratuum Imperij conſtituendorum*, quod ſecurius vulgo explicant, qui Ordines Imperii Magiſtratus appellare non verentur. nam quin olim *Duces, Marchiones, Landgravij ac Comites* varii generis, Magiſtratuum nomina & officia fuerint, dubitari nequit, ſed cum paulatim Imperium ipſum ſibi arrogaverint, iſtaque uſurpatio Imperatorum patientia in jus abierit, ut cum *Grotio* loquar, retinebantur quidem hodieque nomina, ſed non manebant officia & ſtatus priſtinus. quod ſi tamen quis popularem philoſophandi rationem ſectari maluerit, & ſub hoc titulo agere de *Conſtitutione Statuum Imperij*, arbitramur facile contra *Limnæum* obtinere verioris ſententiæ aſſertorem *Schuzium*, facultatem creandi Status *ſoli Cæſari* competere: nam dubium illud, quod *Limnæus* ex *neceſſitate conſenſus* cæterorum Ordinum extruere, & in *Additionibus* reſponſi loco *Schuzio* reponere voluerat, diſtinctione inter *cauſam efficientem veram*, & *ſine qua non* fortaſſis expediri poterit. Veri autem *Magiſtratus Imperii* exemplum ſicut ſuperiori tempore in *Regimento*, ita hodie in *Conſilio imperiali Aulico* & *Camera Spirenſi* videre licet, cujus conſtitutio quoad ſubjectum, formam & modum expediendæ jurisdictionis *communi Statuum & Cæſaris* autoritate inſti-

de Rep. R. G. P. III. c. 16. §. 1. p. 3. c. 13. §. 3.

de Juriſd. Imp. R. L. 2. c. 6.

de Rep. R. G. p. 3. c. 16.

de J. B. & P. II, 4, 13.

de J. B. I, 3, 21.

de J. P. I, 7. 65. & 79.

Colleg. J. P. Vol. 1. diſp. 6. th. 2.

T. 2. p. 118. ſeqq.

tuta est, quamvis *à solo Cæsare* jurisdictionem acceperit, sicut eruditè & ex mente Veterum Jus judiciorum à Jure Magistratuum distinguit *Lampadius*; quæ cum vulgo confundere videtur *Limnæus*. Pertinet huc etiam, si quis constituendus est, *Cæsaris Vicarius generalis*, quem olim solus Cæsar sibi constituit, superiori autem seculo consensum Ordinum accessisse volunt. Quoniam præterea quid status singularum regionum exigat, rectius *singuli Ordines* perspiciunt, etiam his *facultas ordinandi Magistratus & Officiales Provinciales* competit, qui tamen non possunt extra limites Imp. Constitutionibus sibi præscriptos evagari.

de Rep. R. G. p. 3. c. 16. n. 8. & 11. de J. P. IX, 2, 55.

§. XXIV. *Jus* circa *Legationes Imperij* vel ad *mittendas* vel ad *recipiendas* pertinet. *Illud* ex indole negotiorum cum exteris per Legatos tractandorum æstimationem suscipit; prout enim mittuntur vel de re in solius Cæsaris potestate constituta, vel ad Comitia pertinente, etiam vel soli Cæsari vel Ordinibus communiter ista facultas competere videtur, prærogativa tamen aliqua Cæsaris cernitur, quod *instructiones Legatorum*, & *literæ*, quas vocant, *credentiales*, non in *Cancellariâ Moguntini*, tanquam Archi-Cancellarii Imperii; sed *Cæsaris, in der Reichs Hoff-Cantzley*, conficiantur, sicut illustri exemplo *R.I. Ratisb. de An.* 1576. §.107. discimus; in *stilo* quoque peculiare quid observare licet, quando Cæsar vocat, *Unsere sonderbare Abgesandten, wie auch die zugeordnete ansehnliche Deputirte von den Reichs-Ständen. R.I. Ratisb. de A.* 1603. §.29. Quod verò ad *recipiendas audiendasq́ exterorum Legationes ad totum Imperium missas* attinet, videtur omninò nullâ Capitulatione restrictum esse Jus Imperatoris, quanquam contrahere cum ipsis atque concludere iterum pro diversitate negotiorum vel solus possit, vel Ordinum consensum exquirere teneatur. Cætera, quæ minoris momenti sunt, attingere nihil attinet. Ex his in universum colligimus, quia *primo* leges publicæ expresè dicunt, *deinde* administratio summæ potestatis per singulas partes luculenter ostendit, Imperium nostrum esse unam Rempublicam, imperitiæ aut impudentiæ specimen dare, quisquis in seria æstimatione id negare sustineat. *An* autem *consultius sit Statibus, si plures à communi Imperij corpore separatas instituerent Respublicas?* sicut hoc seculo in quibusdam aulis

aulis ſuper hac re conſultatum fuiſſe novimus, ea verò alia quæſtio eſt, in qua magna quædam & ardua latent, tum *juris* tum *utilitatis* ratione, ſed hoc loco non attingenda, cordatiores ſemper in oculis habent, quod de Britannis olim pronunciavit *Tacitus*. *Agric. XII, 3.*

§. XXV. Supereſt, ut Tertia parte de iis, *quæ obſtare nobis poterant*, *rationibus autoritatibuſve* breviter diſpiciamus; nam *Exteros* & *Germanos* in contrarium tendere videas. *Illorum* tanta ratio hic habenda non eſt, quos vel imperitia ſtatus noſtri, vel externa rerum ſpecies decepit, vel aliis de cauſis talia in vulgus diſſeminare conſultum ſibi judicarunt. Commendari tamen meretur candor *Thuani*, qui in Digreſſione, quam de Rep. noſtra inſtituit, illam Amphyctionum conſeſſui, aut concilio Achæorum conferre non eſt auſus, quæ *cum Germania comparata, quaſi muſcam ad Elephantum*, putavit. Ex *Germanis* autem alii *apertè*, alii *tectè*, utrique ex diverſis cauſis, ſæpè etiam diverſis propoſitis hîc graſſantur. Ità videmus ſolidioris civilis ſcientiæ *imperitiam*, illiuſque cum jure *Feudali* præſertim ac *civili* ſolennem confuſionem, quæ ſuperioribus temporibus loco philoſophiæ habebatur, nonnullos *præter opinionem* in hunc errorem deduxiſſe, ut in *Regalibus* & *Superioritate Territoriali* Majeſtatem ſibi aliquam confingerent, cujus multiplicationem in Imperio neceſſario etiam Reipubl. multiplicatio ſequebatur: quod exemplis non longè quæſitis confirmare poſſemus, niſi id modeſtiam juvenilis ſcriptionis excedere videretur. Specimina tamen hujus rei manifeſta apparent in illis, qui ſtatuerunt, *contra quemvis Statum Imperij committi crimen læſæ Majeſtatis*, quique ſupinâ quadam ſecuritate vulgare illud, *unumquemq; Statum tantum poſſe in territorio ſuo, quantum Cæſar in univerſo Imperio poteſt*, explicandum ſibi ſumſerunt; quoniam verò Reip. habitus non ex hujus aut illius judicio æſtimandus, ſed ex ipſa rerum indole, quarum compendium leges publicæ ac fundamentales haberi debent, condiſcendus eſt, certè vaga ſcriptorum diſciplina aut in conſignatione ſtatus diſcordia, ipſi veritati præjudicare non poteſt, multo minus *ab aliis* in argumentum trahi debet, *unde monſtra & irregularitates Reip.* veluti in opprobrium Imperii noſtri extruantur. *l. 2. Hiſt.*

§. XXVI.

§. XXVI. Alios *pulchritudo comparationis* illexit, vel *exterior rerum facies* fefellit, ut qualemcunque ſimilitudinem, quâ ratione finis ſui ſcopique civilis, aut externæ quoque adminiſtrationis, Imperium noſtrum cum corporibus arctiori fœdere nexis conferri poteſt, ad identitatem formæ extendere non dubitaverint. Nota eſt *Doctiſſimi JCti Jacobi Gothofredi Achaica*, & quamvis Oratori facile condonari poſſit, quod in recenſendis curandiſque morbis Imperii noſtri, ſub exemplo ex antiquitate petito, quod cum iiſdem malis conflictabatur, quam in re præſenti, momenta ſpecialiora indagare maluerit; alii tamen in vero ſerioque judicio de ſtatu Reip. faciendo figuris iſtis Panegyricis auſcultare non debuerunt. aliâs non obſcurum eſt, quouſque comparationis formulæ admitti debeant, & aliud quæritur in fortuita diſſertatione, aliud in accurata explicatione. Certè variis in locis operum ſuorum talia de Imperio noſtro, ac ſi perfectas Reſpublicas plures in ſe complecteretur, commentari *Conringium* videas, quæ ſicut in communi loquendi uſu interpretationem commodam facilè recipiunt, ita procul dubio magna *Doctiſſimum Virum* injuriâ afficeret, qui præciſum de Republica judicium ibi quæreret, quod ſuis locis legibus Imperii ſatis conforme edidit.

§. XXVII. Deterior eſt eorum Secta, qui *apertè* legibus Imperii fundamentalibus bellum indicere non verentur, ut ſublato *Reip. vinculo* in corpus aliquod *inæquali fœdere* nexum illud reformare poſſint, quo propoſito *librum* ſuum *de Statu Imperij Germanici* conſcripſiſſe videtur *Severinus de Monzambano*, quanquam enim fluctuantibus formulis ſubinde indulgere amaverit, ut adverſariorum diſputationes, quocunque adverſus ipſum inclinentur, ſubterfugere poſſet, ſufficienter tamen pluribus in locis animum ſuum prodidit. Nos ea, quæ adverſus *Unitatem Reipublicæ* tendere videntur, per ſumma ſaltem capita removere conabimur. Is igitur ex claſſe *ſubditorum* penitus eximere conatur Status. I. quod *nexus feudalis, quali Imperatori ſtatus adſtringuntur, nihil aliud fere efficiat, quam conditionem inæqualiter fœderati*; ſed ſicut totam Feudorum originem ejuſmodi ibi contexuit, qualem hypotheſi ſuæ optimè convenire arbitrabatur, ita tamen ſtante eâ, amplius diſtinguendum erat inter *nexum feudalem*,

c. 3. §. 4. add. c. 5. §. 28.

feudalem, ſimplicem & modificatum, illum quidem cum ſumma poteſtate conſiſtere poſſe *Grotius* nos docuit. Verùm ad Status Imperii malè applicatur diſciplina iſta, qui non ſolum *ratione bonorum feudalium juramento fidelitatis*, ſed & *ratione perſonæ ſuæ juramento homagiali*, Imperatori & Imperio devinciuntur, ut non ſolùm *Vaſallorum* onera, ſed & *ſubditorum* munia ſubire neceſſe habeant, quod amplius demonſtrant *Limnæus, Mylerus*, & alii. II. Quidni cum natura ſubditi conſiſtere poſſet, *in ditionis ſuæ cives jus vitæ & necis habere*, quod in Rep. R. alibique, perſonæ non ſolum Magiſtratus charactere inſignitæ, quibus ſcilicet jus meri Imperii lege conceſſum erat, ſed & merè privatæ, pater ac dominus, in ſibi ſubjectos habebant; quomodo autem III. intelligendum ſit, ſtatus poſſe *leges condere, etiam Juri communi repugnantes, Magiſtratus pro lubitu conſtituere*, ex ſupra dictis patere poteſt. *Reditus* quidem *omnis generis ſibi retinent*, ſed ita, ut quæ Status provinciales fiſco Principis intulerunt, Princeps in commune Imperii ærarium contribuat. *Fœdera inter ſe & cum Exteris ineunt*, ſed ſalvo per omnia juramento, quo quiſque Imperatori & Imperio obſtrictus eſt. Poſſe autem IV. aliquem *in ſupremis tribunalibus in jus vocari, id omninò ſocietatum natura reſpuit*; nam & hîc communis JCtorum regula valet, *æqualis in æqualem non habet jurisdictionem: coërceri quidem per reliquos poteſt ſocius, enormiter in leges fœderis peccans*, ſed per modum vindictæ ex jure belli, non verò per modum pœnæ & ex facultate judiciaria, prout in Statibus Imperii fieri ſolet, qui in jus vocantur, ſententia in eos fertur, executioni mandatur judicialiter: judicialis autem proceſſus non poteſt concipi, ne dum ut in Republica detur, ſine ſuperiore ſum̃am civilem poteſtatem habente, quicunque demum ille ſit. nam etſi concedamus, *ſolum Imperatorem cognoſcere ſuper cauſis, quibus Princeps ſua ditione ejici mereatur, non poſſe*, nihil aliud ſequitur, quam Imperatoris poteſtatem ratione juris judiciarii, hoc quidem caſu, Monarchicam non eſſe, ſed cum Statibus communicatam, hoc enim volunt Status pertinere iſtarum cauſarum deciſionem ad Comitia, adeoque ſingulos ab Imperatore & Imperio puniri poſſe, & conſequenter totius corporis ſubditos eſſe, unde ſimplicitas Reipublicæ, non autem ejuſdem unitas tolleretur. Et V. quam abſur-

de J. B. & P. I, 3, 22.

de J. P. IV, 7, 44.

de Pr. & Stat. Imp. p. 3. c. 93.

abſurdum eſt, illud de Statibus pertinaciter negare, unde ipſi in probatione im̃edietatis ſuæ vim argumenti pragmatici adornare non dubitarunt? nam quotieſcunque ipſis controverſia ſtatus movetur, hanc concludendi rationem uſurpant, *ſe Imperatori & Imperio ſubjectos eſſe, ac alium Dominum quam Imperatorem & Imperium non agnoſcere*, unde firmiter colligimus, ſtatus conjunctim ſumtos ad conſtitutionem ſubjecti proprii, cui Majeſtas Reipublicæ inhæret, concurrere quidem, eoque reſpectu neminem agnoſcere ſuperiorem, quatenus autem conſiderantur ut ſinguli, ratione jurium Majeſtaticorum inter Imperatorem & Imperium communium, Imperatoris & Imperii, ratione reſervatorum Cæſareorum, etiam ſolius Imperatoris ſubditos dici propriè poſſe, & optimo jure ſolere. Abſurdum autem non eſt, aliquem diverſo conſiderandi modo in eadem Republ. & ſummum rerum judicium habere, & civilis obſequii gloriam explere, quod in omnibus Imperiis Polyarchicis uſuvenire cernitur; unde VI. *DEI gratiam* ſolum Edictis & literis ad ſubjectos vel alios inferiores directis præſcribunt, ad Imperatorem verò vel univerſum Imperium ſingulari de ſe loquuntur numero, quod notavit etiam *Dn. Seckendorff.* loco ſupra allegato.

§. XXIIX. Volueramus peculiariter ad ea aliquid reponere, quæ *Jo. W. Relfendſo Heromontanus* in lib. ſuo *de ſumma Principum Germanicorum poteſtate* commentatus eſt, qui per ſingula jura demonſtraſſe ſibi videbatur, ſingulos Germaniæ Principes habere Majeſtatem; ſed quoniam pleraque ex *Monzambano* aliiſque ſecurius deſcripta ſunt, & ſublatâ illâ ex veterum Monachorum locis communibus reproducta diſtinctione, inter *Civitatem, Principatum & Imperium*, cætera inde extructa, ſponte corruunt; non opus eſſe exiſtimavimus, ut prolixiorem operam aut tempus iis impenderemus, infelici enim admodum ingenio ſit oportet, qui tam craſſis erroribus imponi ſibi patiatur. Atque hæc ſunt, quæ pro inſtituti ratione, de Republica noſtra, ex genuinis *fundamentis*, qualia utique in ſcholis condiſcenda ſunt, volueramus diſſertare, qui de cætero illud *Bœcleri* maximè nobis commendatum habemus: *Falluntur, qui ex libellis, & curioſorum hominum diſcurſibus, ſicut appellari volunt,*

Diſſ. de Notit. Reip. p. 76.

volunt, nosse posse autumant, quibus Reip. habitus gubernatur, aut custoditur. Præsentioris disciplinæ est ille profectus, quem hora & dies extemporalibus intervallis distinguunt, & novi semper eventus componunt.



DISSERTATIO XV.

DE

VERA PHILOSOPHIÆ ORIGINE.

I.

Sapientiæ studia quin magna incrementa in plerisque partibus suis Græciæ debeant, dubitari equidem non potest. Sed natio ambitioni ultra modum dedita, dum aliarum gentium laudes sibi vindicat, ipsa pene proprias corrupit. Quippe non contenta, quod auxisse, felicissimo ingeniorum proventu cultuque, sapientiam crederetur, nisi originem quoque illi & natales dedisse, orbi persuaderet; haut exiguam in id acuminis atque facundiæ suæ vim intendit. Non alio id quidem successu, quam ut omnibus proderet, se non suæ minus quam alienæ *Philosophiæ veras origines* vel dissimulare fraudulenter, vel turpiter ignorare. Quanquam non omnium Græcorum ista vanitas fuit, ut ereptam Barbaris, quos ipsi vocabant, inventæ Philosophiæ gloriam ad suam gentem traducerent. Sed inter ipsos quoque populares suos repererunt, quibuscum foret pugnandum, qui Patriæ suæ per indebitas laudes adulari egregium duxerant. Sicut inter alia patet ex concertatione, quam operi suo cætera utilissimo de *Vitis & dogmatibus Clarorum Philosophorum* præmisit *Diogenes Laërtius*. Unde occasionem & argumentum ad instituendum colloquium Academicum mutuari visum. DEUM, qui fons & origo est omnis sapientiæ, supplex veneror, ut judicium & intellectum nostrum dirigat in suam veritatem!

Resp. Joh. Jacobo Hezel, d. 16 Mart. 1676.

II. Inter eos itaque, qui Philoſophiam ex Græcia oriundam contenderunt, etiam eſt *Laërtius*: quem veluti advocatum cæteris dabimus, ne contra turbam inſtituta diſputatio in incerto vagetur. Antequam autem, quale ſit teſtimonium ejus, diſpiciamus, paucis ipſius teſtis authoritatem fidemque examinabimus, ne alterutrius pondere apud Judices incautiores obruamur. Atque hic quidem nolim *Bartholomæi Keckermanni* judicio de *Diogene Laërtio* ſubſcribere; qui eum *languide & frigide* ſcripſiſſe pronunciat, ipſe jam ob id à *Gerardo Joanne Voſſio* & aliis *frigidi judicij* non immerito accuſatus. Quin imo certiſſima ævi melioris veſtigia in hoc opere ultro agnoſcimus: ut, etſi nulla alia indicia ſupereſſent, ex ſolo tamen doctrinæ ſolidioris & profundioris genio, ejus authorem circa tempora Marci Antonini Philoſophi vixiſſe, ſub quo maxime effloruerant ſtudia ſapientiæ, facile credamus, quod & aliis certioribus argumentis præter *Voſſium* probat *Ægidius Menagius*.

de Hiſtor.

de Hiſtor. Græc. II, 13.

III. Illorum tamen ſententiæ nequaquam accedendum puto, qui *Chriſtianum fuiſſe* conjecerunt; arrepta ex *vita Ariſtotelis* occaſione ſuſpicandi: ubi ἐλεημοσύνην διδόναι pro eo, quod Latini dicerent *ſtipem dare*, videtur uſurpaſſe: quam phraſin quia frequentius Chriſtiani ſcriptores adhibuerunt, illi perperam exiſtimarunt Chriſtianorum propriam fuiſſe: neque vero ratio urgens apparet, cur non iſto loco τὸ ἐλεημοσύνην διδόναι malis cum doctiſſimo Laërtii interprete *Thoma Aldobrandino* vertere, *miſericordiam tribuere*; cum præſertim ipſe Laërtius *Ariſtotelis* ſententiam, de *ſtipe improbis quoq;, intuitu humanitatis, non deneganda*, mox ſeorſim aliis verbis exprimat. Chriſtianum verò minime fuiſſe Laërtium, non id adeo arguit, quod Epicurum multis laudibus ornet; quod è Chriſtianis etiam nonnullos feciſſe conſtat: quam quod in hoc ipſo *Proœmio* ſuo talia de primis rerum ac hominum originibus tradat, quæ à Chriſtiano nemine proficiſci potuiſſe, exploratiſſimum eſt. qualia ſunt, cum *univerſum genus humanum à Græcis initium habuiſſe* aſſeverat; & illorum futili traditioni obloqui non audet, qui *Judæos à Magis Perſarum deſcendere* ſtatuebant. in quibus ſolennes illos & vulgatos Gentilium errores ultrò licet deprehendere: quos jam tum, cum hæc ſcriberet Laërtius, ipſi quoque Judæi, inprimis

obſerv. in Diog. Laërt. ad Titul. Operis: pag. 1.

mis *Flavius Joſephus, contra Appionem,* pridem abunde confutaverat. Ne de *Scriptura Sacra* nunc dicam: cujus ne primas quidem lineas inſpexiſſe illum oportet, qui Diogeni in his aſſenſum præbere auſit.

IV. Atque hoc quidem eò ſatis abundeque valere puto, ut Diogenem, quando de *vera Philoſophiæ origine,* re ſcilicet à Gentilium captu valde remota, contenditur, idoneum, & contra cujus fidem authoritatemque excipi nequeat, teſtem non eſſe conſtet: adeoque libero judicio rationes & argumenta, quibus innititur, poſſint expendi. Illa vero ſi quis in unum colligat, ut robur eorum, quam maxime fieri poteſt, intendatur, univerſa huc recident: *quod Muſæus & Linus, ille quidem Athenis, hic vero Thebis oriundus, inter Græcos de rebus maxime ſublimibus philoſophati ſint, priuſquam vel ipſum nomen Philoſophiæ, a Barbara quippe loquendi conſuetudine plurimum abhorrens, in aliis gentibus innoteſceret. Nam Muſæum quidem primum utiq; fuiſſe, qui Theogoniam & Sphæram verſibus comprehenſam concinnaverit, quiq; ex uno omnia fieri, ac in unum reſolvi docuerit, Linum vero ipſo Mercurio atq; Urania Muſa genitum, Coſmogonias authorem extitiſſe, Solis inſuper ac Lunæ meatus, tum animalium fructuumq; ortus explicaviſſe. Econtra inter Barbaros, eos, qui pro Philoſophis antiquiſſimis venditentur, veluti Orpheus, talia de Diis eſſe commentos, quæ nec Deorum majeſtate, nec Philoſophi nomine ullatenus digna queant haberi.*

V. Atque Muſæum ſane inter antiquiſſimos Græcorum Poëtas & Theologos recenſent non ipſi tantum Ethnici Scriptores, inter quos *Herodotus* oracula quædam ſub ejus nomine *VII, 6, &*
inde ab antiquo etiam in Aſia celebrata fuiſſe tradit: *Pauſanias* *IIX, 96.*
vero Eumolpiorum, antiquiſſimæ apud Græcos Poëſeos, eun- *in Phocic.*
dem facit authorem. *Plinius* etiam de herbarum viribus phi- *Hiſt Nat.*
loſophatum & polion inprimis laudaſſe ſcribit. Sed Patres *XXI, 7.*
quoque Chriſtiani, quando de vetuſtiſſimis Græcorum vatibus *XXV, 2.*
& Antiſtibus agunt, hunc inter primos ſolent nominare. *Tertullianus in Apologetico: Orpheus,* inquit, *Pieriæ, Muſæus Athenis, Melampus Argis, Trophonius Bœotiæ initiationibus homines obligarunt.* Quin & Homerum ac Heſiodum nonnulla ex Muſæi carminibus eſſe furatos, teſtimoniis etiam lociſque productis demonſtrat *Clemens Alexandrinus*, qui & Eugamonem, integrum de *Strom. lib. VI.*

 The-

Thesprotis opus ex eodem Musæo descripsisse tradit. quod *Eusebius* quoque confirmat.

Præparat. Evangel. X,1.

VI. Lini parentes licet diversi diversos tradant; in hoc tamen consentiunt veteres, eum ipsis, quos coluerunt Græci, Diis coævum, genitumque ex illorum aliquo fuisse. quidam enim Apollinis & Terpsichores: alii Amphiarai & Uraniæ, cæteri Mercurii & Uraniæ cum Laërtio filium faciunt: ut *Suidas* notavit: *Conon* in *Quinquaginta Narrationibus*, quas è variis veterum scriptis collegit, & Archelao Philopatori dedicavit, Linum ex Apolline & Psamathe Crotopi filia natum scribit. quo confirmatur Servii illa annotatio; *Linus Apollinis & Psamathis filius, qui Theologiam scribit.* Fuerunt, qui primum hunc literarum formas reperisse tradiderunt, ut *Tacitus* memorat. Alii, ut *Dionysius* apud *Diodorum Siculum*, testantur, illum omnium primum Græcorum rhytmos & melodiam invenisse. De DEO autem carmina fecisse fatetur *Augustinus*: qui & *Theologum* nominat: & indicant fragmenta quædam, quæ de carminibus Lini superesse feruntur: in quibus & hic versus legitur;

voc. Λίνος.

Phot. Biblioth. Cod. 186.

II. A. 14,2.

Bibl. III. 67.

de Civ. Dei XIIX, 14.

Ῥάδια πάντα Θεῷ τελέσαι καὶ ἀνήνυτον ὀυδέν.

ap. Stobæ. Serm. 261. de Spe.

Omnia DEO factu facilia, & nihil impossibile.

VII. De nomine Philosophiæ quod ait, *illud à Barbarorum appellatione abhorrere*, id inde quoque confirmatur, quod vulgo etiam notissimum est, & passim apud Græcos Latinosque Scriptores, ipsum quoque *Laërtium*, annotatum reperitur: Pythagoram primum fuisse, qui se Philosophum, hoc est, ut *Quintilianus* interpretatur, *studiosum sapientiæ*, artemque suam, Philosophiam, vocari voluerit. Cujus quidem appellationis originem plenius quam quisquam alius veterum memorat *Cicero* his verbis: *Omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes & habebantur & nominabantur: idq; eorum nomen usq; ad Pythagoræ manavit ætatem: quem, ut scribit Auditor Platonis Ponticus Heraclides, vir doctus inprimis, Phliuntem ferunt venisse, eumq; cum Leonte, Principe Phliasiorum docte & copiose disseruisse quædam. cujus ingenium, & eloquentiam cum admiratus esset Leon, quæsivisse ex eo, quâ maxime arte confideret? at illum artem quidem se scire nullam, sed esse Philosophum: admiratum Leontem novitatem nominis, quæsivisse,* quinam

Instit. Or. XII. 1.

Tusc. Quæst. V,3.

quinam essent Philosophi, & quid inter eos, & reliquos interesset: Pythagoram respondisse, similem sibi videri vitam hominum & mercatum eum, qui haberetur maximo Ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. nam ut illic, ita hic quoq; alios gloriæ servire, alios pecuniæ; raros esse quosdam, qui, cæteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studiose intuerentur; hos se appellare sapientiæ studiosos, id est, Philosophos.

IIX. Denique Orpheus, si tam indignà relatu de Diis commentus est, non magis ipse Philosophus, quam illi, quos confinxit, Dii, nominari mereatur: totusque è Sapientum concilio in scenam mimorum scurrarumque fuerit detrudendus; qui nudam puramque olim fabularem Theologiam exercuere. Nam in hac quidem olim, ut ex *Varrone* refert *Augustinus, multa contra dignitatem & naturam immortalium ficta erant:* in hac erat, *ut DEUS alius ex capite, alius ex femore esset, alius ex guttis sanguinis natus: in hac, ut Dÿ furati sint, ut adulteraverint, ut servierint homini. deniq; in hac omnia Diis attribuebantur, quæ non modo in hominem, sed etiam, quæ in contemtissimum hominem cadere possunt.* At vero, qui se Philosophi nomine dignos præstare volebant, illi in altero genere Theologiæ, quod *naturale*, sive *Physicon* vocavit *Varro*, elaborabant, ut inquirerent, *Dÿ qui sint, ubi, quod genus, quale, ex quonam tempore, an à sempiterno fuerint, an ex igne sint, ut credebat Heraclitus, an ex numeris, ut Pythagoras, an ex atomis, ut Epicurus.* *de Civ. Dei lib. VI. cap. 5.*

IX. Hæc verò sicut dictis Laërtii aliquam fortasse speciem conciliare possunt: ita adversus accuratius examen nullum, quo sustineantur fulcianturque, robur habent. Nam si quidem inter Orpheum & Musæum Linumque comparatio est instituenda, vix invenietur ulla probabilis ratio, qua Philosophi nomen & dignitas præ illo hisce asseri queat: quorum *ille* Discipulus Orphei, *hic* Præceptor fuit: teste *Suida* in Ὀρφεὺς & Μουσαῖος. Omnes autem hi tres sive Poëtæ, sive Philosophi demum in seculum à mundo condito vigesimum octavum, vel, si à Christi Nativitate retro numeres, decimum tertium incidunt: quo tempore celebris illa Argonautarum expeditio instituta est, quoque apud Hebræos Judices fuere. Suidas in Ὀρφευς. Ἐπὶ τῶν παρὰ Ἰουδαίοις κριτῶν, καταλυθείσης τῆς βασιλείας

Ἀθηναίων,

Ἀθηναίων, Ὀρφεὺς ἐγνωρίζετο. *Sub Judæorum Judicibus, sublato*
XIIX, 13. & 14. *Atheniensium regno, Orpheus clarus erat. Augustinus de civitate Dei: per idem temporis intervallum, post mortem scilicet Jesu Nave, cum populus DEI Judices haberet, extiterunt Poëtæ, qui etiam Theologi dicerentur, quoniam de Diis carmina faciebant: ex quorum numero fuisse perhibentur Orpheus, Musæus, Linus.* Add. *Petr. Lambec. Prodrom. Histor. Literar. lib.2. cap.4.*

X. Jam tum vero pridem per Orientem effulserant sapientiæ studia: &, ut Hebræorum sapientes in suum locum reservem, nongentis & amplius ante Musæum Linumque annis, Zoroastres Bactrianorum Rex, Nino Assyriorum Regi coævus,
I, 1. *mundi principia,* ut ex Trogo *Justinus* loquitur, *syderumque motus diligentissime spectavit.* Seculo vero post hunc Zoroastrem quinto floruit Zoroastres Persomeda σοφὸς παρὰ τοὺς ἐν τῇ ἀστρονομίᾳ, ὃς καὶ πρῶτος ἤρξατο τοῦ παρ' αὐτοῖς πολιτευομένου ὀνόματος τῶν Μάγων ἐγένετο δὲ πρὸ τῶν Τρωικῶν ἔτεσι φ΄, *cæteros Astronomos sapientia superans, qui etiam fuit primus Autor nominis Magorum apud ipsos recepti. Fuit autem annis quingentis ante bellum Trojanum.* quæ *Suidæ* verba sunt, quibus si fidem adhibeamus, hic quoque Zoroastres atque adeo Magorum apud Persas initium, Linum & Musæum quadringentis & sexaginta circiter annis præcedit: quippe qui quadraginta nec multo amplius annis ante bellum Trojanum vixerunt. & sane sicut hæc *Suidæ* computatio omnibus modis
Hist. Nat. XXX,1. præponenda est *Hermodori Platonici*, vel, ut *Plinius* nominat, Hermippi, calculo, quem Diogenes noster scribit usque ad excidium Trojæ à Zoroastre Magorum principe quinquies mille annos numerasse: ob rationem solidissimam, quam in *Prodro-*
I,7,5. *mo Historiæ Literariæ* adfert Doctissimus *Petrus Lambecius*: *quod secundum hanc supputationem Zoroastres bis mille ducentis triginta tribus annis creationem mundi antecessisset.* Ita *Xanthum Lydum*, qui secundum Laërtium à Zoroastre ad Xerxis trajectionem sexcentos duntaxat annos enumeravit, de alio prorsus Zoroastre intelligendum puto. Et fortassis ille non de alio sensit, quam qui *Plinio* dicitur Proconnesius. Firmat certe conjecturam non
Hist Nat. XXX,1. parum, quod, uti *Plinius*, alium, quem Zoroastri huic in arte Magica successorem assignaret, non habuit, quam Osthanem, qui Xerxem bello Persico in Græciam comitatus est: ita Xanthus

thus quoque inter Magos, qui Zoroaſtrem exceperint, primum locum Oſthani tribuit. Unde quod *Plinius* notat: *diligentiores paulo ante Oſthanem ponere Zoroaſtrem hunc Proconnesium*; eo *Plinium* redarguere voluiſſe exiſtimo non illos tantum, qui Zoroaſtrem iſtum penitus omiſerant, Oſthani primum locum vindicantes; ſed & illos, qui, ut *Xanthus Lydius*, & forſan alii, nimis longe ab Oſthane removerant Zoroaſtrem.

XI. Itaque cum Perſarum Magis admodum inæquale certamen de antiquitatis prærogativa inſtituit Laërtius, quando illis tot ſeculis recentiores Linum & Muſæum oppoſuit. Quos longe etiam minori ratione contendit cum Chaldæis: A quibus tanquam *ab ultimis* Aſtrologiæ auctoritatem repetit *Cicero*: qui & *primos illos propter planitiem, magnitudinemq; regionum, quas incolebant, cum cœlum ex omni parte patens, atq; apertum, intuerentur, trajectiones, motuſq; ſtellarum obſervaviſſe*, tradit. (de divinat. I, 1.) Harum vero obſervationum initium quam longe ultra Linum atque Muſæum porrigatur, ex quamplurimis Scriptorum teſtimoniis *de numero iſtarum obſervationum* colligi poteſt. E quibus graviſſimum pronunciavit *Voſſius*, quod à *Simplicio* literis proditum eſt: *Calliſthenem cum in comitatu Alexandri Magni Babylone ageret, Ariſtoteli, à quo mandatum acceperat, ut earum rerum, quas Chaldæi in cœleſtibus obſervaſſent, commentarios ad ſe mitteret, bis mille*, vel ut alias præciſo magis numero exprimitur, mille nongentorum & trium, *annorum obſervationes miſiſſe*. (de Sect. Phil. cap. 1. in Ariſtot. de cœl. lib. 2. comm. 46.) Quod vero apud *Ciceronem* occurrit, *Babylonios annorum quadringentorum & ſeptuaginta millium obſervationes habuiſſe ſcriptis ſignatas*; id ex jactatione Chaldaica profectum judicat *Voſſius*. (de divin. I, 19.) Attamen *Otto Heurnius*, qui neſcio qua authoritate numerum à *Cicerone* expreſſum 47000. in 43000. commutat, rationem ſibi hujus numeri conſtituram putat, ſi de annis lunaribus accipiantur; ſic enim in ipſum mundi principium incidere hunc calculum. (de Sect. Philoſ. cap. 1. §. 10. de Barbar. Philoſoph. lib. I. pag. 22.) Quam explicationem etiam *Georgius Hornius* ſuam fecit.

XII. Gymnoſophiſtarum & Druidum obſcurior antiquitas eſt: quia ſapientiam ſuam non literis, ſed memoriæ mandabant: ut notat *Strabo* & *Tacitus*. (Hiſtor Philoſoph. II, 3.) Si quis tamen ipſorum Græcorum monumenta evolvat, multa equidem Græcos illis debere, illos autem Græcis nihil, deprehendet. Nam quod

ap. Strab. *Onesicritus* de Indis refert, Brachmanes illorum in multis cum
XV. p. 713. Græcis consentire, atque in aliquibus etiam usitatam Platoni philosophandi rationem sequi; id, Platone ipso suffragante, inde dicendum est evenisse, quod Græcorum philosophorum maxime insignes, à Gymnosophistis eruditi, sapientiam illorum
Var. Hist. IV. in Græciam intulerunt. quod de Democrito *Ælianus*, de Pyrrhone aliisque multi testantur. Ipse autem *Plato* de se non it inficias, se ea quæ sunt præstantissima in Philosophia à Barbaris esse mercatum: in *Phædone* etiam scribens: πανταχόθεν τὸν φιλόσοφον ὠφελεῖσθαι, *undecunq; posse juvari Philosophum.* Cujus gra-
Strom. lib. I. vissimo testimonio de Barbarica Philosophia *Clemens* quoque
p. 303. *Alexandrinus* confutavit Epicurum, impudentissime asseverantem: μόνους φιλοσοφῆσαι Ἕλληνας δύνασθαι. *Solos Græcos posse philosophari.* Cui longe veriorem observationem opponit *Clemens*, adversus *Diogenem* quoque nostrum eximie valituram: *Philosophiam olim quidem floruisse apud Barbaros, illiq; præfuisse & Ægyptiorum Prophetas, & Assyriorum Chaldæos, & Gallorum Druidas, & Semanæos Bactrorum, & Philosophos Celtarum, & Persarum Magos, & Indorum Gymnosophistas: postea vero illam etiam venisse ad Græcos.* Et sane Brachmanes Indorum nihil quicquam illorum philosophando prætermisisse, quæ de natura rerum inter antiquos Græcorum Philosophos disputabantur, gravis inprimis & ve-
Strom. lib. I. tustus Scriptor *Megasthenes libro tertio Rerum Indicarum* confes-
p. 305. sus est: sicut ex loco, quem *Clemens Alexandrinus* inde producit, plenius apparet.

XIII. Ut adeo præ Laërtio nostro, modis omnibus de origine Philosophiæ, veriora docuerint, tum *Auctor Libri qui* Μαγικὸν *inscribebatur*: (sive is *Aristoteles* fuerit: ut *Diogenes* hic asserit, qui tamen in *vita Aristotelis* eum inter cætera Philosophi opera non recenset; sive, ut alii putarunt, *Antisthenes*, aut *Rhodon*) tum *Sotion libro vigesimo tertio* τῆς Διαδοχῆς τῶν φιλοσόφων. Quanquam neque isti tamen ad verum Philosophiæ fontem pervenerunt: cujus non alii conscii sunt, quam qui genuina rerum omnium initia ex Historia Divinitus revelata cognoverunt.

XIV. His enim obscurum esse utique non potest, quinam inter homines, inventores sapientiæ, adeoque Philosophiæ

auctores

auctores debeant celebrari. quod non nisi per spississimas nubes variorum figmentorum, veluti umbram quandam, oculorum obtutum paulo minus quam effugientem conspexerunt Gentiles. Qui de cætero negare ausi non sunt, quod hoc quidem loco non docendum nobis, sed supponendum prorsus est, omnem sapientiam à DEO & profectam ab initio esse, & hominibus tanquam cœleste munus, excolendam summo studio, indulgeri commendarique. Quod *Plato* præsertim diligentissime inculcare solebat: A quo illas toties repetitas sententias mutuatus est *Cicero: Philosophia omnium mater artium, quid est aliud nisi, ut Plato ait, donum, ut ego, inventum Deorum?* & alibi: *Philosophia nullum hominum generi majus à Diis munus est datum.* itemque: *Philosophiæ studio nullum arbitror, ut apud Platonem est, majus aut melius a Diis munus datum homini.* Si quis vero ab illis, quod hic quæritur, discere desiderasset, *cui primum genti hominive hoc munus suum DEUS indulsisset?* tum vero non inter se minus, quam ab ipsa veritate dissidebant. cujus insuper quicquid reliquum apud illos mansit, fabulis involverunt: quarum denique interpretationem quoque atque intellectum perdidere. Unde licet non diffiteamur, ea quæ de Diis suis commenti sunt Gentiles, tum circa alia, tum & circa artium atque sapientiæ primam inventionem, posse ad sacram veritatem non incommoda neque omnino absurda interpretatione revocari, quod edita à multis eruditis viris luculenta specimina ostendunt: Ipsos tamen Gentiles à genuino veritatis sensu captuque non minus abfuisse, quam ab ipsa veritate figmenta illorum absunt, minime dubitamus asseverare.

vid. Georg. Horn. Histor. Philos. lib. I. c. 2.

Tuscul. Quæst. I, 26.

Epist. Fam. XV, 4.

Tuscul. Quæst. I, 2.

XV. Neque deerant illis tamen idonea principia, quibus dispellere tenebras istas potuissent: nisi ultro illis delectati fuissent. Siquidem noverant, ut ex *Platonis Alcibiade* maxime & *Phædone* constat; primum hominem ad imaginem DEI conditum, atque in ipsa creatione illam divinæ particulam auræ, ut *Poëta* loquitur, accepisse: quam sapientiæ atque Philosophiæ omnis non sedem duntaxat, sed fontem constituit *Cicero.* Et quousque quidem in hujus rei cognitione profecerint Gentiles, dilucide satis exponit *Ovidius* in illis:

Tuscul. Quæst. I, 26.

Metamorph. lib. I.

Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset;
Natus homo est, sive hunc divino è semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Sive recens tellus, seductaq; nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat semina cœli.
Quam satus Japeto, mistam fluvialibus undis,
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.
Pronaq; cum spectent animalia cætera terram;
Os homini sublime dedit, cœlumq; videre
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Quod sufficere utique illis potuisset, ad cavendum turpissimum errorem: quo per tot secula, Solis Lunæque meatus penitus inexploratos mansisse, cæterasque sapientiæ partes à nemine excultas in tenebris jacuisse, crediderunt.

XVI. Adversus quos, ut & contra illos, qui vanissimo & futilissimo commento sibi Præadamitas finxerunt, ex indu-
-νος, Ἀδάμ. bia *Sacrarum Originum* fide, cum *Suida* possumus adstruere: *Adamum primum hominem DEI manu effictum, & ad imaginem & similitudinem Opificis & Conditoris formatum, & habitatione Paradisi honoratum, jure primum Sapientem appellari posse. Utpote qui exstiterit primo conditum simulacrum, & imago divinitus picta, omnium gratiarum plenus, & omnes animi corporisq; sensus puros & incorruptos circumferens. Radij enim quidam ex illius animo effulgentes, & divinarum cogitationum & actionum pleni, per omnem naturam penetrantes currebant, sagaciter & sine errore proprium & cujusq; naturæ præcipuum commodum antevertentes, & quicquid in unaquaq; rerum natura præstantissimum erat, anticipantes*: vel, ut Græca rotundius sonant, εὐστόχως καὶ ἀναμαρτήτως τὸ οἰκεῖον ἑκάστης πλεονέκτημα φθάνουσι. *Ille porro non ab hominibus probatus fuit; qui judicia sæpe cum lapsu, cum errore, temereq; faciunt: sed à DEO universitatis Authore; qui de rebus omnibus recte cognoscit & judicat, etiam priusquam notiones moveantur anima quasi parturiente & producente tales cogitationes. Nam, ut Scriptura dicit, DEUS fecit omnia jumenta & feras, & serpentes, & volucres, & ipsa ad Adamum adduxit,*

adduxit, ut is videret, quo nomine ipsa esset nominaturus. Ut autem Adamus vocavit ipsa, sic etiam postea sunt vocata, & quod nomen singulis animalium generibus imposuit, hoc ipsum nomen ipsis postea semper fuit tributum. Quid hac voce & testimonio est evidentius? Quid hac sapientia & cognitione sublimius? Adamus enim omnibus animalibus imposuit nomina, naturam ipsam, & cuiq; animali vim insitam, veluti penicillo depingens & exprimens, non præmeditatus, non ante contemplatus, quod cuiq; nomen esset imponendum, nihil prorsus eorum ante perpessus, quæ homines postea, vel mutata sententia discunt. Et quamvis multæ, atq; adeo innumeræ ætates jam præterierunt, nemo tamen vel minutissimi atq; vilissimi animalis nomen mutare, neq; amplitudinem ingenij atq; cognitionis, quæ in illo fuit, assequi potuit. Imo vero potius omnes homines per universum terrarum orbem dispersi, in illius immutabilibus oraculis, & sacris eorum vestigiis incedentes manent, & in iis acquiescunt. Neq; vero usq; ad hos præstantiæ terminos progressa, stetit, hominis primogeniti omnibus in rebus excellens dignitas; sed & seminum & plantarum discrimina, & radicum & herbarum vires, & quæcunq; ad auxilium, defensionem & Medicinam unicuiq; animali Natura attribuit, distinxit, & dilucide explicavit. Ut adeo hic sit ille, qui probavit, accurate quæsivit, invenit, & cognovit omnia; & regulas, & amusses exquisitas & limites non dubios, sed certos, ut nullus contradicere possit, aptissime circumscripsit assignavitq;. Hujus sunt scientiæ tam verbis expressæ, quam nullis verbis declaratæ. Hujus sunt prophetiæ, prædictiones, vaticinationes, sacrificia, sacrorum ceremoniæ & lustrationes, & tam scriptæ, quam nullis scriptis mandatæ leges. Hujus sunt omnia inventa & documenta, nec non omnes doctrinæ, & quicquid ad vitam degendam est utile & necessarium. Quem locum, licet prolixiorem, adscripsimus, quia diffusiorem disputationem eximie lucrifacit: qua alias vera tum practicæ tum theoreticæ philosophiæ origo fuisset stabilienda. quam plenissime divina Adami imagine comprehensam recte judicavit *Suidas*. Idque contra Gentiles tanto efficacius valet, quod ipsi ultro professi sunt, eum absque dubio summum, imo Principem Philosophorum esse dicendum, qui rebus nomina primum imposuit: quique socialem vitam homines vivere primus docuit. de quo, præter *Platonem in Cratylo*, annotat *Ælianus* de Pythagora, quod *sapientissimum existimaverit, qui numeros reperisset,*

Tuscul. Quæst. I, 25. & V, 2. *set, proximum, qui rebus nomina imposuisset.* Plenius Cicero: *Sapientissimus fuit, qui dispersos homines congregavit primus, & qui, quod summæ sapientiæ Pythagoræ visum est, omnibus rebus imposuit nomina, & qui sonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis literarum notis terminavit, & qui errantium stellarum cursus, progressiones, institutionesq; novit: etiam superiores illos, qui fruges, qui vestitum, qui cultum vitæ, qui præsidia contra feras invenerunt.* Cujus sapientiæ partim initia, partim complementum in Adamum prorsus congruere, manifestissimum est.

XVII. Quid de perfectione intellectus in Adamo *Lapsus* delibaverit, explicant Theologi. Illud satis constat, inventas semel artes, cum studio sapientiæ in universum, per continuam quandam successionem in Adami posteris propagatam ante diluvium; & in dispersas varie post diluvium gentes esse diffusam. *Ant. Jud. I, 3.* Ad tempora antediluviana referendum est memorabile *Josephi* de Setho testimonium, omnem illi activæ juxta & speculativæ sapientiæ cultum, & quantum inter homines sperari potest, fastigium adscribentis his verbis: Σῆθος παρελθὼν εἰς ἡλικίαν, ἤδη τὰ καλὰ κρίνειν δυνάμενος, ἀρετὴν ἐπετήδευσε. καὶ γενόμενος αὐτὸς ἄριστος, μιμητὰς αὐτοῦ τοὺς ἀπογόνους κατέλιπεν. οἱ δὲ πάντες ἀγαθοὶ φύντες, γῆν τε τὴν αὐτὴν ἀστασίαστοι κατῳκήσαντες, εὐδαιμόνησαν, μηδενὸς αὐτοῖς ἄχρι τελευτῆς δυσκόλου προσπεσόντος. σοφίαν τε τὴν περὶ τὰ οὐράνια καὶ τὴν τούτων διακόσμησιν ἐπενόησαν. ὑπὲρ δὲ τοῦ μὴ διαφυγεῖν τοὺς ἀνθρώπους τὰ εὑρημένα, μὴ δὲ πρὶν εἰς γνῶσιν ἐλθεῖν φθαρῆναι, στήλας δύο ποιησάμενοι, τὴν ἐκ πλίνθου, τὴν δὲ ἑτέραν ἐκ λίθων, ἀμφοτέραις ἐνέγραψαν τὰ εὑρημένα. *Sethus à Patre educatus, ubi eo ætatis venit, ut jam quæ bona essent discernere valeret, virtuti studuit, & cum ipse vir optimus evasisset, imitatores sui posteros reliquit. qui quidem, quod omnes bona indole præditi essent, patriam suam absq; seditione incolentes, in perpetua felicitate vitam exegerunt: disciplinam quoq; rerum cœlestium, & ejus excolendæ rationem invenerunt. Ne autem à se inventa laterent homines, aut, priusquam pernoscerentur, perirent; erectis duabus columnis, altera quidem lateritiâ, alterâ verò lapideâ, utriq; inventa sua insculpserunt.*

XIIX. Post diluvium inter cæteros eminuerunt *Abrahamus* & *Moyses*; quibus ne ipsi quidem Gentiles ausi sunt Sapientum Philosophorumque nomina laudesque denegare. De

Illo

Illo conſervavit nobis *Joſephus* genuini *Beroſi*, qui regnante Ptolemæo Philadelpho Beli Sacerdos fuit, teſtimonium. Μνημονεύει, inquit, τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμου Βηρωσσὸς, οὐκ ὀνομάζων, λέγων οὕτως. μετὰ δὲ τὸν κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ παρὰ Χαλδαίοις τὶς ἦν δίκαιος ἀνὴρ, μέγας, καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος. *Meminit patris noſtri Abrahami Beroſus, non tamen eum nominans, his verbis: poſt diluvium autem decima generatione apud Chaldæos erat quidam juſtitiæ cultor, vir magnus & ſideralis ſcientiæ peritus.* Idemque ad Ægyptios quoque per Abrahamum Philoſophiam ſublimiorem perveniſſe demonſtrat.

Antiq. Jud. I, 10.

Antiq. Jud. I, 9.

§. XIX. Moyſen vero Theologum juxta & legiſlatorem inſignem fuiſſe agnovit *Dionyſius Longinus* Sophiſta περὶ ὕψους ſcribens: ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε, κἀξέφηνεν εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων. εἶπεν ὁ Θεὸς, φησὶ, τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο. γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο. *Is qui Judæis leges condidit, Vir minime vulgaris ingenij, ut qui DEI poteſtatem digne & conceperit & elocutus fuerit, ſtatim in principio legum hæc ſcribens; dixit DEUS: quid? fiat lux; & facta eſt: fiat terra; & facta eſt.* Eundem *Plinius* peculiarem Magorum Sectam condidiſſe, ſcribit. Divinitus verò acceptam legem hominibus promulgaſſe, agnoſcit vetuſtiſſimus Orphicorum carminum Author his verſibus:

pag. 58.

Hiſt Nat. XXX, 1.

ὡς λόγος ἀρχαίων, ὡς ὑλογενὴς (emenda cum *Scaligero* ὑδογενὴς) διέταξεν
Ἐκ θεόθεν γνώμαισι λαβὼν κατὰ δίπλακα θεσμόν.

Ut Veterum fama eſt, ut juſſit flumine natus,
Dona DEI tabulas geminas qui ſenſibus hauſit.

vid. Grot. de Verit. Relig. Chriſt. I, 16, 84.

Quorum quidem verſuum ſi cum Laërtio ipſum Orphea Thracem authorem facimus: jam hinc conſequetur, Moyſen coævis Orpheo Poëtis, Muſæo & Lino, eſſe antiquiorem. Sed pridem quidem illa poëmata Onomacrito Athenienſi à doctioribus adſcripta docet *Clemens Alexandrinus.* Nec eo tamen ſecius demonſtrat: *omnes Græcorum ſapientes infra ætatem Moyſis fuiſſe.* Idemque jam ante ſe prætritum eſſe, profitetur à *Tatiano in oratione adverſus Græcos* & à *Caſiano libro primo exegeticorum.* Præter Clementem certe plerique veterum Eccleſiæ Chriſtianæ

Strom. lib. I.

Docto-

Doctorum illud tam in clara luce posuerunt, ut nec sine impudentia id negari, nec citra περιεργίαν amplius adstrui demonstrarique possit. Videatur inprimis *Augustinus de Civitate DEI libro XIIX. cap.37.& 38.*

XX. Unicum itaque duntaxat supererat, ut *de nomine Philosophiæ* Laërtio responderemus. Sed ipsius Laërtii, de Philosophia utique universa præclarissime aliàs meriti, existimationi dabimus, ut in refutanda argumentatione tam invalida paucissimis defungamur. Nam si quidem ipsum nomen Barbarorum Philosophiæ adversum existimavit Diogenes: habeat Anacharsidis Scythæ responsum; qui Barbarorum nomen suggillantibus regessit: ἐμοὶ δὲ πάντες Ἕλληνες σκυθίζουσι. *Mihi vero omnes Græci Scythæ sunt.* Sin vero putavit, exteris gentibus Philosophorum nomen non convenire, quia ipsa Philosophiæ appellatio in Græcia sit nata: tum vero, ut doctissimi viri *Isaaci Casauboni* verbis utar, *pugio vere plumbeus hic fuerit: Philosophia Græca vox est, non barbara: Ergo Philosophia à Græcis inventa est, non a Barbaris. Pari jure Romanis dicere liceat, Medicinam à se inventam, quia Medicinæ appellatio sit Romana non Barbara.* Ne de eo jam dicam, quod ipsum etiam nomen σοφίας ex Phœnicia lingua transumptum haud levis suspicandi ratio est? de qua consuli meretur *Georgii Hornii Historia Philosophica libro I. cap.1.* Nobis ad finiendam hanc disputationem suffecerit luculenta *Ciceronis* confessio *Tusculanarum Quæstionum libro V. capite 2.* ingenue cordateque de ista controversia ita pronuntiantis: *Ut opinor, hic error & hæc indoctorum animis offusa caligo est, quod tam longe retro respicere non possunt: nec eos, à quibus vita hominum instructa primis sit, fuisse Philosophos arbitrantur. Quam rem antiquissimam cum videamus, nomen tamen confitemur esse recens. Nam sapientiam quidem ipsam quis negare potest, non modo re esse antiquam, verum etiam nomine? quæ divinarum humanarumq; rerum, tum initiorum, causarumq; cujusq; rei cognitione hoc pulcherrimum nomen apud antiquos assequebatur.*

apud Clement. Alex. Strom. I. p.308.

Not. ad Diog. Laërt. proœm.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

De origine Rhetorices veriſſimum eſt *Quintiliani* pronunciatum *lib.* 3. *Inſt. Orat. cap.* 2. *Sermonem ab ipſa rerum natura genitos protinus homines accepiſſe: idq́, ejus rei eſſe principium: huic ſtudium & incrementum dediſſe utilitatem; ſummam, rationem & exercitationem.*

II.

Ab eodem tamen minus recte refutari *Ciceronem* exiſtimo, qui *orandi initium conditoribus urbium ac Legumlatoribus dedit: de Invent. Rhet. lib.*1. *cap.*2.



Dissertatio XVI.

DE

IMPERII GERMANICI EJUSQUE STATUUM FOEDERIBUS.

I.

VAlde ferax eſt hac ætate Germania uti fœderum, ita judiciorum de fœderibus: inde temporum, hinc ingeniorum turbine novis ſubinde ſpeciminibus ſeculum fœcundante. Et fœderibus quidem, corporis latè patentis tranquillitatem ſecuritatem, concordiam adverſus quotidianos motus & pericula munire, ſumma & multiplex ratio jubet: in hac verò, judicandi diſſerendive promptitudinem experiri, nemo etiam è vulgo tam abjectè ſagacitatem & facundiam ſuam æſtimat, quin licere ſibi exiſtimet: poſtquam præſertim exemplum, neſcio quam egregium, quamque boni ominis, introductum

Reſp. Joh. Ulrico Frid, d.27 Mart. 1676.

eſt, ut de ſumma Reipublicæ vix alii confidentius, quam non rogati, ſententiam ferant. Horum autem inſtitutum quam longè abeſt ab obſequii moriſque civilis rectitudine; tam longè ab illo affectat recedere iſta Diſſertatio: id modo attingere profeſſa, quod ex nobilioribus exemplis ad illuſtrandam inſtruendamve publicorum circa fœdera actorum memoriam pertinere videbitur. DEUS cœptis ſuum favorem, & benigna Superiorum judicia adſpiret!

II. Prima in omni fœderum negotio facultatis æſtimatio eſt habenda. quam jure ſummi Imperii contineri, ipſa rerum, de quibus fœdera contrahuntur, & obligationis, quæ ex fœderibus oritur, indoles oſtendit. Publicum enim eſt, quicquid fœdere agitur contrahiturve: ut non aliis quam publicis auſpiciis id expediri poſſe intelligatur. quorum univerſum regimen in omni civitate majeſtati eſt innexum. Unde Senatus Romanus apud *Salluſtium* non immeritò decrevit, *ſuo populiq; injuſſu nullum potuiſſe fœdus fieri.* & apud *Livium*, Poſtumius Conſul, *non ego infitias eo*, inquit, *tam ſponſiones quam fœdera ſancta eſſe apud eos homines, apud quos juxta divinas religiones fides humana colitur: ſed injuſſu populi nego quicquam ſanciri poſſe, quod Populum teneat.* Idem de Imperatoribus Romanis poſtea pronuntiandum fuit, cum in illos τὴν τοῦ πολεμεῖν καὶ εἰρήνην ἄγειν ἐξουσίαν, ut Juſtinianus Imp. loquitur, *jus belli & pacis* Lex Regia tranſtuliſſet. cujus fragmentis docemur, nominatim Veſpaſiano fuiſſe tributum: *Utiq; ei fœdus, cum quibus vellet, facere liceret, ita ut licuit D. Aug. Ti. Julio Cæſari Aug. Tiberioq; Claudio Cæſari Aug. Germanico.*

vid. Grot. de J. B. & P. II, 15, 1. & ſeqq.

IX, 9.

Nov. 105. pr.

apud Ant. Auguſtin. de Legib. & SCT. Pop. Rom. pag. 127.

III. Legis autem Regiæ facio mentionem, non quod inde Germanici Imperii fœdera dijudicanda exiſtimem; ſed quia vel uno hoc exemplo declarari poteſt, mutato Reipublicæ ſtatu, jus quoque fœderum faciendorum ibi eſſe quærendum, ubi pro præſenti regiminis forma ſumma civilis poteſtas exiſtit. Quo minus ambigendum, quin in Germania quoque noſtra, cum adhuc imperio verè Monarchico regeretur, penes ſolos Imperatores ſteterit fœderum feriendorum facultas. quod quidem & infinita exempla fœderum cum Græcis Imperatoribus aliiſque exteris Principibus contractorum demonſtrant. qualia paſſim obvia ſunt.

IV. Ad-

IV. Adhibuiſſe quidem illos, in fœderibus præſertim gravioris momenti, Procerum conſilium, non abnuerim: & jam Friderici I. fœdera ita deſcribuntur, ut *conſilij Primatum* in iis expreſſa mentio fiat. Acta enim fœderis, quod cum Manuele Conſtantinopolitano Imperatore contra Rogerii Siculi filium Guilhelmum parabat Fridericus, *Gunthero* etiam conſignata, prout ab *Ottone Friſingenſi* memorantur, docent: *Fridericum in Comitiis Ratisbonenſibus pertractaſſe ejus fœderis conditiones, & Primatum ſuorum conſilio legatos in Græciam deſtinandos ordinaſſe*: Sed & poſtea, *cum in caſtris ad Anconam poſitis legatos ejuſdem Manuelis audiviſſet, non niſi accepto Principum, qui cum ipſo erant, conſilio, ejus negotij cauſa novam legationem in Græciam deſtinaviſſe.* *Ligur. 1. de Geſt. Frid. II, 11.* *II, 28.*

V. Verum admodum imperito civilibus negotiis æſtimandis, vel maligno judicio utatur, oportet, qui cum *Hippolyto à Lapide* ex talibus exemplis colligere auſit: *ejus jam ævi Imperatores abſq; Ordinum conſenſu nulla potuiſſe fœdera contrahere.* In quibus tamen ut conſenſum Ordinum adhiberent, manifeſtiſſimum eſt, eos nulla juris neceſſitate adactos, ſed inductos partim communi omnibus Imperantibus ratione, quæ alieni conſilii uſum commendat, partim ut alacrioribus ad ſubſidia Statibus uterentur, ſi qua illorum ope fœderis executio indigeret: non ut ipſi fœderi adhibito Ordinum aſſenſu efficaciam authoritatemque conciliarent. Quemadmodum & Ludovicus Bavarus adverſus Philippum Galliæ Regem cum Eduardo Anglo ipſe quidem Imperatoria authoritate fœdus contraxit, & Philippo bellum denuntiavit: inferiores autem *Principes* nihil aliud *monuit*, quam ut *aſſiſterent Imperio, ut tenerentur*: memorante Alberto Argentinenſi. Addantur Henr. Rebdorffii Annales ad A. C. 1339. p. 427. *de Rat. ſtat. part. I. c. 9. ſect. 1.* *Chron. A. C. 1336. p. 127.*

VI. Poſſunt hæc, & ſequentium Imperatorum fœdera, debentq; adhiberi ad judicium de exceptione Statuum Imperii ferendum: quando in Comitiis Wormatienſibus, inter alia, *jure per præſcriptionem & diuturnam conſuetudinem quæſito, niti ſe contenderunt, ne Imperatori in fœdere, quod ipſis inconſultis iniviſſet, auxilio eſſe tenerentur.* Sed & *Limnæi* obſervatio inde eſt explicanda: laxioribus, quam par erat, terminis aſſeverantis: *Olim, & adhuc tempore Maximiliani I. ad fœdera cum exteris pangenda, Statuum* *An. 1508. ap. Gold. Polit. ſch. Reichsh. part. 12. c. 4. ad Capit. Caroli V. art. 7.*

Imperij consensum requisitum fuisse. Cum de necessitate Juris ante Maximilianum I. id doceri utique non possit. Confer fœdus Adolphi Imp. cum Henrico Angliæ Rege: in Chron. Colm. part. 2.

A.C. 1296.

VII. Primus sanè Maximilianus fuit, qui expressa pactione se pariter atque Status Imperii in id adstrinxit, ne ullum deinceps fœdus, cujus periculum damnumve quovis modo ad Imperium pertineret, cum exteris nationibus eorumve Principibus, à se vel à quoquam Statuum, absque præscitu & consensu annuorum Comitiorum pangeretur: in confirmatione Pacis publicæ Wormatiensis hoc inter cætera capite inserto: *Auch sollen Wir und Unser lieber Sohn Ertzhertzog Philips, auch Unser Chur-Fürsten, Fürsten, und Stände des Reichs, ohn Wissen und Willen jährlicher Versamlung, keinen Krieg oder Vehd ansahen, noch einig Bündnuß oder Einigung mit frembden Nationen oder Gewaldten machen, die dem Reich zu Schaden, Nachtheil, oder zuwider seyn möchten.* Quam quidem legem *magnum sanè fructum Reipublicæ nostræ attulisse, & ad retinendum quietum hujus statum fuisse longè aptissimam*, cordatissimo judicio pronuntiat *Julius Pflugius Episcopus Numburgensis*, in oratione sua ad Germanos de Republ. Germaniæ constituenda.

Handhab. des Fried. zu Worms 1495. tit. die Königl. Majest.

IIX. Videri tamen poterat ipse Maximilianus haud multo post ejusdem vincula dissolvisse, icto, insciis & inconsultis Statibus, cum Pontifice Romano, Franciæque & Arragoniæ Regibus contra Venetos fœdere Cameracensi: cujus capita & successum, *Gerardus de Roo, Petrus Justinianus*, aliique recensent: sed Imperator edita Tridenti, ut testatur *Mutius*, Apologia pertendebat: illius negotii eam indolem fuisse, ut moram dilationemque convocandis Comitiis, Statuumque consensui explorando necessariam neutiquam admiserit: cujus successus omnis & efficacia inde suspensa fuerit, ut clam & subito, priusquam Veneti præsensissent, expediretur. Ad hoc in antecedentibus aliquot Comitiis communi deliberatione probatum fuisse, ut contra Venetos & Turcas cum Galliæ Rege fœdus iniretur: eo certius occasione tam præclara obveniente, se de Statuum assensu præsumsisse. Quin & maturè admodum se de illo fœdere in Comitiis Wormatiensibus relationem fecisse, neque

A.C. 1508.

Chron. Germ. lib. 29. Gol dast. Polit. sch. Reichsh. part. 12 c. 4. p. 402. 403. Fugger. Spec. Honor Austr. lib. 6. c. 13. pag. 1254.

neque id tum displicuisse Statibus, à nemine certè contradictum, ab aliquibus verò spem ultrò factam, fore ut tam laudabile Cæsaris propositum publicis Imperii auxiliis haud segniter juvaretur. Nihil præterea in universo illo fœdere contineri, quod non ad commodum potius & honorem, quam ad periculum & detrimentum Imperii pertineret. Adeoque in hoc fœdere, quod unicè ad Sacri Imperii Nationisque Germanicæ dignitatem, gloriam, incrementum, tranquillitatem, pacem denique tenderet, consensum Statuum non fuisse necessarium; sed sibi authoritate Imperatoria suopte arbitrio decernere jus fasque fuisse.

IX. Sanè quod eventu hujus exempli patuerat, evenire utique posse fœderis contrahendi opportunitatem, quæ se non patiatur ad Universalia totius Imperii Comitia differri, moti videntur Electores, ut in conditionibus, quibus Carolo V. Imperium detulerunt, ad Electorum duntaxat assensum, Imperatorem in fœderibus Imperii nomine faciendis adstringerent: talem illi formulam præscribentes: *Wir sollen und wollen für uns selbst, als Römischer König, in des Reichs Händlen, kein Bundnuß oder Einigung mit frembder Nation, noch sunst im Reich machen, Wir haben dann zuvor die Sechs Chur-Fürsten deßhalben an gelegenen Mahlstatten zu zimlicher Zeit erfordert, und ihren Willen, sampt-lich, oder des mehrern theils auß ihnen, in solchem erlangt.*

aliter Electorū consiliū explicat Strauchius dissert Exot. IV. th. 17. Sleidan. Comment. lib. 1. p. 29. Capitul. Carol. V. art. 7.

X. Non permisit quidem turbatissimus hoc & superiori seculo Reipublicæ Status, absq; contrariis exemplis ad posteros hanc sanctionem descendere: cujus tamen authoritas, repetita subinde in sequentium Imperatorum Capitulationibus eâdem formulâ, adversus noxam & præjudicium talium exemplorum stabilita est: addita præsertim in Capitulatione Ferdinandi III declaratione memorabili: *Daß der Chur-Fürsten Willen auff einer Collegial-Zusammenkunfft, und nicht durch absonderliche Erklärungen (es wäre dann, daß* publica salus *und* utilitas *ein mehrere Schleunigung erforderte) erlanget werden solte: Und der jenige* modus, *so bey dem Pragerischen Frieden ist gehalten worden, zu keinem* præjuditz *oder* consequentz *angezogen noch außgedeutet werden.*

art. 7. vid. Limn. ad Capit. p. 689.

XI. Eſtque adeo Capitulatio Caroli V. hac in re pro norma cæterarum retenta; donec Pace Weſtphalica univerſi Ordines uti in plerorumque aliorum jurium Majeſtatis, ita in juris quoque fœderum conſortium penitus recepti ſunt; dicta in ipſis Pacis Tabulis atque ſancitâ lege: *ut ſicubi Pax aut fœdera publico Imperij nomine facienda eſſent, id non aliter fieret, niſi de Comitiali liberoq; omnium Imperij Statuum ſuffragio & conſenſu: utq; in deliberatione ſuper tali negotio Status jure ſuffragij ſine contradictione gauderent.* Unde nata poſtea in Capitulatione Ferdinandi IV. formula: *Wir ſollen auch in des Reichs Händlen keine Verbündnuß machen, Wir haben dann zuvorhero der Chur-Fürſten, Fürſten und Stände Bewilligung hierzu erlangt, es wäre dann, daß* publica ſalus *und* utilitas *ein mehrere Beſchleunigung erforderte, da ſollen und wollen wir dann der ſieben Chur-Fürſten ſambtlichen Willen zu gelegener Zeit und Mahlſtatt, und zwar auff einer Collegial-Zuſammenkunfft, und nicht durch abſonderliche Erklärungen, biß man zu einer gemeinen Reichs-Verſammlung kommen kan, erlangen.*

art. 7. §. gaudeant. *art. 7.*

XII. Poterat hac ratione videri libertati pariter jurique Ordinum, & utilitati publicæ proſpectum; cujus ratio ſe non ſemper patitur ſecundum regulæ communis tenorem explicari: Orta tamen jam tum inter Collegium Electorale & cæteros Status, de Capitulatione concipienda, contentio, iſti Legi, quam Ferdinando IV. præſcripſerunt Electores, graviter obſtitit: & accedentibus ſubinde novis irritamentis, Deputatos ad Conventum Francofurtenſem incitavit, ut in monitis ſuis, quæ Electori Moguntino in Comitiis Electoralibus, novo Imperatori in locum Ferdinandi III. creando, deſtinatis, exhibuerant, *illam publicæ ſalutis ac utilitatis* exceptionem, in Capitulatione recens condenda penitus omittendam contenderent: *Daß keine Verbündnuß in Reichs-Händlen ohne der geſampten Stände auff einem Reichstag erfolgende Bewilligung zu machen. Auch von dieſer Regul kein* caſus *zu* excipiren, *noch unter dem Vorwand einer* ob publicam ſalutem & utilitatem *erforderten Beſchleunigung der Fürſten und Stände Bewilligung zu übergehen; alſo der Verſic: Es wäre dann, daß* publica ſalus &c. *außzulaſſen.* Sed &, cum iſta, quoad fœdera Imperii nomine ineunda, non ultra profeciſſent, quam ut exceptioni *de ſalute & utilitate publica* Ferdinandeæ

d. 17. April. 1658. *Auth. der Grundſ. part. 3. c. 3. p. 220.*

deæ Capitulationis in Capitulatione Leopoldina declaratio adjiceretur, *wie sonst in allen andern des Reichs Sicherheit concernirenden Sachen*: protestatione solenniter opposita, nominatim quoad hunc quoque articulum, monitorum suorum authoritatem, & jura Statuum, sive tueri, sive vindicare instituerunt: cujus tamen protestationis usum ne in casibus per extraordinaria remedia expediendis excitari sentiret Germania, DEUS hactenus clementer avertit. *art. 10. Theatr. Europ. part. 8. p. 490. d. 8. Aug. 1658.*

XIII. Cæterum quod superius annotatum est, Monarchico Imperii statu, soli Imperatori jus fœderum faciendorum competiisse, illud initio quidem hanc vim habuit, ut omnes alii non à consortio duntaxat, sed prorsus etiam ab usu hujus juris excluderentur. Neque potuit sanè fœderibus inter Status & Imperatorem, vel inter Status solos esse locus, cum indivulso supremi Imperii spiritu, caput cum suis membris, ipsaque membra inter se ita connecterentur, ut neque ad defensionem neque ad connexionem momenti aut roboris quicquam ab ulla confœderatione accedere posset. At postquam provinciæ Statuum, si non jure ipso, juris tamen usu & administratione ab Imperio sejungi, ipsique hinc Status tum ab Imperatoribus, tum à se invicem, privilegiis, consiliis, turbis disgregari cœperunt; ne penitus ista Imperii moles dilaberetur, vel certè singuli Status, qui præsertim viribus & potentia minus pollerent, publicis motibus absorberentur, fœderibus aliquoties haud infeliciter est prospectum. Valde ab initio renitentibus illis, qui dissipati diuturno interregno Imperii partes in prædam sibi ac spolium cessuras speraverant.

XIV. Neque alio certè fundamento innitebantur antiquissima illa, quæ feruntur, legitimorum inter Status fœderum exempla: quam quod unicè necessarium expediendæ salutis, tuendæve tranquillitatis præsidium continerent. Primum hujus generis fœdus memoratur Rhenanum: cujus occasionem *Author Chronicæ Augustensis* ita refert: *Interea Wilhelmo Rege Romanorum cum Comitissa Flandriæ & Frisonibus bellica agente negotia, civitates Rheni, quasi destitutæ Regia defensione, vinculo societatis fortissimè ad invicem conjunguntur*; Nec multo aliter *Albertus Stadensis*: *Quidam validus civis in Moguntia cœpit hortari concives suos, ut* *A.C. 1254. ad A.C. 1255. Chron. A.C. 1255.*

pro

pro pace restauranda juramento se invicem constringerent. Consenserunt ei & aliæ civitates plurimæ. Quanquam illa etiam ex ipso illius tempestatis turbatissimo statu, *Lehmanno* præsertim diligenter descripto, ultro patescit: usuque fœderis ejus amplius declaratur, de quo sequitur in eadem *Chronica Augustensi*: *Capitaneum eligunt confœderati, telonia ejusdem fluminis, quæ à pluribus fuerant aggravata, removent, vicinos Principes & Comites suæ societati adhærere compellunt, undiq; in finibus suis pacem ordinantes optimam & hactenus inauditam.* Præcesserat de eodem fœdere, per quandam anticipationem: *Wilhelmi Regis tempore civitates apud Rhenum cum Principibus optimam Pacem ineunt, eligentes sibi Capitaneos, destruentes castra nociva & injusta telonia removentes.* ubi catalogus quoque confœderatorum exhibetur. quos & *Aventinus Annal. Bojor. lib.* 7. & *Cuspinianus in Cæsaribus* recensent. Authorem fœderis Watbodonem nominat *Albertus Stadensis.* cujus etiam indicio discimus: *non placuisse rem Principibus, nec militibus, sed neq; prædonibus, & maximè his, qui habebant assidue manus pendulas ad rapinam: illos quippe causatos, esse sordidum, mercatores habere super homines honoratos & nobiles dominatum.* quod quidem fatum hujus fœderis maturavit: siquidem *ista pax*, ut habent verba *Chronicæ Augustensis, more Lombardorum civitatum inchoata, propter malitiam resistentium non diu duravit*: & ut alibi ejusdem *Scriptor* loquitur, *omnia redierunt in pristinum malum statum.* Plurimum tamen fœderis hujus exemplum insecutis temporibus profuit posteritati: *Similibus* enim *consiliis*, quod *Peuceri* judicium est, *deinceps & malis publicis obviam itum, & multorum audaciam ac molitiones repressas esse, constat.* Nec dubitavit *Illustris Conringius* pronuntiare: *tranquillitatem publicam, & libertatem popularem aliquot per secula talibus fœderibus deberi: ac licet nonnunquam excesserint modum, si verum tamen fateri velimus, absq; hoc remedio extremam servitutem omnes dudum fuisse oppressuram.*

Chron. Spirens. lib. 5. c. 92. — *sub A. C. 1247.* — *in Wilhelm.* — *Chron. l. 6.* — *de Urb. German. th. 104. add. th. 94.*

XV. Hanseaticarum Urbium conjunctionem, num referre in hunc censum debeam, dubito; tempore quidem, ex probatiore *Conringii* calculo, proximè subjungendam fœderi Moguntino: sed si quis eam ex principio suo æstimet, non tam fœderis publici, quam privatæ societatis jure censendam. nisi quod superiori demum seculo ad veri cujusdam fœderis formam

de Urb. German. th. 95.

mam authoritatemque propius evaluisse videtur: quando ad negotia privatos contractus excedentia cœpit extendi. quo ipso vicinis, & quorum præsertim in ditione membra ejus erant, suspecta vel invisa illius potentia reddita est; variisque decrementi caussis, quas *Conringius* prudenter edisserit, confluentibus, ipsa mox consociatio labefactata, tantum non evanuit. notitia ejus unde petenda sit, videri potest in *Bœcleriana S. R. Imperii Notitia lib. XI. cap. 4.* *de Urb. German. th. 103.*

XVI. Interim in superiori Germania introducto semel exemplo, quomodo turbato Reipublicæ statu singula Imperii membra saluti pariter suæ & quieti publicæ efficacissimè possent consulere; deinceps quoties similia pericula ingruebant, ad probatum tam salubri experimento remedium confugere, ratio fuit; quæ in morem denique & consuetudinem abiit. Inprimis fœdera Clientelaria frequentari cœperunt: quæ vetustissimis Germaniæ incolis jam usitata: formato sub Francicis & Germanicis Imperatoribus Reipublicæ statu, rariora vel privatorum duntaxat contractuum formulis constricta; tunc cum ad antiquam segregati regiminis faciem vergere Germania videretur, infirmioribus in Potentia validiorum, unde exitium imminebat, tutelam, præsidiumque præstitere, quanquam & haud paucos constat hac potissimum via in servitutem migrasse, quod in clientelam nimium potentis Patroni concesserant. Exempla talium fœderum congerere infinitum foret: & est jam hic labor ab aliis occupatus; inprimis *Martino Magero* operis sui de *Advocaria armata cap. 5. n. 496.* & alibi passim.

XVII. Sed & in cæteris Germanicis fœderibus recensendis luculenta consignatione præcipuorum speciminum magnam laboris partem nobis lucrifacit *Christophorus Lehmannus Chron. Spir. lib. 5. cap. 123. lib. 7. cap. 3. cap. 12. cap. 27. 31. 46. 47. ejusdemq; libri capitibus subsequentibus plerisq;*. In cujus supplementum non ingratum rerum Germanicarum studiosis officium nos esse præstituros confidimus, si ex ineditis monumentis, aliquot duntaxat exemplis, pro modo hujus dissertationis, historiam fœderum Germanicorum locupletaverimus. Est autem inter illa memoratu dignissimum, quod initio seculi decimi quarti *Adde Warem. ab Ehrenberg Meditar. pro fœdere lib. 1. c. 2. Bejold. diss. de Fœder. c. 3. Knipschild de civitat. Imp. II. 2. 3. 9. Bernh. Hertzog. Chron. Alsat. lib. 2. p. 69. &c.*

quarti inter Albertum Auſtriacum Regem Romanorum, Epiſcopos & civitates Argentinenſem & Baſileenſem, tum Alſatiæ ſuperioris & inferioris Landgravios, in hanc formulam initum eſt:

Wir Albrecht von Gotz gnaden, der Römiſche Kunig, Friderich von derſelben gnaden Biſchoff zu Strazburg, Peter Oech von Gotz gnaden, der Biſchoff zu Baſzile, unn vvir die Landgraven in dem ober, unn in dem nider Elſatze, Peter von Schönnecke der Meiſter und der Rat, und die Burgere gemeinliche von Strazburg, Conrat der Schaler, den man ſprichet Rommelher, der Meiſter, unn der Rat, unn die Burgere gemeinliche von Baſzile, tunt kunt allen den, die diſen brief geſehent und gehörent leſen; daz vvir der Kunig bi unſern Küniglichen truvven, unn vvir die andern, bi geſvvornem eide, den vvir getan hant, überein ſint kumen, eines gemeinen Lantfriden, von der Selſe untz an die Bürſe, unn von dem Rine untz an den Waſichen, alſe daz Biſtum von Baſile gat, unn unſite Rines, alſe daz Biſtum zu Strazburg gat, hinan untze ſante Johanneſes Metz, unn dannan über vier Jahr nach ein ander, ane underſatz vur uns unn vur alle die Unſere, alſo doch, daz vvir der Biſchoff von Baſzile, unn die Burgere von Baſile ienſite Rines ungebunden ſint, unn aber hie diſſete Rines ſint vvir nut me ſchuldig noch gebunden zehelfenne, vvande von der Birſe untz an die Sorne, unn ienſite Rines, ſo iſt nieman von des fridens halben gebunden durch vvalt zehelfenne, Alle pfaffen unn alle geiſtliche lute, unn alle Gotzhuſer, die ſulent in diſeme friden ſin, unn ſulent in irme rehte, unn in irme vrihette bliben, unn alle edele

edele lute, graven, frien unn dienſtlute, die diſen friden geſvvoren hant, zvviſchen den vorgeſchriben zilen, oder noch ſchvvernde vverdent, unn alle Stette unn Burge, unn Veſtenen, unn dörfer, unn Dinghöve, die in diſeme friden gelegen ſint, der ſoll inclichez bliben in ſine rehte, die Stat zu Strazburg ſol mit namen bliben in irme rehte, unn in irre Vrihette, ouch ſol die Stat zu Baſzile mit namen bliben in irme Rehte, unn in irre Vrihette. Wir Friderich der Biſchoff von Strazburg, unn vvir Peter der Biſchoff von Baſile veriehent des, daz vveder vvir, noch ieman der in unſern Biſtumen iſt geſeſztzen, beholfen ſol ſin von dies Lantsfridens halben umbe deheiner ſhlohte dingen die beſchehen ſint vor den Winachten, die nu vvarent. Die nuvven zolle ſulent auch abeſin, ſvva ſie gemachet ſint uf dem lande, oder uf dem vvaſſere, unn ſvver diſen friden brichet, beſchihet daz in unſerene dies Kuniges gerehte, daz ſol der, an dem er gebrochen iſt, oder ſine frunt an unſer pflegere, die hie nidenan genennet ſint, ſelbe vordere, oder mit gevviſſen botten unn brieven, unn ſulent unſere pflegere zehent ane geverde uf den eit botſchaften, unn embieten dem, der den friden gebrochen het, daz er in den neheſten ahte tagen daz vvider tu unn beſſere, daz er alſo begangen het, tunt er dies nut, ſo ſol derſelbe unſer pfleger alle die an die von aller der vorgenanten Herren vvegen dirre fride geſetzt iſt, die hie nidenan mit namen geſchriben ſtant, die ſol er alle manen mit botten, unn mit brieven uf den eit, ob er ez mit ſiner macht ane ſie nit volle enden mag ane geverde, unn ſulent die denne als ez hin nidenan beſcheiden iſt, in den nechſten

ahte tagen der nach ſo ſie genannt vverdent, bi irme eide mit ſolicher helfe unn mit ſolicher macht, als ſie alle oder die zvveiteil under in überein kument, uf den eit den tvvingen, der den friden gebrochen het, daz er vvider tu unn beſſere, daz er vvider den friden getan het, mag aber er ez ane die andern gebeſſere mit ſiner macht, ſo ſol men niemanne me manen umbe helfe; Wirt aber dirre friden gebrochen in unſerme des Biſchoffes gerchte von Strazburg, ſo ſol mans vordern alſe da obenen geſchriben ſtat an die, die von unſerem vvegen derzu geſetzet ſint, unn hie nidenan geſchriben ſtant, unn ſulent die denne uf den eit beide umbe daz vvider tun, unn umbe daz beſſern tun, unn gebaren in alle vvis, alſeda obene von dies Kuniges pflegeren geſchriben ſtat; In dirreſelben vviſe ſol men tun ane alle geverde, obe der fride gebrochen vvirt, do mens an den Biſchoff von Baſile, oder an die Lantgraven in ober unn under Elſatze vordern ſol, unn ſulent die, die von vven vvegen derzu geſetzet ſint, unn hie nidenan geſchriben ſtant, derzu tun uf den eit in alle vvis, alſe da obene geſchriben ſtat. Wirt aber er gebrochen, do ez die Burgere von Strazburg ane gat, da ſol mens vordern ane den, der denne vviſſenthaft Burgermeiſter iſt, unn ſol der deme uf den eit ſchaffen, ſvvelich Burger von Strazburg den friden gebrochen hat, daſz er, daz darvvider tu, unn beſſere in den neheſten ahte tagen; Geſchehe daz nicht, ſo ſulent die andere Burgere alle von Strazburg unn die anderen des fridens eitgenoſſen den tvvingen, alſe davor von den andern geſchriben ſtat. Zuglicher vviſz ſol der Burgermeiſter von Baſile tun, obe dirre fride gebrochen

chen vvirt, do ez die Burgere von Basile ane gatt zu besserende alles mit Bescheidenheit, die hie nidenan geschriben stat. Alle geste unn alle frömede lute, sie sint varnde blibende oder vvesende in dem vorbescheidenen begriffe, die sulent disen selben friden han, als es da obenan bescheiden ist. Wirt ouch ieman gevangen in dis frides begriffe, unn vvirt darus gefüret, da sulent alle disz fridens eitgenossen bi dem eide ir helffe, unn ir maht zutun, daz der gevangene lidig vverde, unn solch unreht gebessert vverde mit irre maht, alse die überein kumment uf den eit an die dirre fride gesetzet ist, sie alle oder daz zvveiteil under in. Wurde aber der Lantfride gebrochen obvvendig der Birse untz an den hovvenstein, unn untz an Goldenfels derzu sint die, die inevvendig des Ockenbaches gesessen sint, helfe nicht gebunden, unn sulent aber alle die, die obvvendig gesetzet sint helfe untz dargebunden sin, Richet öch ieman deheine tot gevehte oder vvunden, die untz her geschehen ist, und noch unversünet ist, do mitte ist dirre friden nut gebrochen, svver aber vurbas vvunt vvirt, den sol men rihten, alse men in von vvunden rihten sol, unn svver erschlagen vvirt, des frunden sol men rihten, alse men davon ze rehte rihten sol in den nehesten ahte tagen. Men pfendet öch vvol umbe kuntliche korngulte, unn vvingulte, unn zinse, unn gat daz öch nut an den lantfriden, anderes soll nieman den andern pfenden ane gerihte. Hett sich aber ieman verbunden mit sinen brieven, daz men in pfenden sule ane gerihte, den soll men pfenden an sine eigene, an sine erbe, an sine lehene, unn an sine pfande. Hett aber ein Gotzhus oder ein Closter gut oder lute,

 dar-

darüber er voget iſt, an dem gute unn an den luten ſoll men in nut pfenden, ſvva die, an die dirre fride geſetzet iſt, alle oder die zvveiteil überein kummet uf den eit daz ein Herre, oder ein Statt, oder ein Burg, oder ein Dorf, do der fride gebrochen vvirt, ſelbe mugent gebeſſern, daz da mitte der fride gebrochen vvirt, do ſol men niemant me zu manen umbe helfe. Da ſie aber überein kummet uf den eit alle oder die zvveiteil, daz men helfen ſoll, ſvver denne der nicht kumet, mit ſolicher maht ane geverde, alſe ſie über-ein kument uf den eit, der ſol meineidig unn truvve-los unn erlos ſinn, unn ſol uſvvendig dis frides ſin, unn ſoll men abe ihme rihten, unn en ſol ime nie-man rihten, ſvva mitte dirre friden gebrochen vvirt, das ſoll men vvider tun, unn beſſere alſe die an die ez geſeſzet iſt, ſie alle oder die zvveiteil under in uf den eit überein kument. Were aber daz ſie ſich da-von mahtent, unn die beſſerunge verzugent durch mutvvillen, ſo ſulent ſie meineide ſin, unn uſzvven-dig dis fridens ſin. Irret aber ir deheinen eheftiger not, oder herren not, oder einre lihte ſturbe, ſo ſol der herre von dies vvegen er darbi vvas, einen an-dern darzuſchicken an ſine ſtatt ane alle geverde; der ſolle öch denne ſvveren, alſe der erſte geſvvo-ren hätte, unn ſo er geshvvort, ſo iſt der eit ſtete; alle die gut, die zu erben geluhen ſint von alters her, die ſulent in der gevvonheite ſtan, als ez herkumen iſt, dievvile dirre fride vvert, ſvver diſen friden niht geſvvehrt, iederman vor ſinne rihter in den neheſten zvvein maneden, ſo dirre fride gekundet vvirt von Stetten zu Stetten, von Burge zu Burge, von dorſe zu dorfen, die ſol men dornach nut me empfahen in
diſen

disen friden, unn sol ime öch nieman rihten, unn sol men abe ime rihten; Sprichet aber der rihter, er habe nut gesvvoren, bezuget er denne mit zvvein ersamen mannen, daz er gesvvoren habe, diesz sol er geniesʒen; Ist aber ieman usvvendig landes, oder siech, oder gevangen, so er dies entladen vvirt, so gat airerst dise satzunge überein. Die Prelaten, die Tumherren, unn die pfaffen die sint dies eits erlassen durch erbarkeit. Disz sint, die vvir der Kunig Rihtere über den friden gesesʒet hant von unseren vvegen Johannesen Ulrichen von dem Hus, Johannesen den Schulhteisen von Ohenheim; So han vvir der Bischoff von Strazburg von unsere vvegen gesesʒet Herren Cunen von Geispoltzheim, unn Herren Cunen von Butenheim, unn vvir der Bischoff von Basʒile, Johannesen von Wartenvels, der unser pfleger ist zu Schvvartzenburg; So han vvir die obere Lantgraven von unsere vvegen gesesʒet Herren von Schönenburg, der gesessen ist zu Ensiszheim; So ist von dies nideren Lantgraven vvegen, Herr Walter von Matzenheim; So ist öch von der Burgere vvegen von Basile, der ie Burgermeister ist; So hant öch die Burgere von Strazburg iren Burgermeister, der sol ie einen zu ime nemen, der die drizehen vvochen vur sich mit ine vare; Daz disz vvar unn stete sie, darumbe han vvir die vorgenanten Herren unn Stette unser ingesiegele zu einer urkunde an disen brief gehencket, der vvart besigelt, do men von Gotz geburte zalte drizehen hundert iar, unn ein iar.

Fridericus, Argentinensis Episcopus, cujus in fœdere mentio extat, is est, de quo *Albertus Argentinensis* scribit: *Post Conradum de Liechtenberg, frater ejus Fridericus Præpositus Argentinensis,* A.C. 1301.

nensis, valentissimus in armis, in literatura nullus, ad amicorum instantias quasi invitus, in Episcopum est promotus. Sicut autem fœdus istud pacis publicæ jurisque & libertatis tuendæ cura ultro commendabat: ita ut ad abolenda nova vectigalia nominatim dirigeretur, magna tum, &c, invalescente indies isto concussionis & novo quodam latrocinii genere, singularis ratio impellebat. Simili id quidem instituto, quo jam sub Ottone IV. memorante *Gotfrido Monacho, Rex & cœteri Principes juraverunt firmam pacem terra mariq; servandam, omnesq; injustas exactiones vectigalium deponendas.* Ac Albertus quidem inprimis se his exactionibus adversum ostendit bello, quod altero statim ab inito isthoc fœdere anno cum Moguntino & Coloniensi Archiepiscopo *cœterisq; telonium supra Rhenum accipientibus* gessit: cujus p. 61. causam, narrante *Chronico Colmariensi,* Albertus ipse Pontifici significavit: *quod Domini Archiepiscopi supra Rhenum fluvium per telonium injustas exactiones facerent, & totam terram graviter perturbarent.*

XIIX. Anno ejusdem seculi trigesimo octavo, quo fœdus inter quatuor civitates, Argentinam, Spiram, Wormatiam Chron.Spir. & Moguntiam, *Lehmanno* quoque relatum, contractum est, lib.7.c.31. pleræque etiam urbes Alsaticæ cum Episcopo Argentinensi Berchtoldo, cujus vitam *Albertus Argentinensis* descripsit, Alberto Hohenburgico, aliisque vicinarum regionum Præsidibus dominisve, contra Arnlederum quendam & alios, qui Judæorum impugnandorum obtentu totam viciniam turbabant, his conditionibus ad mutuum auxilium sese adstrinxerunt:

Wir Berchtold von Gottes gnaden Bischoff zu Strasburg, Graff Albrecht von Hohenberg, Landvogt im Elsaße, Johans von Hallevviler pfleger in Suntgovve an der hoherbornen Fürstenstat der Hertzogen von österreich, Johans Ulrich vome Hus derselben Fürsten, vogt ze Ensiszheim, Ruter Cunrat Wernher von Gottes gnaden Appet ze Murbach, Johans von Rappoltzstein, Herrn in der obern stat, Johans und Anshelm, Herren von der hohen Rappoltzstein

poltzſtein, und darzu vvir die Meiſter, die Räte und die Burgere gemeinlich dirre nahgenanten ſtetden Strasburg, von Kolmar, von Hagenavve, von Schlettſtadt, von Oehenheim, von Roſzheim, von Mülnhuſen, von Keiſerſperg, von Turcenkeim, und von Münſter, von Briſach, und von Nuvvenburch tun kunt allen den, die diſen brief anſehent und hörent leſen, daſz vvir dur unſer und des landes nutz, fride, und noturft gemeinliche und einhelleckliche mit einander überein ſint kommen, aller der dingen, die an dieſem brief hie nachgeſchrieben ſtant, und hant uns öch des zeſammen verbunden bi dem eide ane alle geverde. Des erſten ſint vvir überein kommen alſo, vvere das dehein uflof hinathin geſchehe imme lande uf die Juden von Arnleders vvegen, oder ſiner helfer, vvelme Herren oder Stat das geſchehe, die an dieſem briefe geſchrieben ſtant, vvelen es denne aller nechſt under uns vvere, die ſont es vveren mit der Hand bi dem eide, ub ſie mögent ane geverde, alsbalde ſis befindent, mögtent ſiſz aber nicht behobten, ſo ſont ſie die anderen Herren und Stetde manen, die ſich hiezu verbunden hant, und sönt in öch denne die unverzogenlich ze helfe kommen, öch bi dem eide, ane alle vviderrede. Were öch, das dehein mishalle vverde oder uflöf in den vorgenanten Stetden von den Juden vvegen, in vvelre Stat das vvere, vves denne der mehrere theil des Rates in der Stat überein kommet, da der uflôf geſchehen vvere, das ſol furgang han, und ſol de kein Herre, noch Stat vorgenant, deren keine empfahen ze burger noch enthalten, die denne von der getete vvegen von der Statt vervviſen vvurdent, da der uflôf geſchehen vvere.

Vv Were

Were öch, das ieman davvider vvere in der Statt, da der uflöf geſchehen vvere, und es der mere theil der Stetde rat nit behobten mögte, ſo ſönt vvir die vorgenanten Herren und Stetde alle denne der Statt beholfen ſin bi dem eide ane alle vviderrede alſzbalde vvirs bevindent, uf die, die denne in der Statt davvider vvollen ſin. Diſz alles und zeglicher vvis ſol öch uns den vorgenanten Herren behalten ſin ane alle geverde. Wir die vorgenanten Herren und Stetde ſint öch einhelleklich miteinander überein kommen, alſo, daſz vvir funfzehen hant uſzgenommen, die an der erſten getete ſchuldig ſint von den Juden vvegen, und ſitm als, daſz vvir der lib und gut vvent angrifen und pfenden, vva vvirs vindent, und ſönt dis den Herren und Stetde verbotſcheften under den ſie denne ſitzend, daſz ſu ſis vveder huſen, noch hofen; Enthielten ſi ſu aber darüber, es ſyen Herren oder Stetde nach der botſchafft, ſo vvir in denne darüber geſant hant, vvider den ſönt vvir denne öch ſin in allem rehte, als vvider die vorgenante funfzehen perſohnen ane alle vviderrede. Were öch, daſz dehein Herre, Dienſtman, oder Ruter oder Knecht vorgenant ieman fundet, der an diſen ſachen ſchuldig vvere, und under in geſeſſen vvere irre lute, den mögent ſi darumbe rehtvertigen, als irren eren vvol anſtadt zetunde, und tunt daran dehein unreht. Zeglicher vviſz die vorgenantden Stetde öch ir burger. Es iſt öch under uns den vorgenanten Herren und Stetden nieman dem andern ſchuldig zehelfende von der erſten getete vvegen denne uf die vorgenanten funfzehen. Stunt öch hinanthin dehein uflöf uf imme lande, oder in den Stetden

Stetden vorgenant von den Juden vvegen hinnant ze unſere frovven mes der Jüngern ſo nehſt kunt und dananthin uber ein jahr das nehſte nahenander darumbe ſönt vvir die vorgenanten Herren und Stetde iemerme einander beholffen ſin bi dem eide untz das ſin ein uftrag vvird gemacht und verriht ane alle geverde. Were öch, daſz dehein ander Herre oder Stat zu uns in diſe verbuntniſſe vvolten, die mögent vvir die vorgenanten Herren und Stetde vvol zu uns nemen, ub es uns vvol gevellet an alle geverde. Die vorgenante verbüntniſſe und vvas an diſem briefe geſchrieben ſtat, das globen vvir die vorgenanten Herren und Stetde alles ſtete zu hande bi den eiden, ſo vvir darumbe getan hant zen heiligen ane alle geverde, und nicht hievvider zetunde in deheine vveg und umb ein offen urkunde aller der vorgeſchriebenen dinge, daſz ſi vvar und ſtete bliben ane alle geverde, darumbe hant vvir die vorgenanten Herren und Stetde unſeren Ingeſigel an diſen brief gehencket für uns, und für alle die, die zu uns gehörent. Dirre brief vvart geben zu Kolmar an den nehſten Zinſztage vor unſers Herren Gottes uffart nach ſiner geburte drizehen hundert jar, und in dem ahtoden und driſſigoſten iare.

XIX. Secutæ ſunt ligæ Alſaticæ aliæ magno numero; quales apud *Albertum Argentinenſem* aliquot occurrunt: in quibus Rempublicam præſertim Argentinenſem fidei pariter erga Imperatorem, & juris dignitatiſque ſuæ maximè ſemper obſervantem fuiſſe, iſta potiſſimum ſpecimina demonſtrant. Cum Berchtoldum Epiſcopum iteratis mandatis terreret Pontifex Romanus, ne Imperatori Ludovico Bavaro homagium præſtaret; cœterique fœderis Alſatici ſocii nec precibus, nec armis quicquam apud Epiſcopum adverſus illa proficerent; tandem

 Argen-

Chrō.p.132. & in vit. Bertold. p. 176. Argentinenſes, (quæ verba ſunt *Alberti,*) *inito conſilio Epiſcopum, niſi concordaret cum Principe, diffidarunt. Tunc Epiſcopus in expenſis exhauſtus, à ſuis derelictus, metuenſq; ſe à ſuis oppidis excludi, propter favorem Argentinenſium anxius, licet paulo ante in Capitulo ſuo reſpondens Conſulibus Argentinenſibus, dixit: Potius ſe velle reverti in ordinem ſuum Teutonicum, quàm Ludovico Principi homagium exhibere: Spiram Principem accedens, ſibi homagium fecit, & regalium ſuorum ab eo, tanquam Imperatore, inveſtituram accepit.* Ejuſdem *Alberti* teſtimonio diſcimus, Argentinenſes graviter obſtitiſſe Rudolpho Palatino, cum is *contra morem antiquum Alſatici fœderis, nonum cognitorem, qui ante fuit Argentinenſium, civitatibus Imperialibus dandum contenderet.* Neque minus acriter adverſus Epiſcopum propugnarunt jus aliud, quo ipſis, ſolis, excluſo ab eadem facultate Epiſcopo, *in ſuo* (damno ſc. contra pacem) *ſibi illato, cognoſcere licebat.*

Chrō.p.159. de IX. cognitoribus v. Albert. in Berchtold.p.174.

XX. Tametſi autem arctior inſtituti noſtri ambitus ſit, quam ut prolixiores digreſſiones admittat; à ſcopo tamen alienum eſſe non arbitramur, ſi ad illuſtrandum locum, in quem fœderum Alſaticorum mentione delati ſumus, verbo admoneamus, inclytam Civitatem Argentoratenſem aliquoties, fœdere, cum Capitulis Cathedralis, Thomanæ, ut & cæterarum Eccleſiarum inito, ipſum Epiſcopatum ab imminenti exitio ſervaviſſe. Cum præſertim Guilhelmus de Dietſch Epiſcopus, *poſtquam Epiſcopatum ſibi commiſſum pene continuis contributionibus & collectis,* ut *Franciſcus Guillimannus* loquitur, *miſeris modis exagitaſſet,* pleraque ejus oppida & arces in peregrinas manus tranſferre moliretur: & adverſus Capituli interceſſionem pluribus ſociis partes ſuas firmaſſet. Quo tempore nullum aliud Capitularibus præſidium reliquum fuit, quam ut cauſam ſuam Senatui Argentoratenſi dijudicandam commendarent; à quo etiam in fœdus ſunt recepti; ſicut excerpta ſequentia oſtendunt: *Wir der Dechant und das Capittel gemeinlich der merere Stift zu Straßburg kundent meniglichen mit dieſem brief, als Herr Wilhelm von Dietſch wilent Biſchoff zu Straßburg des Biſtums, und unſer Stifte, Sloße, Stette, land und lute on unſer wiſſende und willen in frömbde hende gegeben hat, untz an die Statt Oberkirch, die von ihrer erbarkeit und biderbekeit ſich nit von unſer Stift entfrömden wollent laßen,*

Episc. Argent. in Guilielm. II.

laßen, daß Herr Wilhelm doch gethan het wider den eid, den er uns geshworen hat. &c. Darumb wir auch das Sloß Oberkirch zu unsern händen genommen habent, dagegen aber Herr Wilhelm von Diest sich wider uns setzet; und wir dise sache den Erbaren, Wisen, dem Meister und Rat der Statt Straßburg fürgeben habent und geclaget, als unseren guten freunden &c. Darumb sint wir mit denselben Meister und Rat zu Straßburg, und sie mit uns darüber gesessen, und hant uns miteinander vereinet, und zusammen verbunden und verpflicht, daß Herr Wilhelm von Diest, oder ieman anders, wer er were, uns bedersite helfferen leidigetent, schedigetent, daß wir darumb einander nit sollen noch wollent laßen, wanne wir sullent einander getreulich geraten und beholffen sin gegen allen den, die uns bedersite sementlich oder besunder alsø leidigetent an alle geverde. &c. Montag vor Annunc. Mar. 1405.

Quis conatuum Guilhelmi exitus fuerit, *ex Francisco Guillimanno* discere liceat: cujus narrationi *MSCta* etiam *Chronica* adstipulantur. Sed nec minori commodo anno ejusdem seculi quadragesimo septimo, ad Reipublicæ nostræ tutelam confugit Capitulum, inito denuo fœdere: quo memorabile etiam exemplum juris atque libertatis suæ edidit Civitas; licere sibi contra quoscunque aggressores, inquilinis suis haud secus ac civibus, defensionem atque patrocinium præstare: sicut ipsis quoque ejus fœderis tabulis expressum est.

XXI. Cæterum ex prædictis abunde puto intelligi, quæ causa Carolum IV. Imperatorem impulerit, ut in *Aurea Bulla,* *Tit. 15.* postquam Friderici I. legem adversus *detestandas conspirationes* *Radevic. de* *& conventicula, seu colligationes illicitas, in civitatibus & extra, vel* *Gest. Frid.* *inter civitatem & civitatem, inter personam & personam, sive inter* *II, 7.* *Gunther.* *civitatem & personam; insuper & confœderationes & pacta,* repetiisset; *Ligurin.* exceptas tamen vellet *illas confœderationes & ligas, quas Prin-* *IIX.* *cipes & civitates ac alij super generali pace provinciarum atq; terrarum inter se firmasse noscerentur: illasq; suæ declarationi specialiter reservans, in suo decerneret vigore manere, donec de his aliud ordinandum duxisset.* & dederat judicii sui documentum ipse Carolus in compositione fœderis Suevici, de quo *Albertus Argentinensis* ita *Chron. ad* memorat: *Anno Domini M CCC LIII. Rex Carolus egreditur de* *A. C. 1353.* *Bohemia, mense Septembri, & veniens Ulmam, Ligam pacis generalis*

Vv 3 *fecit*

fecit omnium Sueviæ Imperij civitatum. Et cum jussisset Eberhardum de Würtenberg Præsidem hujusmodi Ligam jurare, & ille diceret, se velle deliberare cum fratre: Rex indignatus dixit: delibera quantum velis. Tunc territus Comes juravit.

ap. Goldast. in den Reichsfaz. p. 167. vid. Limn. J.P. IV, 8, 18. XXII. Videtur quidem postea Fridericus III. in *Reformatione de Anno* 1441. in animo habuisse, omnia in Imperio fœdera abolere; composita inter alia sanctione, *daß im gantzen Römischen Reich fürbas keine Bündnus oder Vereinigung sollen auffgerichtet werden, auch die alten alle abgethan.* Verum Maximilianus ejus successor, ad communem Ordinum in Comitiis congregatorum consensum, uti Imperatoris ita Statuum fœdera restrinxit, *in Confirmatione Pacis publicæ Wormatiensis*, cujus hac de re dispositionem supra suo loco retulimus. Et communi Pacis ac Libertatis Germanicæ amantium calculo approbatum est *A.C. 1488.* Suevicum illud Fœdus, quod ipsius Friderici auspiciis contractum, extremis seculi decimi quinti, & decimi sexti initiis ad tuendam ac subinde restaurandam quietem egregiè profuit. Capita ejus & insigniora facinora exhibet *Crusius in Annal. Suev. part. 3. lib. 9. cap. 1. & lib. 10. cap. 8.* Progressum summatim complectitur *Sleidan. Comment. lib. 4. prope fin.* publica Comitiorum approbatio extat in *R.I. 1526. §. ob auch einiger. & R.I. Spirens. de Ann. 1529. §. und als im Abschied. 35.* exitum verò notabili [illegible] prosequitur *Mutius Chron. Germ. lib. 31. Ann. 1532. finem habuit fœdus illud Suevicum, quod sæpè formidabile hostibus, solatium & auxilium amicis fuit. Multi Principes & civitates cupiebant conservare & renovare Ligam; sed quibusdam impedientibus, fieri nequit. In summa, aliter visum est Domino, qui parva & magna gubernat.* Illos *Meditam. pro fœderib. lib. 1. c. 2. p. 116.* *quosdam impedientes* signat *Waremundus ab Ehrenberg sive Eberhardus à Weihe* Carolum V. & Regem Galliæ, *quorum providentia* notat *solutum illud fœdus fuisse magno cum Germanorum dispendio.*

XXIII. Ex iis, quæ secuta sunt superiori seculo, quæque nostra ætas vidit, fœderum actis, multa videas ab *Hippolitho à Lapide*, aliisque ejusdem genii propositive Scriptoribus in argumentum juris trahi, quæ si accuratius inspicias, soli civilium armorum licentiæ innituntur: quædam ejus etiam generis sunt, ut sine irreverentia insigni adversus sacratissimam amnestiæ legem, memoria illorum, curiosâ disputatione refricari non possit.

possit. Et quid opus est hodie ex iis, quæ circa fœdus Smalcaldicum olim, vel Unionem Ligamve disputata sunt, argumenta repetere, quando de facultate Statuum in fœderibus condendis definiendum est: postquam clarissima Pacis juratæ sanctio penitus in liquido collocavit, quod *jus faciendi inter se & cum exteris fœdera, pro sua cujusq; conservatione ac securitate singulis Statibus perpetuo liberum sit: ita tamen, ne ejusmodi fœdera sint contra Imperatorem & Imperium, pacemq; ejus publicam, vel ipsam inprimis Westphalicæ Pacis transactionem; fiantq; salvo per omnia juramento, quo quisq; Imperatori & Imperio obstrictu est.* quam quidem dispositionem ex communi omnium Ordinum monito in condenda Capitulatione recentissima ita ad Imperatorem accommodarunt Electores, *ut in fœderibus ratione provinciarum hæreditariarum ineundis, Ipsi quoq; Instrumentum Pacis pro solenni norma proponerent:* quod eo quoque manifestissimè valere nemo non videt, ut Imperator quoque non in aliis fœderibus, quam quæ de rebus Imperii, *in des Reichs Händlen*, ineuntur, adhibere Ordinum consensum teneatur. Unde nimis generales illæ & captiosæ *Hippolithi à Lapide* observationes: *Imperatori minus juris quam Statuum cuiquam circa fœdera competere &c.* emendari debent.

Instr. Pac. art. 7.

Capitul. Leopold. art. 10.

XXIV. Atque aliter sanè Statuum fœdera, ab illo tempore, quo cum ipsis Statibus summa in Imperio potestas communicata est, æstimanda fuisse, quam antea æstimabantur, cum illa sola pacis ac salutis tutela sustineret, nemini potest obscurum esse: Licet enim usus quidem illorum etiam postea, & in ipso quoque Instrumento Pacis, *ad conservationem & securitatem* cujusque restrictus manserit: facultati tamen atque adeò juri fœderum, quin ex illa majestatis participatione vis quædam & efficacia singularis accesserit, quæ superioritatem Statuum etiam in cæteris partibus provinciarum suarum administrandarum ad eminentiorem gradum evexit, negari utique non potest. Quæ uti in respectu ad singula Statuum territoria, eximia prorsus, ipsique Majestatico fœderum juri, à quo profluit ac dependet, proxima, &, ut solidissimam *Ludolphi Hugonis* philosophiam huc accommodem, per analogiam quandam simillima est: ita per exceptionem, qua cavetur, *ne talia fœdera sint contra Impe-*

Imperatorem & Imperium, paceinq; ejus publicam; fiantq; ſalvo per omnia juramento, quo quiſq; Imperatori & Imperio obſtrictus eſt, ad conſtitutionem unius Reip. in Germania noſtra, ſatis perſpicuè revocatur, ordinaturque; ita ut fœdera Statuum, quantumcunque excellenti robore nitantur, ſi tamen à norma iſthic præſcripta recedant, vi altioris ſublimioriſque imperii in cognitionem trahi, atque irrita etiam reddi poſſint: quod ab uſu corporum fœdere duntaxat conjunctorum valde remotum eſt. Nec ultra hos limites olim jam Principum Germanorum licentiam extendere auſus eſt *Bodinus*. quin is ultro profitetur: *Principes quidem Germanos hoc ſibi licere putare, & ſecum & cum exteris Principibus ſuæ ſalutis cauſa ſocietatem coire, modo id tamen ſine Imperij Germanici fraude fiat. nam quæ fœdera aliter contrahantur, nullius eſſe momenti.* quod verò *idem* ſtatim ſubjicit: *Cum Imperium excipiatur, non propterea excipi Imperatorem*: id ne quem in errorem ſeducat, diſerta noviſſimæ pacis declaratione ſatis puto proſpectum: Nam fœderis, quod Germani quidam Principes, Chamborti, cum Henrico II. Rege Francorum in medio civilium armorum æſtu percuſſerunt, exemplo, è propinquo tempore poterat ipſum Fœdus Smalcaldicum opponere: ex quo Chamborticum illud pullulavit: Sed cujus Authores nihil magis anxiè volebant præcaviſſe videri, quam ne quicquam eo fœdere contra Imperatorem intendere exiſtimarentur. Quin & ante conditum Inſtrumentum Pacis Oſnabrugenſis, acerrimus Germaniæ libertatis aſſertor *Jacobus Lampadius*, pronuntiare non dubitavit: *non immerito Carolum Imperatorem à Smalcaldicis capita fœderis poſtulaſſe: ut videret, ecquid etiam ultra ſuam, quam habent, majeſtatis communionem pepigiſſent.* Et tradunt etiamnum inter cautiones talium fœderum prudentiores, ut illorum conditio maturè ad Imperatoris notitiam perferatur. quam nihil cauſæ videtur eſſe, cur ſubterfugere moliantur, qui ſibi cordati erga Rempubl. & innoxii propoſiti conſcii ſunt. Et neſcio, an non ipſa negotii indoles ſatis perſpicuam definiendi rationem in deliberationibus huc directis ſuppeditet: ut uniuſcujuſque quidem ſtatus ratiocinationi relinquatur, quatenus conſervationi & ſecuritati ſuæ per fœdera proſpicere velit poſſitve: Imperatoris verò & Imperii cauſa, de qua utique nemo

de Rep. I, 7.

Confer Arum. de Comit. cap. 1. n. 22. Magn. D. Myler. de Princ. & Stat. Imp. part. I. c. 17. n. 9. Hortleder. Act. Publ. l. 8. c. 2. idem propoſitum præferunt Authores unionis apud Limn. J. P. IV, 8, 36. p. 3. c. 20. n. 12. & ibi Conring. Dn. Myler. de Princ. & Stat. Imp. part. I. c. 17. n. 11.

mo è Statibus ſibi ſeorſim judicium hactenus arrogavit, in foro itidem competente diſceptetur dijudiceturve: utrum nimium fœdus Imperatori, an Imperio adverſum: an legibus ejus fundamentalibus congruum: an denique ſalvo per omnia juramento, quo quiſque Imperatori & Imperio obſtrictus eſt, contractum ſit: de qua cognitione obſcurum eſſe non puto, quam vel Imperator ſibi, vel Comitia partem, jure queant vindicare.

XXV. Separatam autem eſſe conſultationem, quæ de Imperii, quæve de ſingulorum Statuum, fœdera præſertim cum exteris ineuntium utilitate, inſtituitur, & res ipſa oſtendit; & declarat agitata inter *Sluterum* & *Limnæum* diſputatio. de qua mihi quidem judicium non ſumo: ſed ipſius tamen rei apertiſſimo ſuffragio videtur etiam contra novas *Sluteri* vindicias propugnari *Limnæi* obſervatio: *Minimè fore opus, ut Status nova fœdera, inprimis cum Exteris, contraherent, ſi Legibus Imperij atq; judiciis ac auxiliis inprimis ad defenſionem oppreſſorum expediendis vigor & autoritas ſua perſiſteret.* Nec ignorari ſanè patitur rerum publicè hactenus tractatarum hiſtoria; quantumvis inde à multo tempore laborioſè agitatum ſit, qua ratione executio pacis publicæ rerumque ſecundum leges judicatarum, atque inprimis communis ſecuritatis tutela, partim adverſus deliquia ſaluberrimi quondam inſtituti, quo in certos circulos diſpoſitum eſt Imperii corpus, partim adverſus varii generis apertas occultaſque externas & internas corruptelas & inſidias, muniri, atque ad promtos & efficaces uſus expediri inſtruique poſſet: recentiſſimas tamen adhuc dum deliberationes eâ curâ diſtractas, in hunc uſque diem ad ſolidum certumque definiendi agendique modum perduci non potuiſſe. Unde potiſſimum judicat *Author der Grundfeſte*, commendationem acceſſiſſe fœderi Rhenano, quod anno hujus ſeculi 58. Electores quidam & Status Imperii, aſſumtis in ſocietatem Sueciæ & Galliæ Regibus, contraxerunt: cujus formula, quæque eo nomine apud Imperatorem & cum Electore Brandenburgico, non tam inſtitutum ejus fœderis, quam adjuncta quædam impugnante, acta ſunt, exhibentur in *Diario Europæo part. I. p.*1010. *& ſeqq. in Theatrum quoq; Europæum relata part.* 8. *p.* 560. 573. 580. ſocios fœderis recenſet etiam *Sprenger. Juriſpr. Publ. p.*113.

Animadv. ad Hipp. à Lapid. p. 1. c. 9. ſect. 1. Add. Tom. 2. p. 301. de ſubject. ſumm. Pot. in Imp. G. p.125. Add. Grundf. part.3. c.9.

p.3. c.9.

XXVI. Utilitatem Imperii quod attinet, fortaſſe tam magno acumine opus non eſt, ut intelligatur, poſſe utique talia cum Exteris fœdera iniri, vel talibus cautionibus circumdari, ut nec damnoſa Imperio nec periculoſa ſint. Licet enim ea conſiliorum negotiorumque publicorum conditio ſit, ut pericula vix unquam ſine periculis depelli queant vel averti, & graviora damna ſatis felici remedio ſanata exiſtimari debeant, ſi leviori detrimento incommodove redimantur: Uſus tamen antecedentium temporum demonſtravit, non eſſe, cur Imperium ex iis fœderibus vel metuat periculum, vel paciſcentibus imputet, quæ cum populis ineuntur finium proferendorum incurioſis, quique ſatis habent, ſuam ſociorumque ſalutem atque libertatem tueri. Hoc certè nomine inter alia dudum approbarunt ſe cordatiſſimo cuique fœdera, quibus Argentoratenſis Reſpublica, non ſuis magis quam Imperii finibus propugnandis, Tigurinorum & Bernatium ſibi auxilium pacta eſt. Memorat ex his conditiones fœderis anno ſuperioris ſeculi vigeſimo nono percuſſi *Sleidanus*. Aliorum quæ anteceſſerunt, complurium, apud *Urſtiſium* in *Chronicis Baſileenſibus, tum in Stumpſii Helveticis Patriæq; ineditis Annalibus ac monumentis*, crebra mentio occurrit. Eſtque illorum exemplorum enumeratione pridem publico ſcripto confutata imperitorum hominum cenſura, qui fœdus inter eaſdem Civitates anno elapſi ſeculi octuageſimo octavo ictum novitatis arguebant: in quo tamen aliud ferè nihil, quam capitum, in quæ pridem fuerat conventum, repetitio & declaratio quædam uberior continetur: nempe ſi quod inter ipſos fœdere comprehenſos diſſidium oriretur, jure prius, quam armis experirentur: adverſus vim ſubito ingruentem, vel ſi aliqua ex tribus Civitatibus, de re ad fœdus quoquo modo pertinente, bello obſidiove premerentur, ſibi invicem impenſis communibus optimo expeditiſſimoque, quo poſſent, modo auxilio eſſent. Si Argentinenſes vim paterentur, ut auxilio indigerent, cæteræ duæ civitates tam valido ſubſidio, quam res exigere videretur, ſuis ſumtibus ſuppetias ferrent: Argentinenſes autem in mille milites, connumeratis Præfectis ac Officialibus, quinque millia florenorum menſtrua exſolvere tenerentur: illoſque quamprimum finibus ſuis

Comment. lib.6.

ſuis appropinquaſſent, ſi quod munimentum tormentis impetendum foret, aliudve quid ſimile peragendum; pulvere tormentario aliiſque huc pertinentibus gratis, commeatu verò pro tolerabili pretio, inſtruerent. Si præſidio Argentinenſes indigerent, fœderatæ civitates tantum militum numerum, quanto carere ipſæ poſſent, & Argentinenſes egere noſcerentur, mitterent: Argentinenſes verò in vexillationem trecentorum militum ſingulis menſibus numerarent bis mille quingentos florenos. Si Tigurini vel Bernates bello infeſtarentur, Argentinenſes in ſingulos menſes ſuppeditarent quatuor florenorum millia: hoſteſque illorum, quo poſſent loco, in finibus ſuis turbarent, impugnarentve &c. Excipitur in fine à parte Argentoratenſis Reipublicæ nominatim Imperator & Imperium: cui debitam fidem hoc fœdere nulla parte imminutam velint. Decretum eſt id fœdus in perpetuum, ut tamen elapſo quoque decennio ſubinde renovaretur: die Maij decimo tertio. Præter hæc non deſunt alia quoque fœderum ſpecimina, quibus Statuum ſaluti ita proſpectum eſt, ut Imperium extra periculum damnumve conſtitueretur: ſed inſtitutum noſtrum eo uſque non porrigitur, ut, quæ dici hic poſſent, omnia cumulemus. DEUM potius precamur, ut ſingulis Sacri Romani Imperii Membris eam in communi totius Imperii tutela ſecuritatem præſtet, quæ ſeparatas de privata cujuſque conſervatione deliberationes reddat ſuperfluas!



DISSERTATIO XVII.

DE

CLENODIIS S. ROM. IMPERII.

I.

Resp. Joh. Dieterico Storck, d. 2. April. 1677.

NEmo fere hodie est, qui ignoret, Norimbergæ asseruari Cimelia quædam & Lipsana Sacri Romani Imperii. quænam vero illa sint, & unde, quave occasione eò pervenerint; non est æque in vulgus notum; & videas inter eruditos quoque admodum diverse tradi. Unde natum mihi consilium, pauca quædam ex *Historia Germanica*, in usum Exercitationis Academicæ, seligere: quæ dignitatem rei doceant suo pretio æstimare. Pariter enim huic argumento illi offecisse hactenus videntur, qui supra, & qui infra veri fidem descripserunt.

II. Titulum ex usu desumsi, præcipuo loquendi magistro: atque illo quidem satis antiquo. In *consignatione* enim *Caroli IV. de Anno* 1350. apud *Goldastum in Politischen Reichshändlen part. 6.* jam vocantur *das Heiligthum und die Kleinod des Heiligen Reichs.* Neque à vocabulo *Clenodiorum* vel *Clinodiorum* abhorruerunt Latini ex ævo sequiori Scriptores. *Annales Egmondani Ex scriniis & cistis Abbatis violenter effractis, cum eorum instrumentis, plurima bona & clenodia rapuerunt.* Sic & *Auctor Historiæ Australis* à *Frehero* inter Scriptores rerum Germanicarum editus *ad A. C.* 1276. *Promittens Rex Bohemiæ Ottocarus Regi Ungariæ Ladislao omnes thesauros reddere, quos amita ipsius Regis Ladislai asportaverat, eiq; tradiderat, videlicet duas coronas aureas, & sceptra regalia, & alia quam plura clenodia aurea, quæ à tempore Regis Ungariæ Attilæ in Ungaria fuerant conservata.* Quin & apud Græcos recentiores occurrit κλεινώδιον & κλεινώδια: ut observavit *Johannes Meursius in Glossario Græco-Barbaro voc.* Κλεινώδιον.

III. Re-

III. *Regalia* quoque *S.R.Imperij* dici, non infrequens est: sicut *inscriptio* etiam *consignationis Carolinæ* antea laudatæ ostendit apud *Goldastum*: in qua *Regalia des Heiligen Römischen Reichs* diserte nominantur, uti & aliis locis, quibus omnibus subintelligi debent *insignia*, uti ellipsin istam jam supplevit *Godefridus Viterbiensis Chron. part.19.* ubi enumerationi Clenodiorum Imperialium hunc titulum præscribit: *De Regalibus insignibus, videlicet de sancta cruce, de gladio, de lancea sacra, de sceptro, de pomo aureo, de corona, de diademate &c.*

IV. Sed hodie nomine *Clenodiorum S. Rom. Imperij* ea fere Scriptoribus Juris publici notari tantum solent, quæ Norimbergæ, ut & ab initio innui, asservantur: quæ cæteris Imperii insignibus ita solent adjungere, ut non obscure ab iisdem distinguant. Ita *Limnæus de J.P. 1,14,35.* annotationem de Insignibus Imperii finiturus, subjicit: *Cæterum Imperij insignibus, non incommoda relatione, Clinodia Imperij jungi possunt. Talia æstimantur gladius Caroli M. lancea qua Servatoris nostri aperuit latus: dextra portio Sanctæ crucis, clavus unus, qui Christi perforavit artus, & mappa, quâ ultima mensa Domini strata fuit.* Eodem fere modo *Arumæus ad Aur. Bull. cap. 22.* enumeratis insignibus, addit: *Sed præter hæc Augustalis dignitatis propria ornamenta, plura sunt Clinodia & reliquiæ, quæ ex parte numerantur in vita Henrici I. Imp.* & paucis interjectis: *Sed hodie Clinodia hæc apud Civitatem Norimbergensem adservantur.*

V. Et *Limnæus* quidem, cur Aquilam Imperialem à Clinodiis distingueret, rationem idoneam habuit. Cæterum ex ornamentis, ut *Arumæus* vocat, *Augustalis dignitatis propriis*, pleraque comprehenduntur Clenodiis Norimbergensibus. Videtur autem *Arumæus* existimasse, ea tantum Clinodia & reliquias adservari Norimbergæ, quæ *Goldastus in Politischen Reichshändlen part. 6. cap.2.* enumerat. Cum ibi ea tantum recenseantur, quæ in Conventu Electorali Anno 1611. Electoribus exhibita sunt: extent autem longe plura: quorum vix mediam partem ista conficiunt.

VI. Patebit id ex enumeratione pleniore, quam mox subjiciemus, quæ ostendet etiam, Arumæum non recte à *Limnæo tom.I. Addit. p.178.* argui: ac si nimis liberalem se Inclytæ No-

rimbergensi Reipublicæ præbuisset, cum Imperii Clinodia Noribergæ asservari scripsit. Nam ut demus *Limnæo*, aliqua ex iis Clenodiis, quæ in sua consignatione Carolus IV. recenset, Noribergam non pervenisse. Præcipua tamen, quæ in illa nominantur, alia non esse à Noribergensibus, tanto apparebit evidentius, quanto diligentius considerabuntur.

VII. Solent autem illa, qui plenius enumerant, in tres veluti classes dividere: prout olim etiam, cum solennis exhibitio in usu adhuc esset, partitim monstrabantur. Ad primam classem referunt reliquias varii generis: I. Partem sacri præsepis in quo Servator noster vagiit. II. Brachium Sanctæ Annæ, matris Deiparæ virginis. III. Dentem S. Johannis Baptistæ. IV. Partem tunicæ S. Johannis Evangelistæ. V. Particulas quasdam catenarum, quibus SS. Apostoli Petrus & Paulus, uti & S. Johannes Evangelista vincti fuerunt. Secundæ classi annumerant Cimelia ad Imperatoriam coronationem pertinentia: de quibus suffecerit *Hartmanni Mauri* verba adscribere. Sic autem ille in *descriptione Coronationis Caroli V.* apud *Goldastum in Politicis Imperialibus part.3. cap.3. pag.271. Ornamenta Divi Caroli, quibus ex more coronandi Reges induuntur, Nurembergensis Magistratus summa cum diligentia atq; veneratione publice ad aliquot secula asservavit, quæ tempestive Aquisgranum delata, ubi Reges coronandi fuerint, rursus coronatione expleta asportantur, subq; fida custodia recluduntur. Subnotatas autem reliquias Nurembergenses à Carolo gestatas pro veris habent traduntq;, & inde eximie coluntur: Dalmaticam albam holosericam, pretiosissimis margaritis gemmisq; distinctam: Auream stolam, margaritis quoq; adornatam: Unam cappam holosericam, violacei coloris, cui aurum in modum Aquilæ intextum: Alterum amiculum rubei coloris contextum pari modo magnâ aureâ Aquila. Insuper Coronam Caroli, non ferream, ut vulgus falso autumat, &, quod magis pudendum, passim in Juris Professorum Commentariis reperitur: sed ex puro puto auro fabrefactam, sic tamen, ut in ea veterum laudabilis parcitas satis eluceat. Pomum & Sceptrum aurea. Gladium Caroli admodum gravem; utpote à viro robustissimo versatum. Verum non tam prodigiosæ magnitudinis, quam à tanto Heroe gestatum credi posset. Præter hæc advecta sunt hac tempestate duæ Dalmaticæ, una violacei, alia verò nigri coloris: duæ chirothecæ,*

thecæ, unionibus pretiosissimisq; lapidibus ornatæ: Socculi duo aurei, stola, zona coriacea, retinaculumq; ejus aureum: quæ omnia pretiosis lapidibus affabre picturata, redimitaq; fuêre. In excerptis è descriptione Conventus Electoralis apud *Goldastum* additur gladius S. Martini (vitiosè pro Mauricii) Thebææ legionis ducis, cujus etiam in *consignatione Carolina* mentio fit, uti & calcarium Caroli M. Tertiam denique classem constituunt sacra Lipsana Dominicæ Passionis: I. Lacinia mappæ, supra quam Cœnam ultimam cum discipulis suis Servator noster celebravit. uti & II. Lintei quo præcinctus fuit, cum pedes discipulorum ablueret. III. Octo spinæ coronæ Dominicæ. IV. Pars almæ crucis. V. Lancea qua Servatoris in cruce pendentis corpus perfossum.

IIX. Esse autem ex his præcipua, eadem, quæ jam tum Caroli IV. tempore apparatum Clenodiorum S.R.Imperii constituebant, demonstratu arduum non erit, si constet, quænam illa Cimelia fuerint, quæ Sigismundus Imperator, ex arce Bohemica Karlstein, Noribergam transtulit. In hac enim à Carolo IV. fuisse recondita docet *Albertus Kranzius Vandalicorum* X,40. *Ita* (inquit de Karlstenio) *arx præcipua, quæ multa servabat pretiosa Regni Romani insignia, quæ illuc Carolus IV. invexerat, de manibus perfidorum eripitur.* Percenset verò illa singillatim Martinus V. Pontifex in Bulla sua, qua Sigismundo petenti, ut illorum translationem approbaret, respondet, ex ipsius, quantum apparet, Sigismundi enumeratione, hoc ordine modoque: *Ex devota Charissimi in Christo, filij nostri, Sigismundi, Rom. Hung. & Bohem. Regis insinuatione, nobis nuper innotuit, quod cum magna pars vivificæ crucis, in qua Salvator noster JESUS CHRISTUS, pro generis humani salute pendere voluit; Lancea quoq; ex aliqua parte, qua latus ejus miles aperuit; Clavus unus, quo manus ipsius eidem cruci affixa extitit; Particula præsepis, in quo Salvator ipse positus fuerat; brachium Sanctæ Annæ, & particula quædam cathenarum, sanctorum Petri & Pauli Apostolorum. Tunica S. Johannis Evangelistæ; dens unus B. Johannis Baptistæ; Gladius S. Mauricij nec non Gladius Caroli Imperatoris, ei Angelica, ut dicitur, manu porrectus; Corona quoq; nec non sceptrum & pomum, & singula indumenta imperialia ejusdem magnifici*

magnifici Caroli, Reliquiæ, seu insignia Imperialia communiter appellata, intra Regnum Bohemiæ consisterent &c.

IX. Atque in eâdem Bullâ indicat Pontifex, Sigismundum, ut quibusvis imposterum periculis eriperet Clenodia Imperialia, de idoneo ad perpetuam illorum custodiam eligendo loco deliberasse, *lustratisq; animo cunctis Imperialibus civitatibus & locis Alemanniæ pervestigatis, multoq; ad illos directo reflexu, tandem considerasse, quod Imperialis Civitas Nurmbergensis, præ cæteris, illarum partium, Imperialibus civitatibus, oppidis atq; locis potens, insignis & famosa, Ecclesiastico decore conspicua, Christianæ fidei, devotissimis etiam utriusq; sexus zelatoribus, præpollens, in regenda Reipublicæ politia, singularis prudentiæ viris ornata, ac demum ipsi Regi, ex omni parte accommodatior existeret, atq; ideo Reliquias & insignia ipsa ad Civitatem eandem, cum debita veneratione transferenda, ac ibi ad laudem DEI, & Sacri decorem Imperij reponenda providisse, ac decrevisse, perpetuo conservanda.* Quando itaque commutata, & adempta iterum Noribergensi civitati genuina Clenodia, suspicari *Limnæus* potuit? An inter Caroli V. & Sigismundi tempora? At nec ignorare id facile diligens satis harum rerum indagator *Hartmannus Maurus* potuisset, nec in tanta publicæ lucis claritate ullo modo dissimulare. Ne de eo jam dicam, quod Martini V. Bulla & à Nicolao V. & à Pio II. Pontificibus confirmata est: valde utique inaniter, si vera S. R. Imperii Clenodia in custodia Reip. Noribergensis esse interim desierunt. Nam eo neminem credo deventurum, ut opinetur, inter Caroli IV. & Sigismundi imperia, in Bohemiâ Thesaurum huncce verorum Clenodiorum in hypobolimæorum Cimeliorum congeriem transformatum fuisse, quæ tanto postea studio ac sollicitudine Norimbergam Sigismundus curaverit deferri. Quî enim falli in eâ re Sigismundus potuit? cum præsertim ipse Carolus IV. in consignatione sua profiteatur, se propterea Clenodia Imperialia peculiari indice complexum fuisse, ut Successores sui in Imperio tanto certius accuratiusque aliquando illorum rationem habere, repetitionemque possent instituere. Hic vero index, uti jam antea professus sum, quantum ad præcipua Clenodia Norica attinet, nihil ab eorundem enumeratione pleniore,

niore, diverſum continet, uti, abſque ulteriore demonſtratione deprehendere quilibet poteſt, qui luſtrare illum, apud *Goldaſtum*, vel *Limnæum* operæ pretium duxerit: huc enim tranſcribere temporis noſtri inſtitutique modus non ſinit.

X. Difficilioris diſquiſitionis res eſt, an vetuſtas, &, ut ita dicam, character, qui ſingulis horum Clenodiorum attribuitur, rei veritati, quatenus ex probatis monumentis adſtrui poteſt, conveniat? Et è ſacris quidem Lipſanis, quæ inter illa reperiuntur, pleraque, majorem, quàm quæ aliarum paſſim reliquiarum haberi ſolet, authoritatem ſibi hactenus non arrogarunt: magnam nimirum, apud eos duntaxat, quibus ad quidvis credendum perſuaſio, & illud inter reliquiarum præcipuè & miraculorum aſſertores natum notumque poſtulatum ſatis efficax eſt: Divina potentia factum eſſe, ne e.g. ſegmentum de præſepi, in quod Deipara Virgo Servatorem noſtrum reclinavit, vel annuli de catena, qua Petrus aut Paulus vincti fuerunt, vel tunica Johannis Evangeliſtæ, vel Baptiſtæ dens, inter res profanas aut initio deliteſceret, aut poſtea deperiret: Tum qui ad fidem rei nihil autumant intereſſe, in quantum cumulum collectæ è variis orbis Chriſtiani plagis ſpinæ coronæ Dominicæ, uti & clavi, quibus Servator noſter cruci affixus eſt, itemque crucis ipſius fragmina excreſcant: quòd hæc omnia varie vel hominum pietate, vel divina virtute potuerint multiplicari.

XI. Quæ quidem omnia ſicut ipſorum patronorum ſuorum judiciis exactiori examini & diſputationi rigidiori ultro imparia decernuntur: ita de *Sacra Lancea*, quæ inter Clenodia imperialia præcipuè eminere putatur, ipſa traditionum diverſitas attentius examen vel mereri vel provocare videtur. Cum lanceam nominamus, cuſpidem duntaxat intelligi, puto in aperto eſſe: quam pro eâ habuit Carolus IV. Imperator, qua latus Servatoris apertum eſt. Uti & Pontifex Martinus V. & præterea alii multi, qui ejus hinc inde faciunt mentionem. Nam *Gŏdefridus Viterbienſis* paucos opidò ſectatores eſt nactus. nominat ille autem Lanceam S. Mauricii, *part.XIX. Chron.* ſcribens:

Lancea Mauricij reliquis præmaxima ſignis
Plurima Chriſticolis peperit miracula dignis,
Clavus namq́ DEI junctus habetur ei.

XII. Novæ ſententiæ originem dedit miſſa ad Innocentium IIX. à Bajazethe Turcorum Imperatore anno ſeculi decimi quinti XCII. Lancea. cujus dignitas cum ad authoritatem Eccleſiæ Romanæ propius, quam Noribergenſis Lanceæ, ſpectare videretur; reperti ſunt, qui non aliam quam Conſtantini M. Lanceam inter Clenodia imperialia extare contenderent: quas præcipue partes propugnandas ſibi ſumſit *Jacobus Boſius de cruce triumphante lib.1. cap.17.* Et apparebat ſane ab eo præſertim tempore, quo Romana lancea in theatrum producta eſt, alterutrius venerationem periclitari, niſi novæ artis fabri extitiſſent, qui è particula abſciſſa à Lancea Dominica, tum è lanceis Conſtantini M. & Caroli M. unam nobis fabricarent; atque veram quidem illam & antiquam Romæ, hanc autem novam & ſubdititiam Norimbergæ aſſignarent. Idque poſt *Gretſerum* adſtruere conatus eſt Auctor virulentiſſimæ Paræneſeos ad Ferdinandum II. Imperatorem & Electores Imperii de transferendis Norimbergâ in alium locum Sacri Romani Imperii Reliquiis, qui ſe *Chriſtianum Erdmannum* nominavit.

XIII. Sed ſi, quod verum eſt, volumus fateri, de neutra iſtarum lancearum ex idoneis hiſtoriarum monumentis poteſt tradita opinio ſtabiliri. Eſtque omnino ipſa Lanceæ Dominicæ inventio, non variis modo, ſed adverſis narrationibus penitus involuta. De multitudine lancearum, quæ pro veris venditantur, non loquor; quamvis illarum, præter Noricam, tot ferantur, quot

Divitis oſtia Nili:

ipſa, quæ in Scriptis antiquiorum paulo, & recentiorum mentio ejus occurrit, quantis coloribus ac pigmentis indiget, ut ullatenus concordet? *Andreas Cretenſis*, ut *Ritualia Græcorum* docent, Sophronio Hieroſolymitano Epiſcopo, adeoque Heraclio Imperatori coævus Orator, *Homilia 1. de Exaltatione S. Crucis*, tradit, poſt reſurrectionem Domini Judæos cum cæteris Paſſionis inſtrumentis etiam lanceam ſacram defodiſſe, atque hoc totum, ut vocat θησαύρισμα, σταυρὸν, καὶ τὰ περὶ τὸν σταυρὸν, ἅπαντα, σὺν ἥλοις, καὶ τὴν λόγχην, καὶ ὃν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ ἔγραψε προσέπηξε τίτλον, *crucem, & omnia quæ ad crucem pertinent, clavos, lanceam, & titulum*

v. Lupold. à Bebenburg. de Zel. Princ. Chriſt. c.12.

lum à Pilato ſcriptum atq; cruci affixum, ab Helena Conſtantini matre poſtea repertum, publicæque luci ac venerationi expoſitum fuiſſe. Hancque ſcribit ſub eodem Heraclio *Author Chronici Alexandrini* Hieroſolymis Conſtantinopolin fuiſſe allatam, ibique publica adoratione cultam. Suo verò adhuc tempore Hieroſolymis cultam teſtatur *Beda de Locis Terr. Sanct. cap.2.*

XIV. Atque iſtam quidem *Andreæ Cretenſis* de inventione lanceæ Dominicæ traditionem tueri *Gretſero*, ſociiſque *Gretſeri*, non magis arduum erat futurum, quam fuit, cæterorum inſtrumentorum Dominicæ paſſionis veritatem aſſerere; per principia nimirum & poſtulata, ipſis, quæ fingunt, miraculis mirabiliora. Niſi παλιγγενεσίαν Lanceæ Antiochenſis nonnihil inde labefactari ſenſiſſent. Itaque ipſe quidem *Gretſer. de Cruce T. I. lib. I. cap. 54.* profitetur: *difficile eſſe creditu, lanceam una cum crucibus fuiſſe eodem die, ſub veſperam, defoſſam, cum ſine dubio fuerit propria militis.* Quanquam ipſe alibi, *libro* nempe *eod. cap.84.* eas Lanceæ Dominicæ vices memoret, ut quibus illas perſuaſerit, illi non ſint miraturi, lanceam ſacram Hieroſolymis ſemel ab Helena effoſſam Antiochiæ iterum S. Andreæ revelatione eruendam fuiſſe.

XV. Hiſtoriam Lanceæ Antiochiæ repertæ recenſet præter *Robertum Monachum de Chriſtian. Pr. bell. contra Turc. lib.7. pag.* ed. Reuber. 251. *Wilhelmus Tyrius Hiſt. rer. Tranſmar. lib. VI. cap.14.* idemque *lib. VII. c.18.* refert, *dubitationes populi, utrum ea eſſet lancea, qua de latere Domini ſanguis & unda profluxit*; *an res eſſet commentitia? ne novi quidem miraculi ſpecie tolli potuiſſe: remq;, quæ in dubium venerat, nullam recepiſſe deciſionem, verum majus induxiſſe ambiguum.* Et ſupereſt ſanè non una ambigendi cauſa, utrum majori miraculo effoſſa, an defoſſa ſit dicenda? Putat quidem *Gretſerus*, non eſſe à fide alienum, Lanceam ſacram, undecunque ad Rudolphum Burgundionum Ducem devenerit, ab hoc devolutam eſſe ad Henricum Imperatorem; ab iſto ad Antiochenos; à Principibus, qui Antiochiam expugnarunt, ad Balduinum, &c. At id certe ad fidem ſpeciemque veri adeo prope non accedit, vel Regem Angliæ ſtatim acceptum ab Imperatore munus tam pretioſum fuiſſe in Antiochenos profuſurum: Vel Antiochenis intra id temporis ſpatium, quo cre-

di ſana ratione poſſunt id munus accepiſſe à Rege Angliæ, quoque Lancea denuo reperta eſt, in tanti theſauri tam ſupinum vel neglectum, vel oblivionem fuiſſe venturos, ut nulla ejus penitus apud quenquam memoria ſupereſſet.

XVI. Quanquam in tota iſta enumeratione Poſſeſſorum Lanceæ Dominicæ nihil ferè eſt, quod non poſſit aperta teſtimoniorum fide refelli, vel quod non dubium certe ſit, atque à nemine, niſi qui conjecturis nimium indulgere velit, aſſeverari liquido queat. Id quidem plures commemorant, *Luitprandus* præſertim *lib.4. cap.12.* & ex eo *Auctor vitæ S.Gerardi* apud *Baronium ad A.C. 920.* & *Surium tom. V.* quod *Sigebertus Gemblacenſis ad An. C. 929.* his verbis in compendium contrahit: *Lanceam mirandi operis, & clavis JEſu Chriſti crucifixi ſanctificatam, quæ dicitur primi & Magni Conſtantini fuiſſe, donatam Rudolpho Regi Burgundionum & Italiæ, à Samſone Comite, Rex Henricus precibus, minis, muneribus, additâ etiam parte provinciæ Suevorum, à Rudolpho Comite extorquet, & hanc ad inſigne & tutamen Imperij poſteris relinquit.* At enim lanceam ſacram inter inſignia Imperii jam extitiſſe, antequam Henricus I. illi præficeretur, docet *Witichindus Annal. lib.I. pag. edit. Meibom.9.* ubi Conradus I. moriturus, ad fratrem: *Sumtis hu inſigniis*, inquit, *lanceâ ſacrâ, armillis aureis cum chlamide, & veterum gladio Regum, ac diademate, ito ad Henricum, facito pacem cum eo, ut eum fœderatum poſſis habere in perpetuum.* Video equidem, eſſe aliquos, qui hic lanceam Caroli M. intelligendam contendant, cui particula quædam de clavis ſacris fuerit innexa, quæque propterea ſacra ſit itidem vocata. Sed quid eſt dubium dubio ſanare, ſi hoc non eſt? & quamnam dicemus deinceps inter Clenodia Imperii manſiſſe, illamne, quæ à Carolo M. an quæ à Rudolpho venit?

XVII. *Otto* certe *Friſingenſis Chron. lib. 6. cap.* 18. valde reclamat *Gretſeri* figmentis de translatione lanceæ ad Regem Angliæ & Antiochenos; ſcribit enim: *Lanceam ſacram, quam Reges noſtri hactenus habent, ab Arnolfo Lugdunenſis Galliæ ſeu Burgundiæ Rege minis extorſiſſe Henricum.* Atque alia ratione *Willielmus Malmesburienſis de Geſt. Reg. Anglor. lib.II. pag.51.* qui lanceam ſacram non ab Ottone Imp. ſed ab Hugone Rege Francorum ad Angliæ Regem perveniſſe refert his verbis: *Princeps legatio-*

nis

nis ab Hugone Rege Francorum fuit Adulphus; is in conventu procerum protulit munera-Lanceam Caroli Magni, quam Imperator invictissimus contra Saracenos exercitum ducens si quando in hostem vibraverat, nunquam nisi victor abibat: Ferebatur eadem esse, quæ Dominico lateri centurionis manu impacta pretiosi vulneris hiatu paradisum miseris mortalibus aperuit. Et quid fiet miraculo, quo fratres suos Otto Imperator vicisse *Luitprando* fusius; *Sigeberto* autem *Gemblacensi An.* C. 542. brevius in hunc modum memoratur: *Gislebertus & Everhardus, cum Henrico fratre Imperatoris Ottonis juxta Rhenum contra Imperatorem bellum parantes, milites Imperatoris offendunt, & multi cum paucis congressione facta, interim in alio Rheni littore, ante clavos & lanceam Domini, lanceæ suæ infixos, in oratione prostrato Imperatore, victi terga dederunt, Henrico in brachio insanabiliter vulnerato.* Si credidit vel Imperator ipse, Otto I. vel ejus successores, *virtute ac beneficio lanceæ*, ut interpretatur *Gretserus*, hanc victoriam partam fuisse; quis persuaderi sibi patietur, vel ipsum Ottonem, vel quenquam successorum permissurum fuisse, ut Germania tam pretioso Cimelio privaretur? Sed enim neque *Sigebertus* victoriam hanc lanceæ sacræ adscribit, neque *Luitprandus*: qui de animo etiam & proposito Imperatoris testatur: *Rex Otto* (inquit) *quoniam suis ab hostili exercitu circumventis subvenire non poterat, recordatus populi Domini, qui repugnantes sibi Amalecitas orationibus Moysi servi DEI devicerat, protinus de equo descendit, seq; cum omni populo, lacrymas fundens ante victoriferos clavos manibus Domini nostri JEsu Christi affixos, suæq; lanceæ impositos, in orationem dedit; quantumq; justi viri, secundum Apostoli Jacobi sententiam, tunc valeret oratio, res manifesta probavit: eo namq; orante, cum ex suis nullus occumberet, hostes sunt omnes in fugam conversi.* Neque minus tamen certum est, Germaniam inter Cimelia sua lanceam sacram per ea tempora servasse, quibus eam *Gretserus* fingit tantos terrarum tractus perambulavisse. quod & ipse *Gretserus tom. 3. de cruc. lib. 1. cap. 20.* agnovit: ubi hariolationes suas ipse reprobat; non multo certioribus in illarum locum conjecturis productis.

XIIX. Fueritne itaque Caroli M. an Constantini, an Mauricii, an denique illa, qua Servatoris nostri latus apertum est, lancea, quæ hodie adhuc inter Clenodia Imperii custodi-

tur; à nemine arbitror definiri certo posse. Ipsam in universum Clenodiorum istorum antiquitatem quod attinet, dubitat *Æneas Sylvius Histor. Friderici III.* an ornamenta illa, quæ Imperatoriæ coronationi adhiberi solent, à Carolo Magno usque, an vero à Carolo IV. demum descenderint? *Cæsar,* inquit de Friderico III. *quamvis ornamenta sibi pretio incredibili comparasset, in hanc tamen solennitatem, pallium, ensem, sceptrum, pomum, coronamque Karoli magni, ut fama fuit, ex Archivis Norenbergensium ad se deferri curaverat; hisq; usus est: datur enim hoc vetustati, ut plus majestatis habere videantur* (antiqua:) *pondere nova carent. Quod si tales Caroli M. ornatus fuêre, constat Principes Regesq; vetustiores non tam vestis ornatum, quam nominis gloriam quæsivisse: ac facere magis, quam vestire splendide voluisse. Verum mihi singula exactius contemplanti, cum ensem inspexi, non magni illius primiq; Karoli, sed Quarti visus est, qui Sigismundi genitor fuit. Nam Leo Bohemicus sculptus in eo visebatur: quo ille tanquam Rex Bohemiæ utebatur: in plebe tamen rumor mansit, magni Karoli ornamenta fuisse.* At enim argumentum de Leone Bohemico, quo potissimum permotum se scribit Æneas, eo valere non potest, ut inde negetur Caroli M. gladium fuisse: etiamsi concedatur, Leonem à Carolo IV. demum, postquam insignia secum in Bohemiam avexisset, insculptum. Et dicebatur ensis ille Caroli, antequam in Caroli IV. manus pervenisset: sicut ipsa quoque *consignatio Clenodiorum Carolina* ostendit, in qua etiam in pallio Caroli rubro duo leones acu picti memorantur. Conradus I. apud *Witichindum libro* 1. jam nominat *gladium veterum Regum.* quod venerandam ejus antiquitatem abunde sufficienterque demonstrat.

XIX. Cæterum ante Carolum IV. Ludovicus Bavarus Imperator aliquot Clenodiis thesaurum hunc auxisse videtur. Nisi aliter forte intelligenda sunt verba *Alberti Argentinensis Chron. ad A.C. 1352. Marchio Ludovicus lanceam, clavos, partem crucis Christi, & alia insignia, quæ Imperio dicuntur per Ludovicum Imperatorem, patrem suum, relicta, Regi* (Carolo IV.) *præsentavit, receptâ cautione de reducendis infra triduum, vel in Nürenberg, vel in Franckfurt per Regem: quod non fuit impletum, sed ea Pragam perduxit: de quo Bohemia nimium gloriatur.* Pleraque autem inde ab Henrico Aucupe, qui à Conrado acceperat, continua veluti suc-

ſucceſſione in Imperatores noſtros devoluta ſunt. De Conrado verba *Witichindi* ſupra jam retulimus: apud quem ſequitur *pag. ead. 9. poſt hæc ipſe Rex Conradus moritur, Everhardus autem, ut Rex imperarat, adiit Henricum, ſeq; cum omnibus theſauris illi tradidit.* Quin & opinio invaluit, jus ipſum Imperii ſine inſignibus hiſce & Clenodiis regalibus plenum & efficax non eſſe: & viciſſim illi maxime promptum ad imperium aditum patere, qui inſignia in ſuam poteſtatem redegiſſet. *Albertus Stadenſis Chron. ad A.C. 1126. Luderus qui & Lotharius hoc modo electus eſt. Fridericus Dux Sueviæ, poſt mortem Henrici avunculi ſui, accepit regalia, certiſſimus, quod à Principibus eligeretur. Sed Albertus Moguntinus, ab Henrico quondam captivatus, injuriam in nepote vindicare diſponens, complicibus coadunatis, conſilium concepit, quo regalia poteſtati Friderici eripiant, & ſic ad alium eligendum roborentur.* Ita *Scriptor vitæ Henrici IV.* apud *Reuberum p.* 190. de Filio, Henrico nimirum V. imperium patri ademturo: *ſtatim miſſo legato,* inquit, *patri mandavit, ut ſi vitam ſervare vellet, abſq; mora ſibi crucem, coronam, & lanceam, cæteraq; Regalia tranſmitteret.*

XX. Idque præter ingens rei, ob antiquitatem præcipue æſtimatæ, pretium, incitaſſe Imperatores noſtros videtur, ut tam diligenter cuſtodiæ horum Clenodiorum ſemper invigilarent. *Abbas Urſpergenſis in Chron. A.C.* 1124. annotat de Henrico V. *eum, cum morti vicinus eſſet, coronam cæteraq; Regalia, uſq; ad conventum Principum conſervanda in caſtello firmiſſimo, quod Hamirſtein dicitur, reponi diſpoſuiſſe.* Idem de Ottone IV. ad *A.C.* 1209. *Inſignia Imperialia apud Mediolanum commiſit: unde magnum favorem à Mediolanenſibus acquiſivit.* & ad *A C.* 1221. de Friderico II. *Inſignia Imperij, videlicet coronam & alia, remittit in Alemanniam, faciens ea cuſtodiri ſub poteſtate Eberhardi de Tanne miniſterialis & dapiferi ſui, in Walpurc.* Videntur autem, etiam antequam à Carolo IV. in Bohemiam transferrentur, Noribergæ cuſtodita jam fuiſſe: Sic enim *Auctor Chronici Belgici magni* apud *Piſtorium p.*304. *Anno ejuſdem regni Caroli quarto, Carolus Imperator, de Nurenburg in ſuam civitatem Pragenſem tranſtulit lanceam, qua latus Domini noſtri JESU CHRISTI fuit apertum & transfixum, ſimul & brachium dextrum ſanctæ crucis, cum clavo Domini, menſale Chriſti,*

Christi, quod habuit in cœna, gladium Caroli Magni, quem recepit ab Angelo, nec non alias reliquias plurimas. Qua de causa Sigismundus Imperator postea A. C. 1424. custodiam Noribergensi Reip. iterum detulerit, constat ex iis, quæ supra è *Bulla Martini V. Pontificis* adscripta sunt. Nos cum eruditissimo Viro *Jo. Christophoro Wagenseilio disput. Jur. Publ. IV. th.15.* Felicem prædicamus Inclytam Rempublicam, quod Imperii sacrum servat thesaurum: sed longe feliciorem, quia *credita sunt illi eloquia DEI.*

XXI. Supererat, ut de Festo Clenodiorum, lanceæ scil. & clavorum Domini ab Innocentio VI. A. C. 1353. instituto, aliqua annotaremus. Sed impletus est instituti nostri modus: quem studiorum meorum genus & temporis brevitas arctioribus terminis inclusit.

COROLLARIA.

I.

Friderici I. Barbarossæ collum à Pontifice calcatum esse, non à veritate tantum, sed & ab omni veritatis similitudine recedit.

II.

Valde non impium modo, sed etiam ineptum est, quod Baronius laudat Cœlestinum III. coronâ Imperatoria pedibus ludentem. quid enim vanum magis, quam laudare id, quod nec factum certo constat, quodque, si constaret factum, foret scelestissimum?

DISSERTATIO

DISSERTATIO XIIX.

DE
LEGIONE FULMINATRICE M. ANTONINI PHILOS.

I.

SIcut duæ præcipuæ in Historiarum Scriptore virtutes sunt, ne quid falsi dicere audeat, & ne quid veri dicere non audeat: ita Lectori Historiarum talis animus gerendus est, ut & vera credere audeat, & falsa non credere. Nam ut hæsitare de omnibus atque ambigere, & in nulla denique re consistere, nimium molesta & ipsi etiam rationi humanæ adversa curiositas atque diffidentia est; ita quidlibet, quod narratur, arripere, ignava merito securitas habetur. Examine itaque opus est & disquisitione. cujus specimen aliquod cum in publico mihi proponendum esset, tale argumentum ad manus sumsi, quod dignissimum mihi videbatur, ut nec in ambiguo relinqueretur, quatenus gravissimorum testimoniorum authoritate fulciri potest; nec pro certo venditaretur, quatenus aptum est refelli.

Resp. Joh. Nicolao Hardtschmidt, d. 5. Apr. 1677.

II. Quod autem *de Legione Fulminatrice* his pagellis titulum præscripsi, id sine præjudicio secuturi examinis accipi velim. Nec enim aliud spectavi hac inscriptione, quam ut eo facilius intelligi posset, de quo potissimum quæstio hîc sit futura: de Legione nimirum, cujus precibus impetrata è cœlo pluvia & fulmine Marcus Antoninus Philosophus Quados & Marcomannos fertur profligasse. quam etiam qui negant ab hoc miraculo *Fulminatricem* dictam fuisse, hoc tamen nomine, demonstrandæ rei causâ, solent indigitare.

III. Idquoque me non movit, ut à recepta appellatione recederem, quod Henricus Valesius in Annotationibus ad Euseb. *Hist. Eccl. lib. 5. cap. 5.* pronunciat: Rectè fecisse Rufinum,

quod κεραυνοβόλον fulmineam vertit; non fulminatricem, ut Onuphrius & Scaliger aliique appellant: quos refellat Notitia Imperii. in qua scil. Legio XII. fulminea nominetur, non fulminatrix. Nam ut concedam, exemplo & authoritate Notitiæ defendi Rufinum, qui fulmineam nominavit; ita non puto eâdem statim refelli eos, qui fulminatricem appellant. utpote quos tuentur *Inscriptiones Antiquæ*: quæ docent utique, antiquitus fulminatricis nomen alicui Legioni competiisse. Talis est in opere Gruteriano Inscr. 10. pag. 567.

C. VETTIO. C. F.
COL. NIGRO.
DOMO. ANTIOCHIA
SYRIA. VETERANO
LEG. XII. FVLMINAT.
MIL. &c.

Itemque alia, pag. 1090. inscr. 13. in qua M. Æl. Aurel. Theo Juridicus Aug. inter alia itidem dicitur:

TRIBVNVS. MILITVM. LATICL.
LEG. XII. FVLMINAT.

IV. Historiam ex *Eusebio Hist. Eccles. lib. 5. cap. 5.* repetunt plerique. Qui memorat: M. Aurelium Antoninum, quem Philosophum vulgo nuncupant, cum, adversus Germanos & Sarmatas pugnaturus, aciem instrueret, & exercitus ipsius siti premeretur, pene ad ultimam inopiam consilii redactum esse. Tum vero milites legionis Melitinæ, flexis in terram genibus, preces ad DEUM fudisse. Mox secutos hinc quidem fulminum jactus, quibus hostium copiæ in fugam versæ atque extinctæ sint: illinc vero imbrium vim, quibus exercitus eorum, qui DEUM precati fuerant, jamjam siti periturus, præter spem sit recreatus. Atque Imperatorem quidem ipsum literis professum, exercitum Romanum Christianorum precibus ab imminente exitio fuisse servatum. Cæterum legionem, cujus precibus id miraculum perpetratum erat, exinde congruo rei vocabulo fulmineam appellatam.

V. Prima de tempore dubitatio est. Atque hic haud dubiè graviter erravit is, qui ad marginem *Cedreni*, è regione hujus

hujus historiæ, annotavit, ſub Antonino Pio hæc accidiſſe; idque tanquam ex *Themiſtij* authoritate; quem & propterea erroris arguit *Scaliger ad Chron. Euſeb. n.* 2189. Sed *Themiſtius*, nomine Antonini, non Pium, verum Marcum omnino deſignavit, verbis quæ ad *Euſeb. Hiſt. Eccl. V, 5. Valeſius* produxit. Id magis mireris, quid *Euſebio* ipſi in mentem venerit, ut M. Aurelium Antonini Pii Fratrem nominaret?

VI. Annus de cætero notatur in *Euſebiano Chronico* CLXXIV. Æræ Chriſtianæ. quem retinet *Petavius in Rat.Temp. part.*1. *lib.*5. *cap.*8. & noviſſime *Ricciolus Chronol. Reform. Chron. magn. p.*44. Sed *Baronius* duobus annis ſerius, Anno nimirum Chriſti CLXXVI. contigiſſe contendit. A quo diverſus abit *Browerus in Annal. Trevirenſ. part.* 1. *lib.* 2. qui in A.C. CLXXII. uti & *Ubbo Emmius in Oper. Chronol.* qui in A. C. CLXXIII. referre malunt. Mihi *Browerus* quidem recte videtur feciſſe, quod Anno, quo hæc geſta ſunt, *Tribunitiam Poteſtatem Marti Aurelij XXV.* adſcripſit: ſed ſecundum calculum accuratiorem *Onuphrij Panuinij* hic non eſt Annus Æræ Chriſtianæ CLXXII. ſed CLXXI. Siquidem conſtat Marco Tribunitiam poteſtatem datam eſſe *Ipſo II. & Antonino Pio IV. Coſſ.* qui fuit Annus Urb. Cond. DCCCXCIX. Chriſti CXLVII. Inducit autem me, ut ad Tribunit. Pot. XXV. cum *Browero* potius, quam XXIIX. cum *Baronio* referam hanc hiſtoriam, Nummorum eodem & ſequenti anno cuſorum authoritas: non quales *Browerus* produxit; in quibus victoria duntaxat Germanica, eo modo, quo in nummis aliorum quoque annorum ante & poſtea, celebratur: ſed quales exhibet *Adolphus Occo in Numiſm. p.* 288. è quibus nemo non videt, quàm eximie huc pertineant illi tres inprimis, in quibus exhibetur IMP. M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXV. COSS. III. (addito in altero, S.C.) *Jupiter ſedens, dextra fulmen, ſiniſtra haſtam tenens*: tum: M. ANTONINVS AVG. TR. P. XXVI. IMP, VI. COSS. III. *Victoria coronans Imperatorem, tenentem fulmen.* Argumenta *Baronij* quàm invalida ſint, ut oſtendere queamus, ipſa fortaſſe diſquiſitio ſubminiſtrabit occaſionem.

VII. Obtinuit Marcus tam miraculoſam victoriam bello, quod *Marcomannicum* ſolent nominare Scriptores; quan-

quam plurimarum gentium fuerit. *Eusebius* Germanos & Sarmatas duntaxat nominat; pariter ut *Pausanias in Arcadicis*: Plenius enumerat *Capitolinus in Marc. cap.22. Gentes omnes ab Illyrici limite usq; Galliam conspiraverant, ut Marcomanni, Narisci, Hermunduri, & Quadi, Suevi, Sarmatæ, Latringes & Buri: hi aliiq; cum Victoualis, Sosibes, Sicobotes, Rhoxolani, Bastarnæ, Alani, Peucini, Costoboci.* Victoriam tamen, ut ita dicam, fulmineam, de Quadis tantum reportasse Marcum scribit *Dio Cassius lib.71. p.805.*

IIX. Inchoatum id bellum fuerat, vivo adhuc fratre Marci, L. Vero: hocque in ipsa expeditione A.C. CLXX. extincto, interruptum: justis tamen eidem solutis, statim à Marco solo resumptum est; &, ut modo dicebam A.C. CLXXI. hoc mirando facinore patrato, duravit usq; in A.C. CLXXIV. quo Marco Tribunitiam Potestatem XXIIX. gerenti, Appellatio *Imperatoris VII.* jam antea ex acclamatione militum suscepta, ut *Dio* testatur, Senatus auctoritate confirmata est. tradit hæc locis diversis *Capitolinus*; sed præcipue in *Marco cap.14.17.21.24.* Addatur *Eutropius lib.8.* qui bello isti Marcomannico diserte triennium tribuit. uti & *Orosius VII,15.* & *Eusebius in Chron. ad A.C. 179.* Et confirmat insuper calculum nostrum satis valide, quod in *Nummis* apud *Occonem* titulus *Imp. VII.* Marco partim cum TR. POT. XXIIX. partim XXIX. adscribitur.

IX. Iidem, quos modo laudavi, Scriptores, uno velut ore, testantur, gravissimum istud bellum fuisse. inprimis *Eutropius*: cujus verba sunt: *Bellum ipse Marcus unum gessit, Marcomannicum; sed quantum nullâ memoriâ fuit; adeo ut Punicis conferatur.* Sic & *Capitolinus in Marc. cap.17. Specialiter ipse Marcus bellum Marcomannicum, sed quantum nullâ unquam memoriâ fuit, tum virtute, tum etiam felicitate transegit.* Sed & *Ammianus Marcellinus lib.31. pag. edit. Vales.44.* indicat, quantæ clades tum exercitibus, tum urbibus etiam Romanis hoc bello illatæ sint.

X. Speciatim, quod ad angustias & periculum attinet, è quo per fulmen & pluviam miraculosam liberatus dicitur Romanus exercitus, narrat *Dio Cassius lib. 71. pag. 805.* Romanos in locis opportunis circumdatos à Quadis, testudine factâ strenue se defendisse: atque ideo hostes omissâ pugnâ constituisse expectare, donec undique inclusos & aquâ prohibitos

æstus

æstus Solis & sitis necaret: jamque Romanos vulneribus pariter ac calore, tum aquæ defectu, non ad pugnandum saltem inhabiles redditos fuisse, sed ad exitium proxime adductos; cùm se Divinum auxilium exseruit. *Capitolinus in Marc. cap.* 24. consilium istud Quadorum, quo siti necare, pugnâ omissâ, Romanos destinaverant, *machinamentum hostium* vocat. uti & *Salmasius in not.* ad illum locum observavit. *Orosius* quoque *lib.*7. *cap.*15. indolem periculi signavit. *Cum insurrexissent*, inquit, *gentes immanitate Barbaræ, multitudine innumerabiles, hoc est, Marcomanni, Quadi, Vandali, Sarmatæ, Suevi, atq; omnis pene Germania, in Quadorum usq; fines progressus exercitus, circumventusq; ab hostibus, propter aquarum penuriam, præsentius sitis, quam hostis periculum, sustinebat.*

XI. Liberationem porro his verbis pertexit *Dio*: Τῶν οὖν Ῥωμαίων ἐν παντὶ κακοῦ καὶ ἐκ τοῦ καμάτου καὶ ἐκ τῶν τραυμάτων, τοῦ τε ἡλίου καὶ τοῦ δίψους γενομένων, καὶ μήτε μάχεσθαι διὰ ταῦτα μήτε χωρῆσαί πῃ δυναμένων, ἀλλ' ἔν τε τῇ τάξει καὶ τοῖς τόποις ἑστηκότων, καὶ κατακαιομένων, νέφη πολλὰ ἐξαίφνης συνέδραμε, καὶ ὑετὸς πολὺς οὐκ ἀθεεὶ κατερράγη. *Cum Romani in tantas difficultates incurrissent, ut labore, vulneribus, ardore Solis, ac siti vexarentur, nec ob eas res pugnare possent, aut alio secedere, sed in acie stantes, & in iis locis constituti arderent; multæ nubes derepente ita coactæ sunt, ut maximus imber ceciderit, non sine DEI beneficio. Cumq; primum pluvia caderet* (pergit *pag.*806.) *Romani omnes suspexerunt in cœlum, eamq; in ora receperunt: deinde scutis galeisq; subjectis biberunt. Barbaris vero irruentibus, cum & bibere simul pergerent, & propulsarent hostem; sauciis jam compluribus, gravia damna accepissent, urgentibus hostibus; nisi vehemens grando compluraq; fulmina in hostem cecidissent. Itaq; videre licebat in eodem loco aquam ignemq; simul de cœlo cadere, atq; ob eam causam humectari alios, & bibere, exuriq; alios ac prorsus interire. Non attingebat ignis Romanos, aut si forte ad eos accessisset, extinguebatur subito. Neq; imber juvabat Barbaros, sed immissas eis flammas, etiam magis, velut oleum, excitabat: ut aquam requirerent pluvia perfusi; infligerentq; pars sibi vulnera, quo igitem sanguine restinguerent: pars confugerent ad Romanos, quasi illis tantummodo aqua salutaris esset. Pluviæ* mentionem quoque facit *Capitolinus*: uti & *fulminis*. *Fulmen*, inquit *cap.* 24. *de cœlo contra*

tra hostium machinamentum extorsit ; suis pluvia impetrata, cum siti laborarent. Poëtice *Claudianus de VI. Cons. Honor. vers.* 342.

Laus ibi nulla Ducum: nam flammeus imber in hostem
Decidit: hunc dorso trepidum flammante ferebat
Ambustus sonipes: hic tabescente solutus
Subsidit galea, liquefactaq; fulgure cuspis
Canduit, & subitis fluxere vaporibus enses.

Sed Christiani Scriptores, pariter ut *Dio* & *Capitolinus*, imbrem vel solum nominant, vel adjungunt fulmina.

XII. Major inter eos dissensus est in judiciis de origine & authore hujus miraculi. *Dio Cassius* refert, suo tempore, nempe sub Severo Imp. famam fuisse: Ἀρνοῦφίν τινα μάγον Αἰγύπτιον, συνόντα τῷ Μάρκῳ ἄλλους τε τινὰς δαίμονας, καὶ τὸν Ἑρμῆν τὸν ἀέριον ὅτι μάλιστα μαγγανείαις τισὶν ἐπικαλέσασθαι, καὶ δι' αὐτῶν τὸν ὄμβρον ἐπισπάσασθαι. *Arnuphin magum Ægyptium, qui cum Marco erat, Mercurium præsertim illum, qui est in aëre, aliosq; Dæmonas quibusdam artibus magicis invocavisse, ac per eos pluviam elicuisse.* Ipse autem judicium suum præmittit, his verbis: καὶ πόλεμος Μάρκῳ συνέστη μέγας, καὶ νίκη παράδοξος εὐτυχήθη, μᾶλλον δὲ ἀπὸ Θεοῦ ἐδωρήθη· κινδυνευσάντας γὰρ ἐν τῇ μάχῃ τοὺς Ῥωμαίους παραδοξότατα τὸ Θεῖον ἐξέσωσε. *Bellum Marco ingens conflatum est: victoria autem ab omni expectatione aliena beatus est, imò DEI potius beneficio donatus. nam cum in prœlio periclitarentur Romani, mirabili prorsus ratione Numen eos servavit.* Non sensit sane de vero Numine *Dio*; interim puto, illum non debuisse à *Xiphilino* mendacii argui in eo, quod famam & rumorem suo tempore de hac victoria sparsam retulit. Ipsam quidem, quæ vulgata erat, famam refutare facile fuerat: non eâ ratione, quam *Xiphilinus* adfert: *quod memoriæ proditum non sit, Marcum magorum consuetudine & præstigiis delectatum fuisse*: sed longe fortiori, quod Marcus ipse *de vita sua lib.*1. diserte profiteatur se didicisse, παρὰ Διογνήτου τὸ ἀκενόσπουδον, καὶ τὸ ἀπιστητικὸν, τοῖς ὑπὸ τῶν τερατευομένων καὶ γοήτων περὶ ἐπῳδῶν περὶ δαιμόνων ἀποπομπῆς, καὶ τῶν τοιούτων λεγομένοις. *A Diogneto, studium abstrahere à rebus inanibus, fidemq; abrogare iis, quæ de incantationibus & Dæmonum profligationibus, ac id genus aliis rebus, præstigiatores & magi referrent.* Sed non propterea, quia fama falsa

falsa erat, consequitur, falsum quoque esse, talem tempore Dionis famam sparsam fuisse. Nam de Legionis nomine quale sit, quod Dioni objicit *Xiphilinus*, infra apparebit. *Capitolinus* citato *cap. 24. Marci precibus extortum de cœlo fulmen*, scribit, harumque precum formulam exhibet ex Themistio *Valesius in Annot. Euseb. V, 5.* *Claudianus* famam *Dioni* annotatam tangit; sed ipse Marci moribus Deos tribuisse miraculum censet:

> *Tunc contenta polo,* inquit, *mortalis nescia teli*
> *Pugna fuit: Chaldæa mago seu carmina ritu*
> *Armavere Deos: seu, quod reor, omne Tonantis*
> *Obsequium Marci mores potuere mereri.*

Ex *Suida* autem in Ἰουλιανὸς constat, non tantum illam de Arnuphi, mago, sive, ut ipse appellat, Philosopho Ægyptio, opinionem viguisse: sed & alios fuisse, qui Juliani incantationibus id tribuerent. Quod vero *Scaliger* ex *Lampridio* insuper huc adfert, Marcum per Chaldæos & magos id egisse carminibus & consecratione, ut Marcomanni Pop. Rom. semper devoti essent, atque amici: id vero puto ab isto quidem miraculo prorsus alienum esse.

XIII. Ex nostris Scriptoribus antiquissimum ipsique huic victoriæ σύγχρονον testem producit *Eusebius* ad firmandam narrationis suæ, uti supra proposita est, fidem, *Apollinarem*, sive, ut Græci nominant, Ἀπολινάριον, Hierapolitanum Episcopum. Cujus authoritas, utpote Scriptoris coævi prorsus historiæ quam scripsit, tanta est propter antiquitatem; ut ne ipsum quidem *Dionem*, nedum *Capitolinum*, aut *Themistium*, vel denique *Claudianum* existimem potiorem rumori suorum temporum, vel suis conjecturis propriis, fidem arrogaturos fuisse. Ex operibus ejus memorantur præcipuè *Eusebio Hist. Eccl. IV, 27.* adversus Gentes libri quinque: de veritate duo. quibus addit *Photius* aliud opus *de pietate*. Qui de cætero luculentus, etiam de ætate ejus & præstantia, testis est. ita enim ille in *Biblioth. cod. XV.* ἤνθησε ἐπὶ Μάρκου Ἀντωνίνου Βήρου βασιλέως Ῥωμαίων· ἀξιόλογος ὁ ἀνὴρ καὶ φράσει ἀξιολόγῳ κεχρημένος. *Floruit M. Antonini Veri, Romæ imperantis, tempore. Vir sane memorandus & dictione præstanti usus.* Atque ex hoc confirmat tum in universum *Eusebius* opem divinam Antonino

Christiano-

Christianorum precibus obtentam: tum id repetit præsertim, quod supra de nomine legionis *fulminatricis* annotatum est. hoc nimirum vocabulo, tanquam rei congruente, illam ab Imperatore insignitam fuisse.

XIV. Atque de precibus Christianorum, quod per illas Marco & exercitui Romano imber exoratus sit: quodque id Imperator ipse agnoverit, maximi merito momenti præterea visum est *Eusebio* testimonium, quod in *Apologetico cap.5. Tertullianus* præstat, cum scribit: *edimus protectorem, si literæ Marci Aurelij gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur.* Literas quidem, quæ hodie sub nomine Marci circumferuntur, subjunctæ *Apologetico Justini Martyris*, falsitatis tam aperte convicit *Scaliger ad Euseb. Chron. p.222.* adstipulante *Salmasio ad Capitolin. Marc cap.24.* ut non otiose minus facturus sit, qui de authoritate illarum denuo disputare, quam qui eidem inniti, aggredietur: at quis credet, Tertullianum, apud Senatum Romanum, ad literas Marci in tam gravi & periculosa disputatione provocaturum fuisse, si vel extare illas, vel id, quod producit, comprehendere, non certo certius scivisset? *Orosius* non videtur æque certus de his literis fuisse; ait enim: *extare etiam nunc apud plerosq; dicuntur literæ Imperatoris Antonini, ubi invocatione nominis Christi per milites Christianos & sitim illam depulsam, & collatam fatetur fuisse victoriam. Eusebius in Chron.* ore ipsius *Tertulliani* loquitur. Historiam interim ipsam non minus asseveranter percenset *Orosius* quam *Tertullianus*: qui alibi quoque, *ad Scapulam* nempe *cap.4.* scribit: *Marcus Aurelius in Germanica expeditione, Christianorum militum orationibus ad DEum factis, imbres in siti sua impetravit.*

XV. Nec est, ut quis existimet, *Tertulliani* fidem vacillare, vel propter nummos ex *Occone* supra productos, in quibus Jupiter aut Imperator etiam ipse Marcus exhibetur cum fulmine; vel propter monumentum Jovi, ut apparet, Fulminatori Romæ ob hanc victoriam erectum, quod cernere est apud *Baronium ad A.C. 176.* vel denique propter picturam, in qua suo adhuc tempore Imperatorem precantem & cœlum in suam opem exorantem repræsentatum fuisse scribit *Themistius*. Licet enim

nummis,

nummis, & monumento Baroniano concedatur, uti libenter concedimus, Marcum Imperatorem non agnovisse verum DEUM, à quo Christiani milites tam potens auxilium impetraverunt: non tamen inde contra Tertullianum concludi poterit, Marcum non agnovisse, quorum militum precibus, à quocunque denique DEO, hanc victoriam impetrasset. nam quod ignotum Numen sub habitu Jovis consecravit ac coluit, id miraturum neminem puto. Et sunt præterea talia monumenta victoriarum vel in nummis, vel in marmoribus, vel alio quocunque picturæ genere, plerumque non ab Imperatoribus ipsis, sed in honorem Imperatorum, à Senatu Romano exhibita. Ne de eo jam dicam, quod de pictura *Themistij* ne constet quidem, privatâ an publicâ auctoritate facta fuerit.

XVI. *Milites Christianos* generatim duntaxat nominat *Tertullianus*, uti loca adducta ostendunt; neque singillatim exprimit, cujus legionis fuerint: uti nec *Orosius*: cujus verba sunt: *Ad invocationem Nominis Christi, quam subito magnâ fidei constantiâ quidam milites effusi in preces palam fecerunt, tanta vis pluviæ effusa est.* quin pro comperto fere habeo, haudquaquam de legionis certæ militibus, nedum de Legione integra sensisse *Orosium*: addit enim paucis interjectis: *Romani hostium terga usque ad internecionem cædentes, gloriosissimam victoriam, & omnibus pene antiquorum titulis præferendam, rudi parvoque militum numero, sed potentissimo Christi auxilio, reportarunt.* Primus, quod ego quidem sciam, *Eusebius* nominat τοὺς ἐπὶ τῆς μελιτινῆς οὕτω καλουμένης λεγεῶνος στρατιώτας. *milites Legionis Melitinæ.* Huncque haud dubie unum cæteri, qui nomen idem usurparunt, præsertim *Xiphilinus* habuerunt pro fundo. Nam *Gregorius Nyssenus*, cujus ex *Orat.2. de XL. Martyr.* locum adfert *Baronius*, præterquam quod videtur & ipse haustam ex *Eusebio* historiam ornatu duntaxat oratorio auxisse, de loco, ubi parta est hæc victoria, uti & de militibus, quorum precibus parta est, adeo indeterminate loquitur, ut ex illo non minus facile probari possit, rem istam Melitinæ, quam à militibus Melitinensibus gestam fuisse. *Epistola* suppositia *Marci*, inter legiones quæ cum Imperatore fuerunt, Melitinam non nominat. Sed ejus, in alterutram partem,

non major ſane ratio habenda eſt, quam ſi in mundo non eſſet.

XVII. *Euſebium* quod attinet; niſi admodum fallor, putavit is *Apollinarem* ſe præeuntem habere, cum Melitinam Legionem nominavit: apud quem ſcriptum nimirum repererat: Legionem, cujus precibus miraculum perpetratum eſt, exinde congruo rei vocabulo fulmineam ab Imperatore cognominatam eſſe. Eandem autem Melitinam legionem dictam, quæ & Fulminea vel Fulminatrix, aliunde putabat eſſe exploratiſſimum. Et licet ſane *Joſephus Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis* ſcribat: *Melitenes legionis memoriam omnem intercidiſſe, neq; unde nomen acceperit ſciri: nec poſſe dictam videri* ἀπὸ τῆς Μελιτίνης *Urbe Cappadociæ: cum ab ea ſit* Μελιτιναῖος, non Μελιτινός. oſtendit tamen *Salmaſius in not. ad Capitol. Marc. cap.* 24. *Melitenam Legionem* utique dici potuiſſe à *Melitina Cappadociæ Urbe*: quæ Græcis non Μελιτίνη ſed Μελιτηνὴ, & cujus ἐθνικὸν non Μελιτιναῖος ſed Μελιτηνὸς dici conſueverit. idque probat ex *Stephano de Urbibus voce* Μελιτηνή. Cujus appellationis ratio tanto veriſimilior eſt; quod ex *Dione Caſſio lib.* 55. *p.* 564. conſtat, Legionem XII. Fulminatricem ab Auguſto conſtitutam, & in Cappadocia collocatam. Sequiori ævo eandem Legionem, apud Melitinam oppidum, ſub Diſpoſitione Ducis Armeniæ conſtitutam fuiſſe, dubitationi omni eximit *Notitia Imp. Orient. pag.* 99. *Præfecturæ Legionis duodecimæ Fulmineæ, Melitenæ.*

XIIX. Itaque ſi mentem *Euſebij* ſatis aſſequor; exiſtimavit ille, Legionem XII. uſque ad tempus hujus miraculi Melitenam dictam fuiſſe; poſtquam autem milites ejus precibus ſuis fulmen è cœlo provocarunt, nomen *Fulmineæ* vel *Fulminatricis* accepiſſe: idque teſtatum eſſe Apollinarem, cum ſcripſit: ἐξ ἐκείνου τὴν δι' εὐχῆς τὸ παράδοξον πεποιηκυῖαν λεγεῶνα, οἰκείαν τῷ γεγονότι πρὸς τοῦ βασιλέως εἰληφέναι προσηγορίαν κεραυνοβόλον τῇ Ῥωμαίων ἐπικληθεῖσαν φωνῇ. *Ex eo Legionem, cujus precibus miraculum perpetratum eſt, congruo rei vocabulo fulmineam ab Imperatore cognominatam eſſe.*

XIX. Hoc vero ſi ſenſit *Euſebius*, uti ſenſiſſe manifeſtum eſt, graviter ſibi obloquentem habet inſcriptionem Tergeſtinam

nam veterem, quæ Legionem XII. quam in Cappadocia ponit *Dio*, jam Trajani tempore *Fulminatricem* cognominatam docet. Produxerunt illam *Baronius*, *Scaliger*, alii. In *Opere Gruteriano pag.193. n.3.* exhibetur in hunc modum:

Q. PETRONIVS. C. F. PVP. MODESTVS. P. P. BIS LEG. XII. FVLM ET LEG. I. ADIVTRIC. TRIB. MIL. COH. V. VIC. TR. COH. XII. VRB. TR. COH. V. PR. PR. DIVI. NERVÆ. ET. IMP. CÆS. NERVÆ. TRAIANI. AVG. GERM. PROVINC. HISPANIÆ. CITER. ASTVRIÆ. ET. CALLECIARVM. FLAMEN. DIVI. CLAV. DEDIT. IDEMQVE. DEDICAVIT.

Neque ego ſane rationem excogitare poſſum, qua erroris *Euſebius* poſſit abſolvi. Nam *Brovverus*, qui in *Annal. Trev. part. 1. p.171.* vetus nomen Fulminatricis legionis in Melitenam tranſlatum ſcribit, non ſatisfacit.

XX. *Apollinarem* tamen, eodem tempore, ut præmonui, viventem ſcribentemque, quo militibus Chriſtianis id dediſſe Marcum aſſeverat, ut Legionem, in qua militabant, Κεραυνοβόλον *Fulminatricem* appellaret, ut falſi arguam, nondum inducor. Id in dubium neutiquam voco, *Legionem XII. Melitenam ante Marcum jam appellatam fuiſſe fulminatricem: atq; adeo nomen hoc à Marco non accepiſſe*; ſed hinc ſequitur tantum, *Euſebium* ſimilitudine nominis deceptum fuiſſe; qui Legioni Melitenæ nomen *fulminatricis à Marco* inditum ſcripſit. Contra Apollinarem vero, qui Legionem, cujus milites Chriſtiani fulmen & imbrem precibus impetraverant, à Marco *fulminatricem* cognominatam aſſeruit, nihil hinc validè concluditur. Nam I. nihil impedit, aliam quandam Legionem à Marco Fulminatricem dictam eſſe; etiamſi conſtet Legionem XII. jam ſub Trajano idem nomen geſſiſſe. II. Præſertim cum alio ſignificatu illa XII. alio hæc noſtra id nominis acceperit, geſſeritque. *Illa* enim *Fulminatrix* dicta eſt, quia vel ſcutis milites ejus picta fulmina præferebant, uti conjicit *Chriſtoph. Adam. Rupert. obſerv. in Synopſ. Beſold. cap.14. pag.330.* vel quia in ſignis militaribus aquilam fulmini inſi-

 dentem

dentem habebat: *hæc*, quia precibus suis quodammodo fulmen in hostes jaculata fuerat. Hinc, quod inprimis observandum arbitror, *Dio Cassius lib. 55. p. 564.* illam κεραυνοφόρον, quasi *fulmina gerentem*: Apollinaris vero hanc nostram κεραυνοβόλον quasi *fulmina jaculantem* nominavit. quod diversitatem apertè demonstrat. III. Neque obest huic sententiæ, quod *Dio Cassius* in enumeratione Legionum Romanarum unius tantum Fulminatricis, vel Fulminiferæ, non autem hujus Fulminum jaculatricis mentionem faciat. præterquam enim quod Scriptoris recentioris silentium adversus coævi disertum & expressum testimonium minime validam consequentiam parit: vero haud est absimile insecutis persecutionibus vel dissipatam esse iterum hanc legionem, vel nomen ejus saltem abolitum: uti causis multo levioribus alias legiones dissipatas fuisse *Dio* ipse *citato lib. 55.* fatetur. quarum nomina itidem non recenset. IV. Licet parum probabile sit, totam legionem militum Romanorum tempore Marci Christianam jam fuisse; id tamen novum aut inusitatum non est, ut paucorum etiam militum præclara facinora legioni integræ imputentur tribuanturque à Scriptoribus, vel interdum publice nomen peculiare pariant. V. Quare autem miremur, Marcum in hanc expeditionem secum Christianos duxisse? Cum *Capitolinus in Marc. cap.* 21. testetur, *Illum ob idem istud bellum servos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam parasse; eosq; Voluntarios exemplo Volonum appellasse. Armasse etiam gladiatores, & obsequentes appellasse. Latrones etiam Dalmatiæ atque Dardaniæ milites fecisse. Armasse & Diocmitas. emisse & Germanorum auxilia: omni præterea diligentia parasse legiones.*

XXI. De *Xiphilini* loco cur non seorsim agam, credo apparere, uti & , quare cumulandis recentiorum testimoniis abstinuerim. quibus ut fidei nihil addi Veterum narrationibus, ita nec detrahi quicquam potest.

DISSER-

Dissertatio XIX.

HOSTIS DEDITITIUS.

I.

INter cæteros bellorum eventus *Hostem dedititium* magna casuum frequentia & varietate sistit nobis præsens Europei Orbis facies, instruitque quotidianis experimentis repertum circa ipsam bellorum originem salubri haud dubie ratione remedium, ad extremam cruenti certaminis necessitatem evitandam. Sed mihi consilium est ad præteriti potius temporis exempla respicere, atque ex illis, intra limites Academicæ dissertationis, repetere, quæ ad ferendum de hodiernis judicium præcipui quidpiam momenti habere videbuntur. DEUS Optimus Maximus gratiæ suæ atque regimini, Mæcenates favori ac benevolentiæ, Amici studio atque affectui conatus hosce meos habeant commendatos. Resp. Joh. Carolo Strohm, d. 16. Maji 1677.

II. Putet autem forte aliquis contradictoria me loqui, quando *Hostem dedititium* nomino: cum deditio pactionem contineat, qua is, qui se dedit, & is, qui dedentem se recipit, desinunt invicem hostes esse; quatenus deditionem recipiens jus perpetrandi hostilia, vel deditionem faciens jus resistendi, ipsa deditione abdicare censetur. Verum cum *dedititium* spectare liceat non tantum in eo statu, in quo est, postquam se dedidit; sed & in eo in quo est, cum se dedit; mihi in titulo dissertationis, hunc potius, quam illum attendere ratio fuit, ut distincte specialiterque statim cognosceretur, inter varia deditionis genera, eam tantum in scriptionis hujus argumentum venire, quâ hostis hosti deditur.

III. Non aliter itaque quam per comparationem quandam huc pertinent *dedititÿ*, de quibus Lege Sext. Ælio Catulo & Cajo Sentio Saturnino Coss. Romæ cautum est, ut qui servus publice vinctus, aut notis inustus, aut publice verberatus fuisset, si ma-

ſi manumitteretur, dedititiam libertatem conſequeretur, neque unquam ad civitatem Romanam perveniret. Quod Auguſto adſcribit *Suetonius in vit. ej. cap.*40. his verbis: *Servos non contentus multis difficultatibus à libertate juſta removiſſe; cum & de numero & de conditione ac differentia eorum, qui manumitterentur, curioſe caviſſet, hoc quoq; adjecit, ne vinctus unquam tortuſve quis ullo libertatis genere Civitatem adipiſceretur.* Cæterum ſimilitudinem inter hos & noſtros dedititios notavit *Theophilus Paraphraſ. Inſtit.* §. 3. *de Libert.* laudatus ob id *Antonio Auguſtino de Legib. & Senatus c. Pop. Rom. L. Æl. Sent. p.*34. Scribit autem ex interpretatione *Jacobi Curtij Theophilus: dedititios nominatos fuiſſe ad exemplum peregrinorum: quondam enim peregrinorum aliquos, cum Romanis vectigal penderent, infeſtis adverſus Romanos animis, arma in eos ſumpſiſſe. Collata autem acie datoque congreſſu à Romanis fuiſſe victos. Nempe cum impetum fortitudinemq; eorum ſuſtinere non poſſent, abjectis armis ſeſe dedidiſſe. At Romanos cum hiſce humane agentes, vitam quidem iis conceſſiſſe: ſed appellationis hujus ignominia affeciſſe; ut, quia ſe dedidiſſent, dedititij vocarentur. Hoc exemplo libertinos quoq; iſtos dedititios Lege Ælia Sentia fuiſſe vocatos, ut, quorum ignominia ſive turpitudo communis erat, ij & nomine communi uterentur.* Add. *L. un. C. de deditit. Lib. toll.*

IV. Pariter à tractatione noſtrâ remoti ſunt, qui ob delictum admiſſum, alii, quam hoſti deduntur: ſive civitas dedat exteris eos, è civibus ſuis, qui in exteros deliquerunt; ſive exteri dedant civitati eos, qui, cum in civitate deliquiſſent, ad ſe confugerunt. Cujus utriuſque deditionis rationes cautioneſque, uti & exempla quamplurima, exhibet *Grot. de Jur. Bell. & Pac. lib.*2. *cap.*21. *n.* 4. 5. *& in Not.*

V. Idem de his dicendum, qui vel ob quamcunque aliam neceſſitatem; vel ob bellicam quidem, ſed aliis quam à quibus victi ſunt, tutelæ duntaxat ſuæ cauſa ſe dedunt. Quemadmodum Romanis victi à Samnitibus Campani ſe dediderunt: quorum Legati apud *Livium lib.*7. *cap.*31. cum impetrare auxilium à Romanis contra Samnites non poſſent; notabili formula, *quandoquidem,* inquiunt, *noſtra tueri adverſus vim atq; injuriam juſta vi non vultis; veſtra certe defendetis. Itaq; populum Campanum, agros, delubra deûm, divina humanaq; omnia, in veſtram, Patres Conſcripti,*

Conscripti, populiq; Romani ditionem dedimus: quicquid deinde patiemur, dedititij vestri passuri. Atque hos quidem in deditionem acceperunt Romani. Iidem tamen paulo post, eodem *Livio* memorante *lib.* 8. *cap.* 2. Sidicinorum deditionem, ut seram ultimaque demum necessitate expressam, sunt aspernati. Campanorum deditioni non absimilis est Epidamniorum deditio apud *Thucydidem de bell. Pelop. lib.*1. *cap.*2. qui se Corinthiorum potestati permiserunt, cum adversus vicinos Barbaros nec propriis viribus se tueri possent, & à Corcyræis, quorum colonia erant, frustra auxilium petiissent.

VI. Quoniam itaque de *hoste dedititio* sermo nobis est futurus; antequam ad cætera progrediamur, exponendum videtur, quinam, recepta inter gentes loquendi consuetudine, *hostium* nomine intelligi soleant? Et antiquissimis quidem temporibus *hostis* Romanis nihil nisi externum significabat. Postea nomen ad eos translatum, qui publice arma contrà ferrent. docet utrumque *Cicero de Offic. lib.* I. *cap.* 12. *Etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigante. Hostis enim apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. indicant duodecim Tabulæ*: Aut status dies cum hoste. *Itemq;*: Adversus hostem æterna auctoritas. *quid ad hanc mansuetudinem addi potest? eum, qui cum bella geras*, tam *molli nomine appellari? Quanquam id nomen durius jam effecit vetustas: à peregrino enim jam recessit, & proprie in eo, qui arma contrà ferret, remansit.* Quod autem adjeci, *Publice*, id *Philippica IV.* explicat *idem*; ubi ait: *Ille hostis est, qui habet Rempublicam, curiam, ærarium, consensum & concordiam civium, & rationem aliquam, si res ita tulerit, pacis & fœderis.* Idque ad usum gentium communem transfert *Grotius de Jur. Bell. & Pac. lib.* 3. *cap.*3. *n.*I. *& seqq.*

VII. Unde fit, ut, quod *Ulpianus in L.* 24. *ff. de Captiv. & Postl.* scribit, *eum qui à latronibus captus est, servum latronum non esse*, applicari non minus possit ad deditionem, quam vel latronibus alii, vel aliis latrones faciunt. Nam nec illo casu latrones jus consequuntur, quod in dedititios; nec hoc, quod dedititiis aliâs competit. Hincque legimus, plerumque nec latrones dedentes sese receptos; & in potestatem redactos ultimo suppli-

ſupplicio affectos fuiſſe. Referrique inter alia, tanquam inſigne juſtitiæ facinus, videas, quod Fridericus I. Imperator latrones, qui fauces Italiæ inſederant, poſtquam eos in ditionem ſuam redegiſſet, ſuſpendio punivit. memorante *Ottone Friſingenſi Geſt. Frid. I. lib.2. cap.25. Gunther. Ligurin. lib.4.* Vetuſtiora exempla conſignavit *Albericus Gentilis de Jur. bell. lib.1. cap.4.*

IIX. Quod tamen eatenus tantum admitti debet, ſi pactio expreſſa non interceſſit. Hac enim adhibitâ, latronibus perinde ut aliis quibuſve fidem eſſe ſervandam, meritò cenſent prudentes. quo nomine Auguſtum inprimis laudat *Dio Caſſius lib.56. pag.598.* exempli loco adferens Corocottam famoſum in Hiſpania latronem. contra quem cum tanta ira fuiſſet incenſus Auguſtus, ut præmium illi polliceretur, qui virum hunc ſibi adduxiſſet, decies ſeſtertiûm; mox ultro ad ſe venientem neque pœna affecit, & eâ, quam promiſerat, pecunia donavit. quod indignis etiam fidem ſervandam putaret.

IX. Scio quidem vulgo in contrarium provocari ſolere ad *Ciceronis* teſtimonium, quod extat *lib.3. de Offic. cap.29. Perjurium nullum eſſe, ſi prædonibus pactum pro capite pretium non afferatur, ne ſi juratum quidem ſit: quia pirata non ſit ex perduellium numero definitus, ſed communis hoſtis omnium, cum quo nec fides eſſe debeat, nec jusjurandum commune.* Quin & occurrere in veteri pariter ac recenti hiſtoria exempla certum eſt, quibus pactæ, expreſſa conventione, ſalutis fides nihil dedititiis piratis aut prædonibus profuit. inter quæ dignum præcipue memoratu videtur, quod *Thuanus lib.82. p.39. A.C.1585.* refert de Curtieto Sambucano, primario Italicorum exulum duce. Infeſtaverat ille crebris excurſibus ipſum quoque Romanum agrum, uſque ad urbis portas, tandemque populabundus in Samnium ſe receperat, ut ſe cum Marco Sarra altero famoſo prædonum duce conjungeret; indeque collecto ſociorum globo rurſus in Latium deſcendit, eâdemque qua antea licentia eſt graſſatus; nec tamen diu poſt inde ejectus, ac Tergeſti concluſus, cum deſperatis plane conſiliis vel ſalutem ſibi, vel communem cum oppidanis perniciem paraturum oſtenderet, *Tergeſtini* (quæ ſunt verba Hiſtorici) *apud Præfectum pervicerunt, ut potius paucorum hominum licet noxiorum in libertatem conſentiret, quam tot innocentes*

animas

animas in manifeſtum exitium obfirmato animo daret. Cavit itaq; præfectus illi de vita, fidejuſſore Raimundo Turriano Comite. Verum mox Turriano ad Cæſarem profecto, ut pactorum confirmationem inde peteret, præfectus fidem Curtieto ſociiſq; minime ſervavit, ſed nocte intempeſta in hoſpitio, in quo publica fide interpoſita diverſabantur, comprehendi, maniciſq; & pedicis ferreis injectis, in Liburnicam armatam, qua Anconam portarentur, imponi juſſit. Et Curtietus quidem, ne carnificis manu periret, in mare ſe præcipitem jecit, fluctibuſq; abſorptus eſt. Cæteri pro merito cujuſq; variis ſuppliciis ſunt affecti.

X. Verum objectioni ex *Cicerone* petitæ ſatisfecit abunde *Grotius de J. B. & P. lib.2. cap.13. n.15.* & *lib.3. cap.19. n.3.* ubi præſertim docet, non intercedere quidem cum prædonibus ſpecialem iſtam communionem, quam inter hoſtes in bello ſolenni & pleno jus gentium introduxit: at, quia homines ſunt, communionem habere juris naturalis: ex quo pacta ſunt ſervanda. Sed & exemplum Pompeii, qui pleramque partem belli piratici pactionibus confecit, vitam illis pollicitus, & ſedes, in quibus ſine rapto viverent, oſtendit, nequaquam admitti poſſe, quod ab *Alberico Gentili de Jur. Bell. lib.1. cap.4.* traditum eſt: *nunquam pactis bellum cum prædonibus compoſitum, neq; fœderibus finitum, ſed aut ſuperſtites fuiſſe victores, aut victos neceſſe habuiſſe mori.* In exemplo autem, quod ex *Thuano* modò produximus, non omiſit notare Hiſtoricus, Præfectum, qui Curtieto datam fidem non ſervavit, non communi illa ratione inductum id feciſſe, quod latronibus fidem frangere liceat, ſed *vel diris Pontificis territum, vel præmij à Pontifice captivorum deditione conſequendi ſpe invitatum.*

XI. A prædonibus argumentatur *Cæſar de Bell. Civ. lib.3. cap.19.* ad cives. *Liceretne civibus ad cives de pace Legatos mittere? quod etiam fugitivis ab ſaltu Pyrenæo prædonibuſque licuiſſet.* Et univerſe quidem ſive generaliter definiendo, minus difficulter videntur jura belli admitti poſſe inter cives, quando in partes æquales Reſpublica bello civili diviſa eſt: ſicut bello civili Cæſaris & Pompeii Romana Reſpublica, & aliquoties Imperium noſtrum Romano-Germanicum electione plurium Imperatorum diviſum fuit. Et apud nos quidem talibus bellis, perinde ut in bellis publicis ac ſolennibus, jura belli, circa deditos præſertim captoſque, valuiſſe, tum reliqua, tum bellum præſertim.

quod inter Ludovicum Bavarum, & Fridericum Austriacum gestum est, multis exemplis huc pertinentibus fæcundum, declarat. Ex instituto tamen populi Romani dediti captive bellis civilibus in servitutem redigi non poterant. Quod bono quidem consilio mitigandis talibus bellis repertum, in contrarium plane conversum est, iisque potius exasperandis valuit: eò quod milites, *irritam prædam*, ut alicubi *Tacitus* loquitur, *fieri* hac ratione indignantes, eos quos in potestatem redigebant, quia servos facere non poterant, interficiebant. Vid. *Plutarch. in vit. Othonis.*

XII. At subditis contra superiores insurgentibus, quando se postea, vi majore adacti, dedunt, plerumque videas, non quod hostibus, sed quod facinorosis tribui solet, jus dictari. de quo genere complura magnæ & multiplicis severitatis specimina continet historia belli rusticani, quod anno superioris seculi vigesimo quinto in Germania nostra gestum est. In quo Truccesius Suevici fœderis dux, cum deditione plures cepisset rusticorum rebellium, graviter in eos animadvertit, quin & unum ex iis catena laxe religatum ad palum, ut discurreret, circumposito igni torruit. Sed ipsi nimirum rustici singulari severitati exemplum & incitamentum suggesserant: utpote qui ex iis, quos ipsi in suam potestatem redegerant, Ludovicum Comitem Helffenstenium & alios, crudelissimo supplicii genere necaverant, hastis utrinque projectis confossos. *Sleidan. Comm. lib.4. pag.114.*

XIII. Et ut sententiam meam hac de re paucis exponam; in potestate superioris positum esse judico, reis deditionem facturis nullas conditiones indulgere, deditosque meritis suppliciis afficere. Quemadmodum anno superioris seculi octuagesimo quinto Senatum Venetum fecisse *Thuanus lib.82. p.43.* commemorat: cum Ludovicus Ursinus interfectæ, Patavii, Virginiæ Acorambonæ, & mox rebellionis reus, dedere se sub certis conditionibus pararet. Rejectis enim conditionibus, *quas à reo accipere*, ut loquitur Historicus, *indignum* videbatur, tandem sine conditione deditionem facere coactus, & sententia Senatûs in carcere strangulatus est.

XIV. Sed si fides interposita sit promissorum, eam subditis quoque servandam existimo. Arbitrorque non immerito

rito *fidem desideratam fuisse*, notante *Sleidano lib.* 4. *Comm. p.* 115. in facto Antonii Lotharingi in tumultuantes anno, quo paulo ante indicavi, 155. rusticos, qui, circa Tabernas, in viciniâ, deprehensi ab ipso fuerant. *Nam jussi deponere arma, & impunitate promissa, cum per medias equitum & peditum cohortes prodirent inermes, domum quisq; suam redituri, levi quadam occasione concitata turba interfecti sunt magna sui parte.* Sequitur paulo post: *Consimilis fuit passim aliorum etiam exitus, & ad Petershemum agri Wormatiensis oppidum magno numero fuerunt à militibus occisi, cum facta deditione arma deposuissent.* Eodem tendit judicium *Grotij de Jur. Bell. & Pac. lib.3. cap.19. n.6.* inquientis: *Posse subditorum adversus Reges aliasque summas potestates bellantium tantam esse aut causæ injustitiam, aut resistendi improbitatem, ut puniri graviter possit. Tamen si quasi cum desertoribus aut rebellibus actum sit, pœnam promisso opponi non posse.* Qui & rationibus contrariis *ibidem* respondet.

XV. Inter hostes, porro, quidam dedunt seipsos, quidam deduntur ab aliis. Nec singuli tantum, sed integræ quoque legiones, imo exercitus, munimenta, urbes, Populi, quandoque per deditionem in potestatem & jus alterius veniunt. A parte illorum, à quibus fit deditio, spectatur præcipue facultas dedendi se, vel alios: à parte illorum vero, quibus fit deditio, attenditur jus, quod per deditionem consequuntur: unde ipse dedititiorum status est dijudicandus.

XVI. Seipsum dedere, is qui alieni juris est, nequit. Si tamen ultima vi adactus permittat se hostis potestati, habet hæc deditio tum excusationem apud superiores, tum efficaciam præcipuam apud hostes, à necessitate. Cui tamen & ipsi minus, quam par erat, tribuerunt, studio disciplinæ militaris, Romani. apud quos *postliminio carebant, qui, armis victi, hostibus se dedidissent*: indicio *Pauli* in *L.17. D. de Captiv. & postlim.* & integræ quandoque legiones ultimo supplicio leguntur affectæ, quod se hostibus dedidissent. Unde facile fuit T. Manlio Torquato, cum de redimendis iis deliberaretur, qui se post cladem Cannensem Hannibali dediderant, mitiores sententias vincere, in civitate minime in dedititios jam inde antiquitus indulgente. quanquam ejus quidem severitas inde majorem speciem accepit, quod cito nimis, non expectato, quod debebat expectari,

necessitatis momento, arma ac seipsos tradidissent. Quin & ipse haud obscure innuit apud *Livium lib.22. cap.60.* se de illis mitius fuisse locuturum, si *dies noctesq; aliquot obsessi, tandem ultima ausi passiq;, quum omnia subsidia vitæ abessent, affectisq; fame viribus, arma sustinere nequirent, necessitatibus magis humanis, quam armis victi fuissent.* Add. *Val. Max. lib.*II. *cap.7. n.15.*

XVII. Inprimis vero acriter in eos animadvertebant Romani, qui arcem urbemve suæ tutelæ commissam hostium potestati permisissent. *Præsidio decedere, apud Romanos capitale esse, & nece liberorum etiam suorum eam legem parentes sanxisse,* inquit apud *Livium lib.24. cap.37.* L. Pinarius, confirmatque *lib.I. & VI. Polybius.* Quin & in universum idem Pinarius formulam præivisse videtur, omnibus iis usurpandam, qui ad deditionem loci sollicitantur, cui à superiore præsidio sunt impositi: *Se in præsidio impositum esse ab imperatore suo: clavesq; portarum & custodiam arcis ab eo accepisse, quæ nec suo, nec Ennensium arbitrio haberet, sed ejus, qui commisisset.* In recentiori militia celebris est præsertim hac in re Hispanorum severitas: quorum leges militares ex *Constitutionibus Regiis* has potissimum refert *Balthazar Ayala lib.3. de Jur. & off. Bell. cap.18. Non debere quem mortem recusare pro arcis defensione, pro qua tuenda fortiter se quilibet gerere debet, etiam contra patrem, filium, vel quondam dominum. & quidem necessitate famis cogente, potius filium comedere debere, quam hosti arcem dedat injussu domini. neq; excusari, si dedat arcem, ex eo forte, quod hostes minitentur mortem, uxori aut liberis, aut quibusvis aliis.* Quam quidem legem exemplo suo firmasse notat Alphonsum Perezium Gusmannum, qui post semestrem Tarifæ obsidionem, hostibus, nequicquam omnibus tentatis, minitantibus, nisi oppidum dederetur, filium se illius, quem apud se habebant, interfecturos; respondit, se filium patriæ, neque eum immortalem genuisse; eo se orbari, si sors ita ferret, quàm præsidio decedere, & fidem frangere sibi potiùs esse. Illud enim etiam fieri cum suâ gloriâ posse, hoc sine suo dedecore ac scelere non posse. atque ita filium in conspectu suo, ab hoste, nefario scelere necari, passus est.

XIIX. Non desunt tamen etiam in tam adstrictâ severitate rationes, quæ dedentem munimentum arcemve commis-

sam

ſam fidei ſuæ tutelæque defendant: quas partim adduxit *ibidem Ayala*, partim ſubminiſtrant aliarum gentium leges militares, caſuſque miris aliquando momentis involuti, ſubinde occurrentes. Ita videas utique non ſine gravi ratione dubitari: an dux præſidiarius extremum neceſſitatis punctum expectare tum quoque teneatur, ſi talis urbis præſidio impoſitus ſit, in qua non jura tantum, ſed utilitas etiam civium ab utilitate & juribus militum defenſorum diſtincta penitus & ſeparata ſunt? Exemplo ſit L. Atilius Locris bello Punico ſecundo impoſitus. Cum in eo res eſſet, ut Locrenſes, captis civium ſuorum pluribus, deditionem ad Pœnos facere haud dubio conſenſu pararent; ne ſeveriſſimos quidem cenſores ab eo exacturos fuiſſe exiſtimo, ut intempeſtivâ pertinaciâ milites Romanos indubiæ perniciei objiceret, potius quàm, quod feciſſe illum *Livius* memorat, *lib.* 24. *cap.* 1. Reipublicæ reſervaret, præſidium deſerendo. Cum præterea victores eo duriores leges obſeſſis præſcribere ſoleant, quo diutius differtur deditio; defenſoreſque ſæpe cum loco in poteſtatem hoſtium veniant, qui paulo citius pacti poterant dimitti: illud quoque quæri ſolet, ſatiuſne fuerit, deditione non quidem properata, ſed in tempore facta ſe referre ad exercitum, quam caſum captivitatis ſubire? Leges quidem bellicæ ſpecialiter tales caſus non ſolent definire: quarum conſenſus videri annotatus poteſt in *Corpore Juris militaris ad Leg. Mil. Suecic. Tit.*12. *p.*167. ſed offerunt ſe tamen in exemplis ipſis tales circumſtantiæ; quas judici talium cauſarum meritò dixeris in oculis habendas. Vid. *B. Bœclerus in differt. de mil. Cap. p.*177.

XIX. Ex *Ejuſdem Comm. Grot. ad lib.*1. *cap.*1. *n.*6. *pag.*95. *& ſeqq.* diſcas, quibus terminis circumſcribendum ſit, ſed & quibus ex fontibus explicandum, quando dicitur, jure dominii eminentis deditionem ſubditi innocentis hoſti factam defendi nonnunquam poſſe. Aliud deditionis genus eſt, quando pactionis publice damnoſæ, vel fidei ruptæ auctores, hoſtibus deduntur: ſicut Romani dediderunt eos, qui ſponſionem Caudinam & Numantinam fecerant: Samnites vero induciarum ruptorem Brutulum Papium. de quibus conſulendus *Grotius de*

Jur. Bell. & Pac. lib.2. cap.15. n.16. & lib.2. cap.21. n.4. Add. *Pufendorf. de Jur. Nat. & Gent. lib.8. cap.9. n.12.*

XX. In reſpectu ad hoſtes, prima diſceptatio eſſe ſolet; quinam ſint pro dedititiis habendi? quam in urbibus potiſſimum agitari videas; cum dubitatur, deditione an vi captæ ſint cenſendæ? uti dubitatum eſt in Senatu Romano teſte *Livio lib.38. cap.43.* de Ambracia: vi, an deditione capta eſſet? decretumque: *Ut Ambracienſibus omnes ſuæ res redderentur: in libertate eſſent, ac legibus ſuis uterentur. deniq; ne Ambracia vi capta eſſe videretur.* quod poſtremum, quanquam per infrequentiam adjectum SCto fuerit, non tamen præter rationem pronuntiatum fuiſſe, docet ipſa captæ Ambraciæ hiſtoria, quam *lib.38. cap.9.* his verbis deſcribit *Livius*: *Amynander impigre agebat, ut Ambracienſes compelleret ad deditionem. id quum per colloquia principum ſuccedens muris parum proficeret; poſtremo Conſulis permiſſu ingreſſus urbem, partim conſilio, partim precibus evicit, ut permitterent ſe Romanis. Ambracienſes itaq; priùs pacti, ut Ætolorum auxiliares emitterent ſine fraude, aperuerunt portas.* Potiorem oppidi per vim magis quam deditione capti ſpeciem præbet Satricum, de qua urbe idem *Livius lib.7. cap.27.* *Cum corona militum cincta, jam ſcalis caperetur urbs; ad quatuor millia, præter multitudinem imbellem, ſeſe dedidere.* Nec actum tanquam cum deditis. *Oppidum* enim *dirutum atq; incenſum. præda omnis militi data. Extra prædam quatuor millia deditorum habita. eos vinctos Conſul ante currum triumphans egit: venditis deinde magnam pecuniam in ærarium redegit. Sunt, qui hanc multitudinem captivam ſervorum fuiſſe ſcribant: idq; magis veriſimile eſt, quam deditos veniiſſe.* Nimirum poſtquam omnis jam facultas reſiſtendi penitus abſumpta & exhauſta eſt, nec ulla pars voluntatis reliqua; è victoris potius arbitrio, quam ex generalibus regulis definitionibuſque dependet, quo loco habere eos velint, in quos vim & periculum extremæ oppugnationis effundere ſunt adacti. Non dubium tamen, quin jus ſuum crudeliter nimium exercuerint Romani in Uſpenſes; de quibus *Tacitus lib.12. A. cap.17. n.1.* ſcribit: *miſêre legatos, veniam liberis corporibus orantes, ſervitij decem millia offerentes, quod aſpernati ſunt victores, quia trucidare deditos ſævum, tantam multi-*

multitudinem custodia cingere arduum: ut belli potius jure caderent. datumq; militibus, qui scalis evaserant, signum cædis.

XXI. Quin & in universum, si res ex rigore juris bellici æstimetur, non videtur obstrictus esse victor, eum, qui se armis positis supplex dedit, in deditionem recipere: quemadmodum etiam ab Heroibus, præsertim in fervore prælii, supplices occisos legimus. Apud *Virgilium Æneid. lib.*10. Æneas, ad quem Liger, curru fraterno devolutus

—— —— —— tendebat inermes
Infelix palmas,

verbisque admodum humilibus vitam precabatur:

Per te, per qui te talem genuere parentes,
Vir Trojane, sine hanc animam & miserere precantis:

Acriter respondet:

—— —— —— Haud talia dudum
Dicta dabas, morere. —— ——
Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.

Sed & *Magi* in eodem prælio, & *lib.*12. *Turni* preces similes, eundem exitum habuere. Urbe vero captâ supplices, etiam qui in templa perfugiunt, jure belli interficere licere, haud obscure innuit *Augustinus de Civ. DEI lib.*1. *cap.*2. Et quanquam hominibus deditionem offerentibus parcatur, tamen urbes ipsas dedentium sese dirutas, complura exempla ostendunt. de Artaxatis à Corbulone captis *Tacitus lib.*13. *An. cap.*41. *Opidani portis sponte patefactis, se suaq; Romanis permisere. quod salutem ipsis tulit; Artaxatis ignis immissus, deletaq; & solo æquata sunt.* Add. *Grot. de Jur. Bell. & lib.*3. *cap.*4. *n.*11.

XXII. Huic tamen rigori Christianos non debere insistere, si nihil aliud, ipsa certe Gentilium judicia docere possent: qui durius in supplices consulta vel aperte damnant, vel excusatione ostendunt indigere. Præter testimonia *Grotio* laudata *de Jur. Bell. & Pac. lib.*3. *c.*11. *n.*14. illa ipsa, quæ modo retulimus, exempla firmant fidem hujus dicti. Nam *Virgilius* quidem Æneam ad cædem supplicum deducturus, interitu Pallantis effe-

efferatum ante oſtendit, ut moderationis in tanto animi æſtu, irâ potius quam conſilio & ratione, oblitum conſtaret. Sic enim *ibidem* Æneas:

—— —— Belli commercia Turnus
Suſtulit iſta prior jam tum Pallante perempto.

Præceſſerat autem de illo, nuncium Pallanteæ necis adepto:

—— —— latumq́; per agmen
Ardens limitem agit ferro, —— ——
—— —— Pallas, Evander, in ipſis
omnia ſunt oculis.

Quid vero, cum incenſus eſſet ſemel ardor pugnandi?

—— —— toto Æneas deſævit pectore victor,
Ut ſemel intepuit mucro.

Ad Turni vero ſupplicationem:

—— —— —— Stetit acer in armis
Æneas volvens oculos, dextramq́; repreſſit.

Poſtquam vero balteus Pallanti interfecto ereptus apparuit; judicio Poëtæ

—— Furiis accenſus, & irâ
Terribilis, ferrum adverſo ſub pectore condit,
Fervidus.

Quas rationes autem *Tacitus* purgando Artaxatarum excidio conquiſiverit; apud ipſum videre obvium eſt.

XXIII. Propioribus temporibus mos invaluit, ut ſi contra loca infirmiora tormenta curulia diſplodantur, deditioni vix locus relinquatur. Unde apud *Hieronymum Conneſtagium lib. 6.* Albanus dux Proſperum Columnium reprehendit, quod arcem minus validam, cum jam eſſet tormentis diverberata, in deditionem accepiſſet. Vid. *Alber. Gentil. lib. 2. cap. 16. p.348. & cap.17. p.354.* tractum id procul dubio à veteribus, qui deditionem ſolebant arietis percuſſione terminare. Ut Cæſar (quod ipſe de ſe refert *Bell. Gall. lib.2. cap.32.*) Atuaticis denunciavit,

ciavit, se civitatem eorum conservaturum; si prius, quam aries murum attigisset, se dedidissent. Sed *Cicero lib.*1. *de Offic. cap.*11. hic quoque temperamentum rigori præferendum, his monet verbis: *Cum iis, quos vi deviceris, consulendum est, tum ij, qui armis positis ad imperatorum fidem confugiunt, quamvis murum aries percusserit, recipiendi.*

XXIV. Possunt incidere causæ, ob quas non recipiatur deditio. Quis enim, ut sub illustri exemplo loquar, sævitiæ accuset Maximilianum I. Imperatorem, non admittentem deditionem eorum, quos in Kuffstenio arce obsederat; utpote à quibus indignissimis plane ludibriis fuerat derisus; describente *Fuggero Comite in Speculo Honoris Austriaci lib.*6. *cap.*6. *p.*1153. Sed multæ passim aliâs durioribus facinoribus causæ prætexuntur, quæ vim veræ & idoneæ rationis non habent. Ambiguæ æstimationis est factum Marii, Capsam delentis; quod sic refert *Sallustius Bell. Jugurth. cap.*91. *Res trepidæ, metus ingens, malum improvisum, ad hoc pars civium extra mœnia in hostium potestate, coëgere, uti deditionem facerent. Cæterum oppidum incensum. Numidæ puberes interfecti, alij omnes venumdati: præda militibus divisa. Id facinus contra jus belli, non avaritia, neq; scelere Consulis admissum; sed quia locus Jugurthæ opportunus, nobis aditu difficilis; genus hominum mobile, infidum, ante neq; beneficio, neq; metu coërcitum.* Novi vero, nec imitandi moris specimen haberi debet, quod in Petræum & præsidiarios arcis Albiasianæ Mayenium patrasse memorat *Bartholomæus Grammondus lib.*9. *A.C.* 1621. *Primus in furcam agitur dignus meliori fato Petræus; reliqui non decimati, non in schedas albâ aut atrâ notâ distinctas relati, mox ab ipsismet educendas, ut moris est, non permissum sorti negotium. Queis fuliginosa ea gena, cui sclopus apponitur collimando certius ictui, patibulo omnes suffiguntur; certo velut indicio, collimatos ab iis sæpius sclopos; quo acceptæ cladis authores habiti.* Add. *Grot. de J.B. lib.*3. *cap.*4. *n.*13. *& cap.*11. *n.*16.

XXV. Loquimur hactenus de iis, qui se hosti dedunt, antequam recepti sint, fide vel expresse, vel tacite interpositâ: putamusque, generaliter de his judicandum ex *Augustini* sententia *ad Bonif. Epist.*1. *Hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas. Sicut bellanti & resistenti violentia redditur, ita victo vel*

capto misericordia jam debetur. Maxime in quo pacis perturbatio non timetur.

XXVI. Ubi autem recepta deditio est; fide potissimum regitur totum negotium. Habet enim deditio etiam generaliter & simpliciter facta, si ab alterâ parte accepta sit, pactum aliquod in se: ut passim *Albericus Gentilis* inculcat: quo si nihil aliud, vitam certe salvam fore, dedititiis promittitur. De cætero ubi nihil specialiter exceptum est, facile admiserim, quod de generali deditione ex *Livio* annotat *Grotius lib.3. de Jur. Bell. & Pac. cap.8. n.4. Ubi omnia ei, qui armis plus potest, dedita sunt, quæ ex iis habere victos, quibus mulctari eos velit, ipsius jus atq; arbitrium est.* Cujus tamen moderationi & prudentiæ usus hujus juris non severe nec rigide nimis exercendus merito commendatur apud *Eundem lib.3. de J. B. cap.12. & seqq.*

XXVII. Sive autem porro deditio pura, sive conditionata sit, pleræque circa formulam deditionis difficultates solent existere. Nobilem hujus generis disceptationem exhibet *Livius lib.36. cap.28.* ubi Ætoli & Romani disputant de formulâ deditionis; quâ quis *se suaq; omnia fidei alterius permittit.* Contendentibus Ætolis: *non in servitutem, sed in fidem Romanorum se* hac formulâ *tradidisse; nec imperari sibi posse, quæ moris Græcorum non sint.* Sed validius certe regessit Consul Romanus: *Se non magnopere nunc curare, quid Ætoli satis ex more Græcorum factum esse censeant; dum ipse more Romano imperium inhibeat in deditos modo decreto suo; ante armis victos.* Possitque hic certo modo locus dari Juris Consultorum pronuntiato in *l.39. ff. de Pact. l.33. & 34. ff. de Contr. Empt.* quando verba pactorum sunt obscura, contra eum faciendam interpretationem, qui ea protulit; cum in ejus fuerit potestate, apertius loqui: Et videntur sane Ætoli callido proposito generalem locutionem adhibuisse; si attendatur, quod antecedit apud Livium: *Hæc una via ad salutem visa est, ut in fidem se permitterent Romanorum: Ita enim & illis violandi supplices verecundiam se imposituros: & ipsos nihilominus suæ potestatis fore, si quid melius fortuna ostendisset.* quid est insidiari tempori? si hoc non est. Conf. *Grot. de J. B. & P. lib.3. cap.20. n.50.* Solent præterea in deditionibus illa usurpari verba, *arbitrium, manus, voluntas, potestas, discretio, judicium, sapientia, gratia, misericordia,*

cordia, æquitas, conscientia, declaratio: de quorum explicatione & intellectu pluribus agit *Albericus Gentilis de Jure Belli lib.2. c.17. p.365. & seqq.*

XXIIX. Inter exempla deditionis conditionatæ est etiam Celænarum deditio apud *Curtium lib.3.cap.1.n.8. ut, nisi intra sexaginta dies auxilium ipsis Darius misisset, dederent urbem.* Insunt tali casui hæc præcipue momenta: ut auxilia talia sint, quæ cessare periculum faciant: ut diei ultimi expectetur finis. An autem sufficiat in conspectum venire: an hostem obsidione depellere necesse sit? ex re præsenti & circumstantiis animum paciscentium declarantibus est definiendum. Exemplis ab *Alberico Gentili de J. B lib. 2. cap.17. pag.361.* & *H. Grotio de J. B. & P. lib.3. cap.23. n.14. in not.* adductis, jungatur pactum de Casali dedenda: *in Theatr. Europ. part.2. Anno 1630. p.283.* quod vel maxime incertum talis deditionis eventum potest demonstrare. de his, quæ in memoria & oculis omnium sunt, admonere, nil attinet.

XXIX. Fides conventorum, quâ niti deditionem modo dictum est, sicut inter hostes quoque sancte est conservanda utpote cum juxta *Silium Italicum lib.25.*

Optimus ille
Militiæ, cui postremum, primumque tueri
Inter bella fidem:

Et secundum *Pausaniam in Arcadicis, nemo bonus Imperator recte vocari possit, qui pro more habuerit fidem violare.* Ita omnis hinc cavillatio removenda. Cujus reos se haud dubie fecerunt, qui Valerium Ursinum Gallicarum in Italia partium ducem Nolæ obsessum, eâque tandem conditione dedere se coactum, ut in Gallica castra cum præsidio deduceretur: postea, eo prætextu, quod Gallicus exercitus, relictis castris, partim in itinere, partim Aversæ deletus, jam nuspiam castra haberet, in captivitatem redactum, armisque & sarcinis exutum, Neapolim perduxerunt: annotante *Paulo Jovio hist. lib.26. tom.2. p.139. & seq.* Nec dispar Ferdinandi Consalvi Cordubæ facinus, qui, cum Tarentinam arcem his conditionibus accepisset, ut liberum esset Calabriæ duci, quo vellet, abire, idque solenni jurejurando

firmasset, arce deditâ, causatus novum Ferdinandi Regis imperium, cui parere necesse haberet, Calabriæ ducem, contra fidem datam, sub custodia in Hispaniam misit. prout refert *Thuanus Histor. lib.1. p.4. Anno 1505.*



DISSERTATIO XX.

DE

EXTRAORDINARIIS POPULI ROMANI IMPERIIS.

Resp. Leopoldo Plappert, d. 6. Octo. 1677.

Proœmium.

Pol. IV, 4. & VI, 8.

MAgistratuum in civitate multiplicium necessitatem monstrat his verbis *Aristoteles*: ἄνευ δὲ ἀρχόντων ἀδύνατον εἶναι πόλιν. ἀναγκαῖον ἓν εἶναί τινας τοὺς δυναμένους ἄρχειν, καὶ λειτουργοῦντας ἢ συνεχῶς, ἢ κατὰ μέρος, τῇ πόλει ταύτην τὴν λειτουργίαν. Eleganter suo more *Vellejus* idem II. 127. 2. paucis exprimit. *Etenim magna negotia magnis adjutoribus egent.* Horum necessariam simul & decoram varietatem si in ulla, certe in Romanorum Rep. observare licet passim in Scriptoribus. Et quoniam eadem tot illustres & tantas mutationes ac conversiones subiit, necessum erat in magistratuum constitutione pro varietate temporum ad usum potius, quam ad certam imperii formam respicere. Hinc usu veniebat, ut extra ordinem ad depellenda pericula, viris, fide, consilio, virtute, autoritate & felicitate claris imperia delegarentur. Cujus exemplum in Pompejo sistit *Cicero in orat. pro domo sua.* Scripturi ergo *de Extraordinariis Populi Romani Imperiis*, haud alienum ducimus pauca præmittere, quibus instituti nostri ratio lecturis innotescat. Fundamentum autem & usum inscriptionis nostræ extare in antiquitate Romana præter *Vellejum II. 30. 3. & 31. 4.* liquet ex *Cicerone*, quando *Philippica undecima, t.2. p.m. 912.* refert, *extraordinarium imperium semper esse populare atq; ventosum.* Idem in *oratione*

tione pro domo sua latius de hac re agit. Præterquam enim, quod pluries hac formula utitur, aliquo etiam modo exponit rationem ejus. *t.* 2. *p.m.* 573. E. *Nos, quod nominatim rei maximæ pæne jam desperatæ, summum virum sæpe ad extrema Reip. discrimina delectum præfecimus, à te reprehendemur?* Cæterum cum res non exigui utique operis modum disputationis facile excederet, si quis vellet exhaurire totam hujus rei philosophiam, animus est, unâ alterave horum imperiorum specie propositâ eruditorum uberiores meditationes provocare.

I.

INitium ab *interregibus* facimus. quorum, si dignationem spectes, eminentissimum; si originem, antiquissimum, inter extraordinaria, imperium fuit. Cœpit post Romuli mortem; cum inter Romanos veteres, & qui recens è Sabinis in societatem imperii adsumpti fuerant, de creando Rege certaretur. *Timor* enim *Patres incessit, ne civitatem sine imperio, exercitum sine duce multarum circa civitatum irritatus animus, vis aliqua externa adoriretur. Et esse igitur aliquod caput placebat: & nemo alteri concedere in animum inducebat.* Hinc res ad *interregnum* deducta. Cujus occasionem eodem, quo ex *Livio* retulimus, modo tradit *Plutarchus* in *Vit. Numæ.* *l.* 17. *pag.* LXI.

II. Nominis ratio in aperto posita est. *Intervallum* enim *regni,* ab re, inquit *Livius, interregnum appellatum.* Μεσοβασιλείαν nominat *Plutarchus*: ut *Dionysius Halicarnassensis* ἀρχὴν μεσοβασίλειον. Quo sensu & *Appiano in Civil. interrex* μεσοβασιλεὺς dicitur. *Ant.* II.

III. Ipsa interregni hujus administratio & status plus difficultatis habet: ob dissensum Scriptorum, alios atque alios duces sequentium. Jamprimum enim *Dionysius Halicarnass.* ducentos Patres in consortium interregni administrandi venisse scribit: *Plutarcho* & exinde *Zonara Annal. Tom.* II. *p.* 9. centum & quinquaginta, *Livio* vero ac *Vopisco in vit. Tacit. cap* I. centum duntaxat admittentibus. Mihi sane attendenti, quod hoc totum institutum æqualitati inter Senatores servandæ fuerit destinatum, probabile non videtur, quenquam, qui in numero Senatorum tum fuit, ab isthoc interregum collegio fuisse exclusum:

eoque minus dubitaverim *Dionyſio* calculum meum adjicere. Cum ille præſertim in eo, quod paulo ante Senatorum Romanorum numerum adhuc ſub Romulo ad CC. auctum eſſe ſcripſerat, plerorumque vetuſtiorum Hiſtoricorum conſenſu ſe tueatur; numerum vero CL. paucos admodum notet aſſertores habuiſſe. à quibus *in Vita Romuli* ipſe etiam *Plutarchus* receſſit.

IV. Porro Appianus B.C. I. p.411. ſimpliciter duntaxat refert Senatores ſibi invicem in quinque dierum imperio tempore interregni ſucceſſiſſe. βουλευτὴς ἕτερος παρ᾽ ἕτερον ἐπὶ πέντε ἡμέρας ἦρχεν. Nec aliter *Vopiſcus in Tacit. cap.* I. niſi quod de numero dierum dubitat. *Totus*, inquit, *ille annus per quinos & quaternos dies, ſive ternos, centum Senatoribus deputatus eſt, ita ut, qui valerent, interreges eſſent, ſinguli duntaxat.* Quæ ſequuntur, corruptiſſima ſunt: *quare factum eſt, ut & plures annus interregnum iniretur, ne aliquis ſub æquali dignitate Romani expers remaneret imperij.* Unum enim annum, nec amplius interregno abſumptum, præter cæterorum ſcriptorum conſenſum, ipſius quoque *Vopiſci* verba, quæ præcedunt, declarant. Merito itaque prætulit *Salmaſius* Palatini Codicis ſcripturam: *quare factum eſt, ut & plus anno interregnum iniretur.* Quod tamen ita nolim cum eo explicare: *factum eſt, ut interregnum longius anno duraverit*: ſed: *factum eſt, ut pluries uno illo anno interregnum iniretur.*

V. De diſtributione Senatorum in decurias, ut omnes vident, neque ex *Appiani*, neque ex *Vopiſci* teſtimonio colligere quicquam licet. Uti nec ex *Plutarcho*, qui uniuſcujuſque interregis imperio duodecim duntaxat horas præfinitas fuiſſe tradit, ſex nimirum diurnas, & ſex nocturnas. Ex *Livio* itaque & *Dionyſio Halicarnaſſæo* repetendum id inſtitutum. Quorum teſtimonia integra huc adſcribere tanto magis neceſſarium fuerit; quanto à ſe invicem longius diſcrepant. *Itaq; rem inter ſe*, inquit *Livius* II,17. *centum Patres, decem decuriis factis, ſingulisq; in ſingulas decurias creatis, qui ſummæ rerum præeſſent, conſociant. Decem imperitabant, unus cum inſignibus imperij & lictoribus erat: quinque dierum ſpatio finiebatur imperium, ac per omnes in ordinem ibat.* At quanto aliter *Dionyſius*? τῶν πατρικίων οἱ καταγραφέντες εἰς τὴν

βουλὴν

βουλὴν ὑπὸ Ῥωμύλου διακόσιοι τὸν ἀριθμὸν ὄντες διενεμήθησαν εἰς δεκάδας, ἔπειτα διακληρωσάμενοι τοῖς λαχοῦσι δέκα πρώτοις ἀπέδωκαν ἄρχειν τῆς πόλεως τὴν αὐτοκράτορα ἀρχήν. Ἐκεῖνοι δ' οὐχ ἅμα πάντες ἐβασίλευον ἀλλ' ἐκ διαδοχῆς ἡμέρας πέντε ἕκαστοι, ἐν αἷς τάς τε ῥάβδους εἶχε καὶ τὰ λοιπὰ τῆς βασιλικῆς ἐξουσίας σύμβολα. παρεδίδου δ' ὁ πρῶτος ἄρξας τῷ δευτέρῳ τὴν ἡγεμονίαν κἀκεῖνος τῷ τρίτῳ, καὶ τοῦτ' ἐγίνετο μέχρι τοῦ τελευταίου. διεξελθούσης δὲ τοῖς πρώτοις δέκα βασιλεῦσι τῆς πεντηκονθημέρου προθεσμίας, ἕτεροι δέκα τὴν ἀρχὴν παρελάμβανον, καὶ παρ' ἐκείνων αὖθις ἄλλοι. De diſſenſu in numero ſenatorum ante dictum eſt. ex eo ſecundum *Livium*, decem; ſecundum *Dionyſium* viginti decuriæ proveniunt. Ex iſtarum decuriarum unaquaque, ſi *Livium* audimus, unus ſelectus eſt, atque ita nova decuria confecta, quæ una ſummæ rerum præeſſet: ſi *Dionyſium*, in unaquaque decuria continuabatur imperium, nec ad alterius decuriæ Senatores transferebatur, niſi poſtquam per ejus decuriæ, ad quam ſorte primum devenerat, Senatores omnes migraſſet. Dein regni ſpecies, ut à *Livio* refertur, faſceſque adeo & lictores penes unum, vis imperii apud integram decuriam erat. Juxta *Dionyſianam* narrationem unius manu & poteſtas regia, & poteſtatis regiæ ſymbola tenebantur. Tandem *Livianus* calculus integræ, quam ex cæteris ſelectam diximus, decuriæ, quinque dierum imperium præfinit. *Dionyſii* computatione unicuique Senatori quinque, decuriæ quinquaginta dies regnando expletos traditum eſt. Ut veriſſimum prorſus ſit *Salmaſii* judicium: *Res diverſas diductasq; jungere, qui ex Livio tempus totius interregni petendum putat; ex Dionyſio ſpatium, quo ſinguli regnarunt. Cum hi duo auctores tam varia tamq; pugnantia prodiderint.* *ad Vopiſci Tacit, c.I.*

VI. Qualecunque autem hoc inſtitutum fuerit, ratio ejus prudenter ſatis erat excogitata atque diſpoſita, dum ei & adverſus ſingulorum Interregum nimiam potentiam, & adverſus ſuſpiciones atque invidiam plebis, neceſſaria præſidia circundata ſunt: Communicatio nimirum imperii inter plures, & brevitas ejuſdem. Ita enim proſpectum, ne vel mora aut ſolitudine corrumperetur interregum poteſtas, vel ſplendore diuturno plebis in ſe oculos odiumque converteret. Quanquam in populo feroce, quique nondum bona fide in unum

coalue-

coaluerat corpus, nec alterius, quam regii imperii usum ferre fuerat edoctus, sperandum non fuit, nec fortasse optandum, ut hujus tam insoliti regiminis forma diu persisteret: quæ ut in subsidium regni deficientis unice fuerat introducta; ita in idem justa prorsus & usitata vicissitudine revolutam esse, consensu
I, 17. scriptorum docemur. *Fremere deinde plebs*, inquit *Livius*, *multiplicatam servitutem, centum pro uno dominos factos, nec ultra nisi Regem & ab ipsis creatum videbantur passuri.*

VII. Admonet nos hæc tumultuantis populi vox, ut de Statu Reip. Romanæ, qualis hoc tempore fuerit, quæstionem attingamus. Sane enim, si principiis eorum acquiescimus, qui regnum absolutum ibi esse statuunt, ubi penes unum imperium est, quantumvis illud fiduciarium sit, & à negotio certo vel tempore suspensum; nihil impediet, quo minus diurnos *Plutarchi*, aut quinqueduanos *Dionysii* Interreges, pro veris Regibus, statumque regiminis utcunque temporarii, pro regno ha-
de Civitate beamus. Huc plane tendere videntur *Joh. Friderici Hornij* placi-
II.10.3. ta: qui, postquam in censum eorum, quibus absolute majestas competit, retulisset eos quoque, quibus alligatum tempori imperium hac lege tributum est, ut præstituto & definito spatio quiescant; subdit: *Facile largimur, sublato interregno, majestatem interregi nullam constare: Hunc tamen durante regimine, administrasse saltem Majestatem, non ut propriam possedisse, cum ipsius regni esset, minime concedam.*

IIX. At mihi omnino videtur, imperium, quod quis ex alterius concessione habet, è concedentis voluntate esse definiendum: obscurum autem esse non puto, populum, qui vel interregem ipse constituit, vel à Senatu constitui patitur, hac voluntate non esse, ut relapsam ad se morte Regis vel familiæ regnatricis interitu majestatem, à se in aliud subjectum translatam, adeoque de forma Reip. certi quid decretum velit: quin potius hoc ipso, quod interregno locum relinquit, tantisper integrum sibi arbitrium servat, vel novi Regis creandi, vel in universum, immutandi formam reipublicæ. Unde fiet, ut, sicut interregnum pro certo & formato imperii statu haberi nequit, estque ex *Livianis* verbis nihil aliud, quam *regni* quoddam *intervallum*: ita & interreges quoque sint *magistratus duntaxat temporarij*

porarij, seu provisionales, qui authoritate universi populi actus summi imperij, saltem continendo tantisper cœtui necessarios, exerceant; obnoxij tamen populo ad reddendas gestorum rationes, quos & aliquando novus rex velut nomine populi exigit. Ut *Puffendorfii* verba huc accommodem ex *lib.7. de Jur. Nat. cap.7. n.7. & 8.* Cujus tota de *interregnis* philosophia eximia est. Nec apparet idonea ratio, cur sit recedendum à *Bodini* judicio: Interreges Romæ post excessum Romuli non imperasse jure majestatis, sed procuratorio nomine: quia majestas imperii ad Senatum Populumque Romanum reciderat, quousque Regem suffragiorum consensu communi creasset. *deRep.II.1.*

IX. Idem tamen *Bodinus* plus quam supine Interregum, lege præsertim constitutorum, veram utilitatem prætervidit; cum tantopere in electionem Imperii Germanici est invectus, ut interregni apud nos statum pro anarchiâ merâ traduceret. Cui quam non relinquat locum circumspectissima Vicariorum denominatio constitutioque, jam est abunde ab *Arnisæo* demonstratum. *Rel. Pol. lib.2. cap.2. sect.4. n.85. & seqq.* *deRep.VI.5.*

X. Mansit autem interregum nomen Romæ, etiam postquam sublatum regnum esset. Verum alio significatu usuque. Comitiis nimirum habendis præcipue prodebantur; si qua consules bello vel morbo detinerentur, vel morte essent præventi. Exempla occurrunt passim apud *Livium* (VII,17. IX,7. X,11. XXII,33.) & *Dionysium Halicarnassëum* (lib.IX. & XI.) Ex *Appiano* vero discimus, à Cornelio Sylla hunc morem valde esse debilitatum. qui postea translato in Cæsares Comitiorum jure penitus expiravit.

XI. Quandoquidem de Interregibus satis actum videtur, gradum promovemus ad dictaturam. Originem vocis *Dionysius Halicarn. l.V. c.82.* à duplici repetit causa, ipse quidem incertus, quam potiorem credat; nimirum quod Dictator vel à Consule *diceretur*, vel quod ipse *edicendi* summam potestatem haberet. Id confirmant *Plutarchus in Marcello c.26. p. m.567.* & *Varro de lingua latina l.1. c.4. cum ait dictatorem quod à Consule diceretur, cujus dicto omnes audientes essent, nominatum esse.* Quanquam *Fenestella* sive potius *Andreas Floccus de magistr. Roman.* ex eodem *Varrone* contendit, Dictatorem ita dictum, quod futuros

dictare magistratus solitus esset. Sed prolixius de nomine sollicitum esse nihil attinet.

XII. Historici, quibus frequens in consignanda externarum gentium Historia loqui Romanis vocibus, usi hac voce, vim potius potestatis, similitudinemque cum Romana Dictatura, quam vocabula respiciunt. Sicut *Justinus XIX.* 1. 7. *Hasdrubalem Pœnum dictaturas undecim insignem fecisse tradit.* Eodem modo *Frontinus Stratagem. II.* 1. 4. summos Carthaginensium duces dictatores appellat. Adde *A. Gellium X.* 24.

XIII. Et observare quidem licet, non Romanos tantum, sed & alias gentes Regum imperiis & nominibus, quod avare & superbe dominarentur, adeo infensas fuisse, ut etiam in perpetuum eosdem non recepturas religiosissime jurarent. Constat tamen, non tam Regum potestatem, quam nomen abjuratum. Tametsi enim eum rebuspublicis suis statum imposuissent, quo æqualis fere omnibus libertas conservaretur, tamen tot illis artibus suis, tanto legum consiliorumque apparatu non potuerunt suam libertatem regere, atque conservare, quin subinde ad plenam unius potestatem sub diversis quidem nominibus recurrendum haberent.

XIV. Sic *Aristoteli Politic. III. c.* 14. priscorum Græcorum αἰσυμνῆται memorantur, à civitatibus pro ratione temporum non solum in improvisis casuum adversitatibus, verum nonnunquam immodicis prosperitatibus, quæ bonam reip. constitutionem corrumperent, celeremque unius ex arbitrio correctionem postularent, concessa ipsis vel perpetua, vel ad certum temporis spatium, & ad certa negotia restrictâ potestate, constituti. Et à *Dionys. Halicarn.* citantur Thessalorum ἄρχοι,
P. 82. Lacedæmoniorumque ἁρμοσταί: vocares illos *imperatores*, hos *moderatores*.

XV. Sicut ergo in multis Romani ad Græcorum instituta Rempublicam suam salubriter temperaverunt, cumprimis receptas illorum leges teste *Livio III.* 31. introducendo, probabile est, & quidem *Dionysio V,* 87. certum à Pelasgis desumptum Dictaturæ exemplum. Quanquam Licinius quidam *eodem* referente *l.c.* ab Albanis mutuo acceptum mavult, qui primi post Amulii Numitorisque obitum deficiente stirpe regia annuos magi-

magiſtratus creaverint, conceſſaque poteſtate regia Dictatores nominaverint. Quin & *Livius I,23.* Dictatoris uſum apud Albanos exemplo Metii Suffetii, apud Tuſculanos exemplo L. Manilii *III.*18. oſtendit.

XVI. De diverſis veterum circa Dictatorem opinionibus ita prodit *Car. Sigonius comment. in faſt. & triumph. Roman. p.m.* 20. *Nullum invenio magiſtratum, de quo tam variæ ſint veterum Scriptorum, & tam diſcrepantes ſententiæ, quam de Dictatore. Neq; enim, quo anno, aut qua cauſa, aut quis primus Dictator factus ſit, convenit. Hinc non immerito deploranda mira in tradendis antiquitatibus Scriptorum diverſitas, quæ nos utiliſſimarum juxta & nobiliſſimarum rerum non exiguo cum diſpendio privat.* Nos tamen pro viribus, & quantum rei perplexitas in enodationem veritatis penetrare ſinit, rem definiemus.

XVII. Dubium, de quo laudatus *Sigonius l.c.* nimirum, quis primus dictaturam geſſerit, non commodius expediemus, quam ſi majori parti & ipſi ſubſcribamus, *Senecam* imitantes, qui *Epiſtola* 117. dicit, *veritatis argumentum eſſe, aliquid omnibus videri:* adde, vel ſaltem pluribus, iiſque præſtantioribus. Exinde cum alia in hujus rei hiſtoria ratio non ſuppetat, probamus, Titum Largium primum fuiſſe; freti auctoritate *Livij II.*18. *Dionyſii Halicarn. V.*82. *Eutropij l.*1. *Livij* verba adſcribere operæ pretium fuerit. *Apud veterrimos,* inquit, *tamen auctores Titum Lartium dictatorem primum, Spurium Caſſium magiſtrum equitum creatos invenio.* (ſubjungit hinc rationem) *conſulares legére, ita lex jubebat de dictatore lata. Eo magis adducor, ut credam Lartium, qui conſularis erat, potius quam M. Valerium, M. filium, Voluſi nepotem,* (idem ſtatuit Feſtus l. 13.) *qui nondum conſul fuerat, moderatorem & magiſtrum conſulibus appoſitum. Qui ſi ex ea maxime familia dictatorem legi vellent, patrem multo potius, M. Valerium, ſpectatæ virtutis & Conſularem legiſſent. Livio* ſubſcribunt recentiores plerique, & inter eos *Floccus de poteſtate Rom.II,*1. cum itaque alia fundamenta deſint, pro ratione hic valeat auctoritas *Livij & Dionyſii* præſtantiſſimorum antiquitatis Romanæ Scriptorum, & quorum inprimis conſenſus eruditorum omnium judicio maximi fieri ſolet.

XIIX. Non parum quoque intricata eſt temporis, quo debeat inſtituta dici Dictatura, definitio. *Dionyſius* eam in hunc annum rejicit, quo Titus Lartius & Quintus Clælius Siculus Conſulatum geſſerunt. *Livius* triennium calculum *Dionyſianum* antevertit. Huncque ſequuntur *Euſebius* & *Eutropius l.1.* Uterque enim eorum nono poſt Reges expulſos anno dictatorem creatum eſſe ait. Scilicet *Livius* originem refert ad annum V.C. 253. *Dionyſius* ad 256.

XIX. Verum licet plerique de accurata anni ſupputatione deſperent, arridet tamen cumprimis *Dionyſii* ſententia. Cur enim non ei, qui principia ſeditionis, dictaturæ inſtituendæ cauſam, aliaſque, de quibus cæteri altum tenent ſilentium, circumſtantias, omnium exactiſſime executus eſt, non accederemus?

XX. Atque ſicut in cæteris diſſident, ita & diverſam dictaturæ cauſam produnt. *Oroſius* enim propter Sabinos bellum moventes ad hoc remedium Patres confugiſſe ait. *Livio* auctore ad Sabinos etiam Latini belli metus accedebat, triginta populos contra Romanos concitante Octavio Mamillo. *Eutropius l.c.* prodit, generos Tarquinii, ad injuriam ſoceri vindicandam, ingentem collegiſſe exercitum, hinc novam hanc Romæ dignitatem eſſe creatam. His diverſam cum *Dionyſio Zonaras* profert cauſam, ſcilicet cum plebs gravi ære alieno demerſa ad bellum Latinum nomina dare detrectaret, poſt longas conſultationes hunc magiſtratum, à quo nulla eſſet provocatio, ad comprimendos ejus tumultus creaſſe.

XXI. Non autem adeo propter externa bella opus fuiſſe dictatura exinde patet, quod qualiacunque bella æque feliciter per Conſules ſint confecta, ut ita accuratius cæteris *Dionyſius & Zonaras* rationem hujus rei penetraſſe ſint cenſendi, qui ſeditioſi tumultus mentionem injiciunt, eo magis reip. minitantis exitium, quod conjuraſſe tot gentes contra Romam conſtaret. Orta enim inter cives ſeditio exteris irrumpendi patefacere viam ſolet; quod poſtea Romanis eveniſſe non ſine politicâ ἐπικαιρίᾳ narrat *Florus III. 5.4. Spem*, inquit, *ac fiduciam dabant noſtra vitia. Quippe quum civilibus bellis disjungeremur, invitabat occaſio: nudumq; imperij latus oſtentabant procul, Sylla, Marius, Sertorius.*

Sertorius. Eodem auctore, *IV.2.62. Rex Pharnaces magis discordiæ Romanæ fiducia, quam virtutis suæ, infesto in Cappadociam agmine ruebat.*

XXII. Quidquid autem hic discrepent autores, id tamen certum est, à principio dictatores esse constitutos potissimum rei gerendæ & seditionis comprimendæ gratia. Quanquam progressu temporis cœperint alias etiam ob causas iidem creari. Sic ex *Livio VII, 22.* constat, M. Fabium Dictatorem dictum, ne Licinia lex Comitiis consularibus observaretur. Clavi figendi causa Manlium Imperiosum *VII, 3.* comitiorum habendorum gratia Claudium Marcellum IIX, 23. feriarum constituendarum ergo P. Valerium Publicolam VII. 28. alios ludorum faciendorum, Senatus legendi, reique publicæ causa constat factos.

XXIII. Præterea multa in hoc magistratu peculiaria observatu digna reperiuntur. Inter quæ haud minimum prudentiæ Romanæ argumentum est, constituisse, teste *Livio* II. 18. nemini nisi consulari potestatem solitariam debere credi. Quanquam alii malint hunc ipsum locum interpretari, quasi per Consulares dictatorem legi oportuisset, non quod Consularibus solis hic honor pateret. Sed *Livium* huc intendisse testis est in sequentibus, quando ait l.c. probabilius sibi videri, dictatorem primum fuisse Lartium, quod consularis esset, quam Valerium, quod nondum consulatum gessisset.

XXIV. Referente autem *Plutarcho in Marcello 26. p.m. 567.* Dictator neque à Populo neque à Senatu eligebatur, sed Consulum aut Prætorum aliquis progressus ad populum, eum quem ex usu fore putaret, dictatorem dicere consueverat. Id ipsum factum esse in creatione primi dictatoris *Dionysius V, 81.* testatur. Videtur confirmare *Livius*, ut in aliis luculenter locis, ita potissimum *XXII, 8. & IIX, 12.* sed & *IV, 14.* ubi scribit, *Senatum Mamercum Æmilium iterum dici jussisse.* Hic tamen notandum, Consules non tam causam principalem, quam ministerialem in decernendo hoc magistratu fuisse. Et huc respexisse videtur *Pomponius Lætus de magistrat. Rom. I, 16. p.m. 320.* quando à Senatu Populoque Romano creatum dictatorem tradit. Nec sine ratione: cum enim potestas dictaturæ permissa prius à po-

pulo obtineretur, illam ab eodem dictatori datam credere ſane non abſurdum eſt, ut ita Conſulibus tantum electio, ipſi vero populo & Senatui vera conſtitutio & creatio ſit aſſignanda. Vide *Livium XXII,5.* ubi inquit, à populo dictatorem non potuiſſe creari, quod nunquam ante eam diem factum eſſet. Et quanquam *Livius* expreſſe memoret, creatum à populo dictatorem Q. Fabium Maximum, notandum tamen ex eodem l.c. ibi non dictatorem propriè, ſed prodictatorem fuiſſe appellatum.

XXV. Renovato more Regibus Romanis olim uſitato lictores cum viginti quatuor faſcibus dictatorem præcedere conſueverunt, ad terrorem tamen magis quam ad uſum; ſicut prodit *Dionyſius V.84.* De hoc ita *Polybius* ſcribit: *III.87. p.m. 331.* ὁ δὲ δικτάτωρ ταύτην γε ἔχει διαφορὰν τῶν ὑπάτων. τῶν μὲν ὑπάτων ἑκατέρῳ δώδεκα πελέκεις ἀκολουθοῦσι: τούτῳ δ᾽ εἴκοσι καὶ τέτταρες. In hunc ferme modum quoque *Plutarchus in Fabio cap.7. p.m. 323.*

XXVI. Præterea vix unquam Scriptores dictatorem ſine magiſtro equitum memorant regnaſſe. Erat autem hic magiſter equitum, ſicut dictator magiſter populi. Vide præterea *Varronem l.5. & Ciceronem l.3. de LL. p.m. 453. Senecam Epiſt. 109.* Tradunt autem Scriptores, poteſtatem dignitatemque talem eum habuiſſe; qualem imperio univerſo in unius manu poſito præfectus Prætorii: Adde *Antonium Valtrinum de mil. Rom. III,11. p.m. 181. Polybius III.87.* ita ſcribit de eo: οὗτος τέτακται μὲν ὑπὸ τὸν αὐτοκράτορα, γίνεται δ᾽ οἱονεὶ διάδοχος τῆς ἀρχῆς ἐν τοῖς ἐκείνου περισπασμοῖς.

XXVII. Idem confligere cum hoſte injuſſu ducis non poterat, auctore *Livio XXIII,19.* Hinc cum Q. Fabius magiſter equitum, hujus legis incurioſus, licet feliciter, cum hoſte dimicaſſet, à Dictatore Papyrio ſumma ſeveritate ad ſupplicium poſcebatur; exemptus tamen poſtmodum parentis lacrymis populique precibus pœnæ.

XXIIX. Quod vero dictum eſt, dictatori magiſtrum equitum fuiſſe adjungi ſolitum, id Cornelium Syllam obſervaſſe, nuſpiam traditur: niſi quod in ſolis Capitolinis tabulis ipſi tribuitur junctus magiſter equitum Valerius Flaccus. De

Cæſare

Cæſare dubitatur, quem tamen *Car. Sigonius Comment. in Faſt. & triumph. Rom. p.m. 296.* ſine magiſtro equitum hoc munere functum ex Capitolinis fragmentis probat.

XXIX. Id in horum dictatura ſingulare, quod ipſi, utpote dictatores perpetui hunc magiſtratum pro lubitu geſſerint, retinuerint, abdicârint. De quibus idcirco interpretandus eſt *Cicero Philipp. I.* ajens, quod *dictatura* jam vim regiæ poteſtatis obſediſſet.

XXX. Cauſa, ob quam vetita eſt à dictatore provocatio, videtur fuiſſe abuſus legis, quæ à Valerio Publicola de provocatione à magiſtratibus ad populum magis in gratiam plebis, quam ad bonum publicum lata eſt. Scilicet hæc & hujuſmodi aliæ leges non ſolum regni ſuſpicione Valerium hunc abſolverunt, ut ait *Livius* l.c. ſed adeo in contrarium verterunt, ut popularem etiam facerent. Inde cognomen factum Publicolæ eſt. Plebs autem nimia hac libertate, *quam nec ſpernere modice nec habere ſcit,* judice eodem XXIV. 25. laſciviens abuſa eſt. Nam plerumque illa reum ex Senatusconſulto digno deſtinatum ſupplicio, provocantem ad ſe, *ad clementiam ſuapte natura proclivis,* ut ait *Ammianus Marcellinus l. XIX. p.m. 371.* cedens precibus gratiaque mota, aut odio erga patres impulſa, abſolvit. Potius igitur huic malo remedium Senatus excogitare nequiit, quam dictaturam, à qua ordinarie provocare non liceret.

Liv. II. 8. Vid de Vir. illuſtr. p.m. 493.

XXXI. Econtrario ne hic magiſtratus, (quem *Bodinus de rep. I.* 8. ſummum vocat, non eo quidem ſenſu, quo nonnulli eundem pro ſumma poteſtate ſumunt, ſive majeſtate) ad libertatis oppreſſionem regnumque in rem Romanam reducendum tenderet, temporis brevitate, ſolerter cautum proviſu neque erat, ſcil. ne ultra ſextum, niſi prorogaretur jubente populo, approbante Senatu, menſem quiſquam eum magiſtratum gereret. Vide *Clapmarium de Arcan. Rerump. II.11.* Neque extra Italiam ipſi permittebatur eſſe cum imperio. Imo non licebat equum, niſi ad populum ante tuliſſet, conſcendere. Quod *B. Bœclerus in annot. ad Vellej. II.28.2.* appellat velut imaginarium dictatoriæ poteſtatis frænum, ſive ſimulacrum democraticæ libertatis etiam ſub dictatore. Et ſi *Roſino* credimus *Antiquit. Roman. VII.17.* nullos ſumptus facere audebat ex ærario, ſine Senatusconſulto aut populi juſſu.

vide Zonar. 2. tom. Annal pag. 21. Plutarch. F. b. c. 7. p. m. 323. Livius XXIII. 14.

XXXII.

XXXII. Ut autem tempore nocturno captatis auspiciis ac silentio dici dictatorem mos erat; uti testatur *Livius*, cum inquit I,8. *Neq; facile fuisset in vitium nasci, cum Consul ineunte nocte silentio diceret dictatorem*: & *l. 9. nocte deinde silentio, ut mos est, L. Papyrium dictatorem dixit.* adde *XXIII.22.* Ita extra Romanum agrum dici non poterat. *Livius XXVII. 5. Patres*, inquit, *extra agrum Romanum, negabant dictatorem dici posse.*

XXXIII. Observandum tamen, non eodem modo omnes hunc magistratum gessisse, multaque subinde insolita pro aliis atque aliis reip. temporibus accidisse. Præteritis Sylla & Cæsare, quorum diversissima erat ratio, uterque enim libidini dominandi ad evitandam invidiam speciosum dictaturæ titulum prætulit: id modo, quod ante horum ætatem contigit, notabimus.

XXXIV. Inter hæc numerandum, quod, licet dictatori arbitrium rei gerendæ sine provocatione esset permissum, populus tamen ab eo ad se provocari posse declaraverit, ut quidem ex *Livio IIX.33.* Celeberr. *Bœclerus ad Grotium de Jur. B. & Pacis I.3.11. p.m.241.* probat. Extra ordinem etiam unus in Siciliam profectus est, teste *Dione l. XXXVI. p.m.18.* Porro consuevere quidem Dictatores dici in urbe præsentes; sed interdum tamen & absentibus hoc munus delatum exemplo Camilli, *Livius V.46.* Julii in castris dicti, *idem VII.21.* Sui vero ipsius, *Cæsar. bell. Civil. II.21.5.* monstrant.

XXXV. Quid quod aliquando uno eodemque tempore, si *Polybio* credimus, *III, 103. p.m. 352.* duos dictatores Fabium & M. Minucium resp. habuit. Alii tamen historici Minucii *magistri equitum* jus & imperium dictatori æquatum scribentes (quod idem notante *Cl. Bœclero ad Vellej. II.28.2.* factum est, nullo quidem fructu, sed usurpandi juris) vide *Livium XXII.26. Plutarch. Fabio c.9.* eidem magistro nomen dictatoris non assignant. Ut ita solus *Polybius* horum simul dictatorum auctor sit. Expresse autem alibi *Livius XXIII.23.* & *Plutarch. l.c. p.m. 328.* duorum uno tempore dictatorum mentionem faciunt.

XXXVI. Extraordinarie etiam nonnulli ante consuetum & destinatum dictaturæ tempus, imo post primos dies, quibus vel imminens reip. averterant periculum, vel id, cujus

gratia

gratia erant dicti, negotium confecerant, dictaturam ejurarunt. Sufficiant exempla Buteonis apud *Livium XXIII.23.* Cn. Quintilii *IIX.* 18. & Q. Fulvii *XXIIX.* 7. Viciſſim aliis ultra præſtitutum ſpacium imperium prorogatum, ut patet exemplo Camilli. Fuere alii, quos aliquoties hoc imperio defunctos ſcriptores produnt. Scribit enim *Plutarch. in Camillo*, hunc eundem quinquies dictatorem, Manliumque Torquatum bis. *Car. Sigonius* in laudato *commentario p.m.* 77. Idem Q. Fabium *p.m.* 139. ex vetuſto lapidis Epigrammate altera vice hoc munus geſſiſſe probat.

XXXVII. Cæterum etiamſi ordinarie ſolus tribunorum plebis magiſtratus manſerit dictatore creato, teſtibus *Polybio III*, 87. & *Clapmario de Arc. Rerump. III.* 23. & cum cæteri abolerentur omnes, juxta *Dionyſium V.*79. nihilominus tamen etiam ſub dictatoribus Conſules fuêre. Vide *Livium IV.*27. Et *Sigonium l.c. p.m.* 131. Prolixius id exemplis confirmare ſupervacuum exiſtimamus. Quanquam *Sagittarius in annotatis ad Clapmarij l.*3. 23.*nota* 2. *p.m.*192. contendit contra *Clapmarium*, Tribunorum plebis poteſtatem ceſſiſſe etiam tum, quando dictator optimâ lege creatus eſſet, quod fieri ſoleret ante, quam provocatio ad populum concederetur. Certe, ſi quando comitiorum habendorum cauſa abſentibus & bello occupatis Conſulibus dictatores dicebantur, conſules ideo non amittebant imperium.

XXXIIX. Verus autem & ordinarius ſcopus dictaturæ fuit vindicare maximis periculis remp. ut loquitur *Vellejus II.*28.7. Atque *Clapmarius Arc. III. c.*19. inter arcana Romanorum refert hujus magiſtratus uſum. Et præſertim in ſubſequentibus temporibus ſerviebat dictatoris terror non democraticæ modo vehementiæ coërcendæ, ſed certaminibus etiam & ambitioni optimatum in ordinem redigendæ. Notandum quoque eſt populi ſuffragium à creatione dictatoris aliquoties plane exulaſſe: ſcilicet quando dictator contra ipſum eſſet dictus, eodem tamen ſæpius approbante & permittente Senatui, privato ut conſilio illum magiſtratum legeret.

XXXIX. Cæterum poteſtas ejus tanta erat, ut quibuſdam independens & majeſtatica videatur. Reſtat ergo, ut

 per-

perpendamus controverſiam inter eruditos adeo validis utrinque argumentis agitatam, ut vix veritas perlucere poſſit. Majeſtatem plenam dictatoribus attribuunt ſummi viri; *Grotius J. B. & P. I.3.11. Arniſæus relect. Polit. l.2. c.2. ſect.15. §.17. & ſequentibus.* Negantem ſententiam tuentur *Bodinus de republ.* I. 8. *Pufſendorf. de jure N. & Gentium 7.6.15. & B. Bœclerus N. ad Grot. I.3.11. p.m. 240. & ſeqq.* idem ad *Vellej. 2.28.2. & ad Tacit. p.m. 55.* His & nos ſubſcribimus.

XL. Affirmantes quidem potiſſimos hiſtoricorum pro fundamento uſurpant. Nam & *Dionyſio V. 79.* dictator dicitur fuiſſe μόναρχος πολέμου τε καὶ εἰρήνης, καὶ παντὸς ἄλλου πράγματος αὐτοκράτωρ, à quo conſiliorum factorumque rationem expoſcere non licuiſſet, à quo jus provocandi non fuerit. *Livio* teſte *II. 29.* conceſſam capitalem animadverſionem oſtendunt lictores, faſces, ſecures, & cætera inſignia Regum univerſa, illi attributa, ut vim atque poteſtatem imperii illius ſignificarent. De ſecuribus *Appianus* l. I. B. C. ita tradit. πελέκεις γὰρ ἐφέροντο, περὶ αὐτοὺς οἷα δικτάτωρες εἴκοσι καὶ τέσσαρες, ὡς καὶ τῶν πάλαι βασιλέων ἡγοῦντο. Hinc quoque *Suidas*, dicit dictatorem διπλασίαν ἔχειν ἀρχὴν, καὶ ἀνυπεύθυνον. Ejuſdem dictum ſemper pro numine obſervatum *Livius l.8.* auctor eſt. Imo *Eutropius l. 1.* non majorem attribuit poteſtatem Imperatoribus, dum ait: *Neq; quicquam ſimilius poteſt dici, quam dictatura antiqua huic imperii poteſtati, quam nunc Tranquillitas veſtra habet*; & *Polybio III. 87.* appellatur dictator αὐτοκράτωρ στρατηγός. Signum quoque dictatoriæ amplitudinis erat, quod Conſuli cum lictoribus eidem occurrere non liceret. vide *Livium XXII. 11.*

XLI. Sed hæc ad ſpeciem & pompam ab Hiſtoricis adornata, ſi detractis involucris res inſpiciatur, jurium majeſtatis exercitium temporarium, revocabile, & dependens indigitant. Quod ſi ad Regium imperium comparetur, non niſi figurate id fieri cenſendum eſt. Quod exempla ſatis declarant. Non dicam de eo, quod conſtat ex *Polybio*, cæteriſque, qui eidem hac in re conſentiunt, duos eodem tempore dictatores, Fabium & M. Minucium, fuiſſe. Finge vero dictatorem plenæ poteſtatis monarcham. quomodo quæſo in una eademque rep. duo ſimul potuerunt exiſtere? hoc utique indoli & naturæ ſummæ poteſtatis

teſtatis repugnare probatione non indiget. Poteſt aliquo modo de imperio Romano valere, quod apud *Curtium IV.* 11. 22. Alexander Magnus, nimis quidem ambitioſe, de toto orbe judicavit: *mundum* ſcilicet *nec duobus Solibus poſſe regi, nec duo ſumma regna ſalvo ſtatu terrarum poſſe habere.* Adde, quod contra immodicam unius invaleſcentem potentiam dictaturæ remedio Romani uti conſueverint: Exemplo Quintii Cincinnatoris apud *Livium IV.* 14.

XLII. Objectioni *Grotij de J. B. & P. I.3.11. durationem rei non immutare eſſentiam,* reſpondet *Röſerus in diſſertatione ultima de dictatore*; quod ſcilicet *duratio non determinet imperij formam in ſe, ſed quatenus temporis hujuſcemodi reſtrictio ſimul inferioritatem non conſiſtentem cum majeſtate infert.*

XLIII. Accedit alia ſane maximi momenti ratio, qua huic magiſtratui majeſtas vere talis demitur, quod nimirum Reipublicæ forma dictatore creato non fuerit mutata in monarchiam. Nam quæſo, quot, ſi hoc admitteremus, Roma mutationes paſſa eſſet?

XLIV. Præterea notante *B. Bœclero ad Grotium de J.B.& P. I.3.11. p.m.* 240. adverſus dictatorem quidem ſicut ab initio non valebat provocatio, quippe tanquam magiſter populi vices populi gerebat, ita poſtea valuit, id eſt, populus eâdem libertate, qua ſuas vices ad tempus dictatori delegaverat, alio tempore ipſe implevit, & ad ſe à dictatore provocari poſſe declaravit. Sicut luculenter *Livij* hiſtoria oſtendit *IIX.33.*

XLV. Conſideretur etiam plebiſcitum apud *Livium VI.38.* quo plebes ſcivit, ut, ſi M. Furius pro dictatore quid egiſſet, quingentûm millium æris ei mulcta eſſet. Quæ rogatio quanquam novi exempli eſſet, de jure tamen populi teſtabatur. Apud eundem hiſtoricum fit Senatusconſultum, quo formula mandati dictatori præſcribitur. vid. *c.25.* Et factum dictatoris invidia non caruit, quia non expectata in eo Senatus auctoritas erat. Iterum tribunus plebis ait, *ſi antiquus animus plebi Romanæ eſſet, audaciter ſe laturum fuiſſe de abrogando Q. Fabij dictatoris imperio, nunc modicam rogationem promulgaturum de æquando magiſtri equitum & dictatoris jure.* Quæ rogatio etiam in plebiſcitum evaluit.

XLVI. Addo verba *Bodini de rep. I. 8.* qui productis *Livij* de provocatione ad populum à dictatore verbis, ita subjicit: *Quibus verbis planum fit, dictatorem neq; Principem neq; summum fuisse magistratum, ut pleriq; putarunt, sed curatorem, quem nostri commissarium vocant, nec aliud ei tributum fuisse, præter curationem belli gerendi, aut seditionis sedandæ, aut reip. constituendæ, aut magistratuum creandorum, aut clavi figendi. Majestas vero nec majore potestate nec legibus nec tempore definitur.*

XLVII. Venimus nunc ad alios magistratus extraordinarios, de quibus insignis est *Ciceronis* locus, *Epist. II. lib. 16. ad Tyronem.* Sic enim scribit: *Posteaquam Senatus consulibus, prætoribus, tribunis plebis & nobis, qui proconsules sumus, negotium dederat, ut curaremus, ne quid resp. detrimenti caperet, nunquam majori in periculo civitas fuit.* Eadem fere repetit *in oratione pro Rege Dejotaro.* Item *Sallustius in bello Catilinario c. 29. Itaq;*, inquit, *quod plerumq; in atroci negotio solet, Senatus decrevit, darent operam Consules, ne quid detrimenti resp. caperet. Ea potestas per Senatum more Romano magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis socios atq; cives: Domi militiæq; imperium atq; summum judicium habere. Aliter sine populi jussu nulli earum rerum Consuli jus est.* Hoc Senatusconsultum *Hottomannus formul. veter. reliquiis. p.m. 189.* & *Sigonius de antiquo jure Provinciarum 3. 10. p.m. 340.* appellant *Senatusconsultum summum*, non aliam sane ob causam, quam quod Consulibus aliisque summa potestas concederetur, vel, ut *Cicero in 1. Catilinaria* loquitur, *respublica permitteretur.*

XLIIX. Rarissime vero talia consulta Senatus edidit. Testantur Historici id factum in seditione Gracchana & Apulejana. Item in Catilinaria. Et tandem, cum Cæsar solus rerum potiri moliretur. Videatur *Cicero I. Catilin. p.m. 441. Plutarch. Gracch. p.m. 258. Dio Cassius lib. 37.* addatur *Tacitus, A. IV. 19. 2. Liv. III.* & *Plutarch. Cicer. p. m. 37.* Scilicet quotiescunque urgentissimus metus & gravissimum discrimen imminere videretur, ad hoc Senatusconsultum extremum atque ultimum decurrebatur, ut loquitur *Cæsar Bell. Civil. I. 5. 3.*

XLIX. Itaque extraordinaria fuit hæc potestas, id est, major, quam quæ ordine dabatur magistratibus. Hæc vero versa-

verſabatur in coërcendo. Cum Conſul in urbe coërcere, judicare ſine provocatione, atque exercitium belli gerendi cauſa habere non poſſet. Nam ordinarie, ſi Romæ Conſul aut vinculis, aut verberibus, aut mulcta coërcuiſſet, ac civem damnaſſet, erat appellatio collegæ, qui intercedere poterat, aut provocatio ad populum, hoc vero Senatusconſulto accepto, nulla erat, ſiquidem maximam earum rerum habebat poteſtatem.

L. Hinc ex *Salluſtio* quoque patet, plura majeſtatis jura ab ipſis fuiſſe exercita. Et vere de iis poteſt dici, quod *Cicero* alibi protulit, eos habuiſſe tum *cognitionem ſine conſilio, pœnam ſine provocatione, animadverſionem ſine auxilio.*

LI. Cæterum *B.Bœclerus in annot. ad Vell. II.* 28. 2. de hac ſolenni formula ita ſentit: *Nam illud,* inquit, *Senatusconſultum, quo poſtea in* C. *Gracchi ſeditione Opimio Conſuli primum mandatum eſt, videret, ne quid reſp. detrimenti caperet, quid aliud notat, niſi commiſſum quam pleniſſimum eſſe imperium, ſive, ut rectiſſime in Gracchis Plutarchus explicat, dictatoriam poteſtatem? ut clarum ſit, nomine dictaturæ, ob timorem, quem innuit Vellejus, abſtinuiſſe, rem ipſam tamen poſt longiorem ceſſationem reduxiſſe Romanos.* Huc illud quoque *Ciceronis* effatum *in oratione pro Milone* pertinet; ubi ſic ait: *Imo uno verſiculo* (ne quid reſp. detrimenti caperet) *ſatis armati ſemper Conſules fuerunt, etiam nullis armis datis.*

LII. Non ſolum autem in Conſulibus valebat hoc Senatusconſultum, ſed, ut *ex Cicerone* patet, etiam Prætoribus, Tribunis plebis, Proconſulibus.

LIII. *Roſinus antiquit. Roman. VII.* 11. ubi diviſionem magiſtratuum Romanorum inſtituit, recenſet adhuc inter extraordinarios, *Decemviros legibus ſcribendis conſulari poteſtate,* & *Triumviros reip. conſtituendæ.* Quanquam, ut ipſe fatetur, c. 21. hi ultimi non niſi improprie inter cæteros referri poſſint, utpote qui contra leges ſua ſponte ſe ipſos dominos reipublicæ conſtituerunt, aliamque regiminis formam & triumviratum Oligarchicum introduxerunt.



DISSERTATIO XXI.

SACRA TERMINI.

I.

Reſp. Joh. Friderico Trier, d. 19 Mart. 1674.

IMperiorum fines profanis gentibus ſuperſtitione ſacros, inter ſanctioris diſciplinæ conſcios dicata ſupremo finium Cuſtodi religio conſecravit. cujus ſincero cultu cenſeri unice cupiunt, quæ hîc ad uſum Academicæ Diſquiſitionis SACRA TERMINI adornamus.

II. Sub iſto quippe elogio, citra periculum irreligioſæ ſignificationis, quam his vocabulis Gentilium vanitas circumdederat, exhiberi poſſe videbatur *illa naturalis atq; adeo æternæ juſtitiæ ſanctimonia, qua publicos regnorum nationumq; limites contra vim atq; injuriam DEUS munivit.*

III. Sive autem termini à natura poſiti populos ſegregent, veluti *montes, maria, flumina*; ſive limites humano opere arbitrioque conſtituti; quales *murus Sinenſis* contra Tartaros exſtructus, quem deſcribit *Martinius Hiſt. Sin. Dec. I. lib. 6. p. 208.* tum *murus Picticus*, de quo vid. *Camdeni Britanniam p. 710. & ſeqq.* ad religionem finium ipſorum parum intereſt: cum ne naturales quidem limites munus finiendarum gentium à natura habeant, ſed ab impoſitione humana conſequantur, & populi neque naturalibus, neque ab arte ſtatutis munimentis diſcreti, jure tamen, & qui haud raro finium locum ſuſtinet, mutuæ potentiæ metu ſeparentur.

IV. Atque id quidem in progreſſu hujus tractationis planius apparebit: Cæterum ſi quis illud *Lyſandri Lacedæmonij* nobis objiciat: ὁ τῆς μάχαιρας κρατῶν βέλτιστα περὶ γῆς ὅρων διαλέγεται. *Ejus demum eſt optime de finibus diſputare, qui gladium tenet*: authoritate cordatioris exempli nos tuebitur *Minerva* pacis, & quæ pacem firmant ornantque, honeſtarum artium præſes, quam communi quondam ſacrario cum *DEO Termino* conſecratam, ut *Dionyſius Halicarnaſſæus* author eſt; iiſdem deinceps publice

Plutarch. Apophth. Lacon.

'Αρχ. lib. 3. p. 150. ed. Steph.

publice monumentis Romani celebravere; quod *veteres nummi* teſtantur.

V. Et inſuper ſacrorum noſtrorum apparatus eouſque non porrigitur, ut, quæ copioſius alibi *de finibus imperiorum augendis, muniendis, recuperandis*, vel præcepta inſtruuntur, vel conſilia laudantur, vel controverſiæ agitantur, tam anguſtæ ſcriptionis ambitu complectatur; ſoli, quam DEUS tulit ſanxitque, *terminalis legis* venerationi deſtinatus.

VI. Licet autem ad hæc ſacra parum idonei myſtæ putandi ſint, qui tum demum rite litatum Termino crediderunt, ſi coram informi ſaxo aut rudi ſtipite cerimonias ſacrati cultus proſtituiſſent: ad demonſtrandam tamen vim luminis naturaliter ingeniti haud leve pondus confert; quod etiam Gentiles, ejus religionis, qua violare publicos Imperiorum fines nefas habetur, DEUM auctorem, cuſtodem, vindicem agnovere.

VII. Inde *Jupiter Terminalis* Ζεὺς ὅριος tanta olim veneratione cultus; cui in territoriorum confiniis plerique Græciæ populi aras & templa ſacrarunt. In quibus præſertim memorabilis ὁ βωμὸς τοῦ Διὸς τοῦ ὁρίου, *ara Jovis Terminalis* (ita enim legendum vertendumque: non ὀρείου *montani*, ut *Wolfius* nullo congruo ſenſu exhibuit) quam in Cherſoneſi finibus Athenienſes ſtatuiſſe. *Auctor orationis de Haloneſo*, ſive is *Demoſthenes*, ſive, ut *Libanio* viſum, *Hegeſippus* exiſtimandus eſt, cum hoc *Epigrammate* refert: *Pollux IX, 1. Plato de Legg. l. X. p. 048.*

> Τὸν δὲ καθιδρύσαντο Θεῷ περικαλλέα βωμὸν
> Λευκῆς καὶ Πτελεοῦ μέσσον ὅρον θέμενοι.
> Ἐνναέται χώρης σημήϊον. ἀμμορίης δὲ
> Αὐτὸς ἄναξ μακάρων ἐστὶ μέσος Κρονίδης.

> *Limes ut in medio Leucæ Pteieiq; notetur,*
> *Hæc eſt excellens ara ſacrata Jovi.*
> *Ne populos turbet contentio, Jupiter ipſe*
> *Rex ſuperum medius limite ſignat agros.*

IIX. Neque minus celebre fuit templum *Jovis contermini* Διὸς ὁμορίου, quanquam diverſo uſui deſtinatum, quod Crotonia-

toniatas, Sybaritas, Caulonitas unanimi consensu post cruenta
II, 39. dissidia potuisse *Polybius* memorat: exemplo ab Achæis desumto: quorum conventus & concilia publica in æde Jovis contermini haberi consuevisse, haud difficulter indidem colligere licet.

IX. Romani, qui ex Numæ instituto, & ipsi publicos
Dionys. Halicarnass. Ἀρχ. II. p. 99. juxta privatosque terminos *Jovi Terminali* sacros voluere; ut major Terminorum cultui ab antiquitate veneratio accederet, eum se pro DEO Termino lapidem colere finxerunt, quem loco Jovis ad infantis similitudinem fasciis involutum Saturnus
I, 20. devorasset. *Lactantius*: *Quid qui lapidem colunt informem atque rudem, cui nomen est Terminus? Hic est quem pro Jove Saturnus dicitur devorasse.* Si tanti est idoli vanissimi natale solum novisse,
ap. Hesiod. Scholiast. in Theogon. v. 485. ex Proconeso desumtum, *Agathocles Babylonius* tradit: postquam vero Jupiter patri denuo cum cæteris liberis, quos devoraverat, extorsisset, in Parnasso statutum Hesiodus refert:

Theogon. v. 498. adde Apollodor. Bibliothec. Lib. I. p. 2.

Τὸν μὲν Ζεὺς στήριξε κατὰ χθονὸς εὐρυοδείης
Πυθοῖ ἐν ἠγαθέῃ γυάλοις ὕπο Παρνησοῖο
Σῆμ' ἔμεν ἐξοπίσω, θαῦμα θνητοῖσι βροτοῖσι.

Illum quidem Jupiter in terram spatiosam firmiter defixit
In divina Pytho sub jugis Parnassi:
Ut in posterum insigne monumentum existeret quod homines admirarentur.

Quo jure ad Romanos inde migraverit, & quomodo non cum Jove tantum, sed cum Delphis transigendum sibi putent, ipsis horum mendaciorum artificibus fuerit dispiciendum: cum satis constet, sub Imperatore M. Antonino Philosopho sibi Delphos adhuc ejus monumenti possessionem vindicasse. *Pausanias* illi Imperatori coævus Scriptor, postquam pleraque in templo Delphico visu memoratuque digna enarrasset, subdit:
in Phocicis. Ἐπαναβάντι ἀπὸ τοῦ μνήματος Νεοπτολέμου τοῦ Ἀχιλλέως, λίθος ἐστὶν οὐ μέγας. τούτου καὶ ἔλαιον ὁσημέραι καταχέουσι, καὶ κατὰ ἑορτὴν ἑκάστην ἔρια ἐπιτιθέασι τὰ ἀργά. ἔστι δὲ καὶ δόξα ἐς αὐτὸν, δοθῆναι Κρόνῳ τὸν λίθον ἀντὶ τοῦ παιδὸς, καὶ ὡς αὖθις ἤμεσεν αὐτὸν ὁ Κρόνος. Cum

à monu-

à monumento Neoptolemi Achillis filij ascendere rursum inceperis, lapidem videas modice magnum: hunc singulis diebus & maxime festis oleo perfundunt succidaq; lana velant. Percrebuit autem de eo opinio, eundem lapidem esse, quem pro puero exhibitum Saturnus devoraverit iterumq; per vomitum ejecerit. Et Romani tamen dudum ante hæc tempora ejusdem persuasionis ludibrio fuerant gloriati. Declarat id, si nihil aliud, *Statua Terminalis* στήλη ἑρμαία ut *Polluci* dicitur; jam in *Augusti nummis* ita efformata, ut *Bætyli Hesiodei* instar haud obscure exprimat: capite quippe & pedibus tantum prominentibus; cæteris vero humani corporis partibus in pyramidis inversæ speciem confusis: ut vel fasciis, vel, si Grammaticorum ineptiis auscultandum, caprina pelle obvolutas facile agnoscas. Eodem respicit in nummo *Golzij, fulmen, Jovis insigne,* pedibus Termini subjectum; & quod *proræ navis* impositum Terminum *Tristani & Patini* nummi exhibent: peregrinum & advenam DEUM indicantes: neque enim alia proræ significatio, quam puppis apud *Ovidium* in *Fastis*: *lib.*1.

Onom.IX,1. apud Goltz. num. Aug. p.23. n.20. v Hesych. voc. Βαίτυλος. Etymolog. Sylburg. voc. Βαίτυλος. Comment. Hist. Part.1. p.696. Thesaur. Num i. cap. 6. p.476.

At bona posteritas puppim formavit in ære,
Hospitis adventum testificata Dei.

Quod vero ex viris doctis *alij* ad exprimendum *Augustæum* illud *Festina lente, alij* ad terrendos, qui tum Imperii finibus imminebant, Parthos, conjunctum cum Termino fulmen, opinati sunt, in eo fortasse plus, quam fas erat, conjecturis suis indulsêre. Nam, ut in fulmine agnoscatur velocitatis symbolum; at Terminum certe non tardigradum, sed immobilem Gentiles finxere: unde illud, ut, qui terminum moveret, ἀκίνητα κινεῖν, *movere immobilia,* proverbio diceretur: Romanis præsertim: ad quorum Terminum apposite *Poëta*;

Plat. de LL. IIX.

Termine post illud levitas tibi libera non est,
Qua positus fueris, in statione mane.

Ovid. Fast. lib. 2.

Quem & *Virgilius, Capitoli immobile saxum,* nominavit. Parthos vero, qui ne telis quidem Romanorum valde terrebantur, pictis fulminibus coërcere Augustum voluisse, tam circumspecti Principis prudentia suspicari vix patitur.

Æn. lib. IX.

X. Si quæ ſub involucro præſtigioſorum figmentorum, ſecretioris ſignificationis, & naturalis præſertim ſapientiæ arcana latent, ut *Phornuto* & veteri in *Heſiodum Scholiaſti* viſum eſt, illorum origo non ex Græcorum equidem, quod plerique faciunt, ſed antiquiore Phœnicum Theologia fuerit arceſſenda: Inter cujus myſteria DEUS Uranus non *Betulum* tantum *genuit*, ἀλλὰ καὶ Βαιτύλια ἐπενόησε λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος, *ſed & Bætylia excogitavit, cum lapides animatos fabricaſſet*: ut ex *Sanchoniathone Phylo Biblius* tranſtulit: & declarant ſpecimina *Photio* conſignata, quouſque cum progreſſu temporis diabolicarum præſtigiarum ludibria excreverint: de quibus *Iſodorus Philoſophus*, inſignis magicarum artium architectus & hinc tanto ſagacior interpres, ipſe, licet alio ſenſu confitetur: εἶναί τινα δαίμονα τὸν κινοῦντα τοὺς Βαιτύλους οὐ τῶν καθαρῶν παντάπασι. *Prorſus impurum aliquem dæmonem eſſe, quo agitante Bætuli moveantur.* quanquam doctiſſimus *Bochartus* erraſſe *Philonem* contendat, in vertendo *Sanchoniathone*; qui non *animandorum lapidum*, ſed *ungendorum* inventum DEO Urano tribuerit: unde *Seldenus* quoque in erudito *de Diis Syris* Syntagmate Bætylorum nomen deducit. Et jam antea in *Animadverſionibus Euſebianis* indicaverat *Scaliger*, quomodo à ſancta origine ad ſuperſtitioſos & impios uſus migraverit unctorum lapidum conſecratio: inter quos, Romanorum Terminis locum *Nicolaus Rigaltius*, in *notis ad Siculum Flaccum*, *Briſſonius*, *libro V. Formularum*, aliique abunde paſſim aſſerunt.

de Nat. Deorum cap. de Rhea · *ad Theogon. v. 498.* · *Euſeb. Præpar. Evang. Lib. I. c. 10.* · *Bibliot. Cod CCXLII. ap. Phot. d. l.* · *Geogr. Sacr. Lib. II. c. 2.* · *Synt. I. c. 5. & II. c. 1.* · *ad ann. MMCL.* · *pag. 19.* · *p. 430. ed. Francof.*

XI. Attamen qui ſtatum humani generis in oculis habent, qualem Saturno primum, deinde Jove imperante, extitiſſe Gentiles finxerunt, illis operoſius explicandum non fuerit, quid *lapis à Saturno devoratus, à Jove autem denuo latebris erutus, publicaq; gentium venerationi pro Termino commendatus*, deſignet; quando de commentitia priorum ætatum converſione & inſignioribus periodis, è fabulis, vel generaliori & incertâ, qua defungi aliqui maluerunt, denotatione eruendis agitur. Loca Scriptorum jam alii diligenter collegerunt, ad deſcriptionem illius temporis ſpectantia, quo

—— nullus in campo ſacer
Diviſit agros arbiter populis lapis.

vid. Bœcler. Inſt. Pol. Lib. 1. c 1. p. 10. · *Sen. Hippol.*

Neque

Neque ignotæ ſunt ambages, per quas enitendum Ethnicis fuit, ut ad vitæ ordinatioris initium pervenirent.

XII. Cujus conditorem cum clariſſima naturæ & divinorum operum luce convicti agnoviſſent DEUM eſſe: οὐχ ὡς θεὸν ἐδόξασαν ἢ εὐχαρίστησαν, ἀλλ' ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία. φάσκοντες εἶναι σοφοί, ἐμωράνθησαν· καὶ ἤλλαξαν τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ, ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου. *non ſicut DEUM glorificaverunt aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt: & mutaverunt gloriam incorruptibilis DEI, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis*: prolixo certamine vanitatis; cujus ἀκμὴν quandam & complementum in cultu terminorum licet deprehendere. vid. *Lactant. Inſt. Div. I, 20. Prudent. in Symmach. II.* 1005. *Rom. I, 21.*

XIII. Et quàm inane erat ſolidæ venerationis, quàm plenum blaſphemi ludibrii, quod authoritatem legis, qua non magis fines populorum, quam generis humani ſecuritas & tranquillitas continetur, inde ſtabilitum iverunt, unde ſanctiſſimi Legiſlatoris majeſtas, oblivione, contemtu, ipſa denique futiliſſimæ religionis profeſſione vileſceret?

XIV. Quam cum inter Chriſtianos ab obſcuræ credulitatis tenebris Divina oracula vindicent, non poteſt vel ſignificatio vel efficacia ſententiæ ambigua eſſe, quâ *providentiæ cœleſtis miraculis accenſetur, quod ut maria & fluvios & totam rerum naturam, ita gentes humanas certi limites diſtinguunt & definiti coërcent termini: quos uti cura omnipotenti DEUS tuetur, ita æternæ & immutabilis juſtitiæ decretis circumſepſit: quæ ſi violentur, injuriam ad contemtum divinæ legis pertinentem DEUS vindicat: ut quæ in rebus quibuſvis ſancta ſunt, multo magis in publicis Imperiorum finibus jura naturalia ſancta, & propter jurium naturalium ſanctimoniam, ipſi quoq; publici fines ſancti eſſe intelligantur. Cum in his inſuper manifeſtiſſimis indiciis præfulgeat character ordinis, ad gubernandum genus humanum, ſecundum cœleſtis ſapientiæ normam divinitus inſtituti.* *Pſ. LXXIV. 17.*

XV. In hanc enim ſummam recidere videntur, quæ terminos imperiorum partitim religioſa veneratione inviolabiles

reddunt. Inter quæ primum sibi locum *Divina in dividendis imperiis occupatio* vindicat: irrefragabili *Scripturæ Sacræ* testimonio revelata. Insignis in cæteris locus extat *Actor.XVII,26.* Ἐποίησέ τε ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, ὁρίσας προτεταγμένους καιροὺς καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν. *Fecit DEUS ex uno sanguine omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora & terminos habitationis eorum.* Quem nimis anguste interpretaretur, si quis ad solam dispersionem gentium restringeret, quæ de ædificanda turri Babylonica conspiraverant. Cum & ante diluvium separatis familiis divisisque imperiis orbem terrarum habitatum fuisse nequeat ambigi; & de divino auspicio non
Gen.I,28. sinat dubitare benedictionis cœlestis formula, qua *implere terram universam* primorum parentum genus jubebatur. Cujus
Gen.IX,1. vim in restauratione orbis post diluvium, ad *dilatationem liberorum*
Gen.X,5. *rum Noe in omnem terram*, pertinuisse, evidentius expressiusque
32. XI,8. *Sacræ literæ* memorant.

XVI. Nam qui nihil in ea partitione, præter indignationem DEI, impios ædificatorum turris Babylonicæ conatus, immissâ linguarum confusione dissipantis agnoscunt, illi vix cogitare videntur, quam solenne & usitatum sit supremo Numini, ut providentiæ suæ miracula, unde piis benedictionem instruit, improbis in maledictionem & pœnam convertat: ut non immerito *alibi* divisionem terrarum, inter beneficia DEI,
Deut. *Moses* ingrato populo exprobret: *Memento dierum antiquorum,*
XXXII,7. *cogita generationes singulas, interroga patrem tuum & annuntiabit tibi: majores tuos, & dicent tibi. Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël.*

XVII. Sicut autem ad Ethnicos etiam divisionis hujus fama pervenit, ut ex notabili fragmento *Hestiæi Milesii* cognosci potest, quod *Eusebius in Præparatione Evangelica lib.IX. c.15.* & in
Antiq.I,6. *Chronico*, ex *Josepho* desumtum exhibet: Ita dubia fide nituntur, quæ præter authoritatem Historiæ Sacræ *de duplici divisione orbis,*
Annal T.1. p.165. *& Noachi testamento*, *Salianus* adstruere conatur. Quanquam inter Christianos Scriptores pridem invaluisse traditionem *Sel-*
de J. N. & G, VI, 12. *denus* notet, qua *divisisse inter filios suos Noachus orbem ferebatur,* *sacra-*

ſacramentoq; ſingulos adegiſſe, ne [illegible] *tranſgrederetur.* quod teſtimonia ex *Epiph*[illegible] pro-ducta, & à *Samuele Bocharto* examinata, [illegible] Ex Geogr. Sacr. part. [illegible] licet *Bocharti* quidem rationes non evincant, *impoſſibilem fuiſſe ta-lem diviſionem* : ſuperfluum tamen fuerit, ejus authoritatem ex parum liquida origine arceſſere: cui adſtruendæ divini [illegible] arbitrii tam perſpicue promulgata majeſtas ſufficere debebat.

XIIX. Illud expediendum potius fuerit: *utrum primævam orbis in diverſa imperia partitionem, quam divinæ originis eſſe conſtat, etiam divini juris eſſe, hinc conſequatur?* Divini juris, inquam, ſive *naturalis*, ſive *voluntarij*: de quo diſtinctè loquendum eſt; niſi quis velit hanc rem pluribus tricis impeditam relinquere. Et jus naturale quidem, ſi huc eo ſignificatu transferatur, quo juris naturalis eſſe interdum dicuntur, quibus jus naturale non repugnat; ipſa divinæ voluntatis, directionis, auſpicii evidentia ſufficit, ut non eſſe contra tenorem naturalis juſtitiæ diviſa gentium imperia intelligantur, quæ DEO auctore diviſa ſunt.

XIX. Cujus reverentiam, non capio, quo merito queant audaci Philoſophiæ prætendere, qui *multo æquabilius & ad vitæ rationalis pacem, tranquillitatem, ipſamq; adeo naturam convenientius adminiſtratum iri res humanas contendunt, ſi, ut mundus univerſus unius DEI imperio regitur, unius ſolis radiis illuſtratur: ita cuncti, qui diverſas orbis partes inhabitant populi, in unius reipublicæ corpus coaleſcerent, unoq; & communi regiminis ſpiritu continerentur.* Nam ſive ſpecimen exhibere inſtituerant dicendæ in Platonis Republica ſententiæ; meminiſſe debebant, dudum inter auſa Gigantum damnata eſſe importunæ ſapientiæ decreta, quæ gubernacula rerum DEO extorquere, &, non qualem ille inſtituit, ſed qualem ſibi quiſque fingit, orbis adminiſtrandi ordinem præſcribere docet, vel in opprobrium ordinis à DEO inſtituti laudare & extollere: ſive bona fide optabant ſecuritati mortalium conſuli; ante omnia efficiendum illis erat, *ut, quæ ſaltem Soli eſt ad orbem terrarum luſtrandum fovendumq; indefeſſa & ſtabilis facilitas, eadem & illi ſit, cui rerum habenas committent, quo omnes imperij ſui partes pari celeritate & efficacia curare poſſit.* Et audebunt ne poſt hæc, quanquam conſtituto ordinatoque communi Freinsh. ad Curt. IV, 11, 22.

 tribu-

tribunali, ad quod omnium gentium dissidia vocentur, vel sibi vel aliis spondere, tam vastæ reipublicæ cives non ruituros aliquando in bella civilia? quæ nunquam Romanum Imperium crudelius laceraverunt, quam cum fuit potentissimum: Postquam enim eo excrevisset, ut non *orbis terrarum, neq; cunctæ gentes conglobatæ movere illud aut contundere posse viderentur, cives cum civibus manus conseruere: ita defessi & exsangues regibus & nationibus exteris prædæ fuerunt.* Neque desunt præterea causæ graves & multæ, quæ, si maxime obtineri, quam sibi imaginantur, felicitas posset, diuturnam polliceri non sinerent. Intra unius plerunque ætatis angustias populorum heroumque fortuna constringitur, quorum humeri tanto oneri ferendo pares judicantur: Et si omnis ævi exempla excutiantur, verum in plerisque reperietur, quod de Alexandro *Curtius* pronunciat: *Huic regi duciq; successor quærebatur: sed major moles erat, quam ut unus subire eam posset. Itaq; nomen quoq; ejus & fama rerum in totum propemodum orbem reges ac regna diffudit; clarissimiq; sunt habiti, qui etiam minimæ parti tantæ fortunæ adhæserunt.*

Salluſt. ad Caſ. Orat. I.

X, 5, 37.

XX. Quanquam ne ostendi quidem talium imperiorum exempla soleant, quæ involutos unius dominationis ambitu totius orbis, omniumque nationum ac gentium fines, contineant. Nam quæ maxime universalia feruntur, Assyriorum & Persarum regna, intra Orientis terminos illustria & incomparabilia fuêre; cæteris habitati orbis partibus ignoratis vel intactis: ipse autem, qui *nec mundum duobus solibus posse regi: nec duo summa regna salvo statu terrarum posse habere*; ambitiosissime jactaverat *Alexander*, tantum ab occupando universi dominatu abfuit; ut non sine magna ratione dubium ejus progressibus eventum prudentes ominentur, si contra Romanos, quanquam cum ipsis potentiæ suæ incrementis tum adhuc luctantes, arma convertisset. non convenienti minus, quam acuta interim *Senecæ* censura notatus: *Alexander discere Geometriam infelix cœperat, sciturus quam pusilla terra esset, ex qua minimum occupaverat.* Romanorum vero principatum licet orbi conterminum detecta pridem vanitate & jactantiâ Scriptores illorum glorientur: longe tamen moderatius ipsi Principes metiebantur. Augustus apud *Julianum* artes recensens, quibus invictam se reddidisse

Curt. IV, 11. 22.

Liv. IX, 17.

Ep. XCI.

Vid. Grot. de J.B. & P. II, 22, 13.

Freinsh. ad Flor. IV, 3, 8.

in Cæsar.

diſſe Romam gloriatur: οὐ γὰρ ταῖς ἀμέτροις ἐπιθυμίαις εἴκων, (inquit,) ἐπικτᾶσθαι πάντως αὐτῇ διενοήθην, ὅρια δὲ ἅττα ὥσπερ ὑπὸ τῆς φύσεως ἀποδεδομένα, Ἴστρον καὶ Εὐφράτην ποταμοὺς ἔθεμεν. *Non immodicis cupiditatibus fines ejus in immenſum extendendi abreptus, intra Danubium & Euphratem, quos veluti limites proprios natura illi aſſignaverat, coërcere imperium ejus ſum anniſus.* A quibus terminis cum Trajanus imperium non ultra Danubium modo, ſed trans Euphratem protuliſſet: Hadrianus *adeptus imperium, ad priſcum ſe ſtatim morem inſtituit, & tenendæ per orbem terrarum paci operam intendit: nam deficientibus his nationibus, quas* Trajanus *ſubegerat, Mauri laceſſebant, Sarmatæ bellum inferebant, Britanni teneri ſub Romana ditione non poterant: Ægyptus ſeditionibus urgebatur; Lycia deniq; ac Palæſtina rebelles animos efferebant. Quare omnia trans Euphratem reliquit; exemplo ut ajebat Catonis, qui Macedonas liberos pronunciavit, quia teneri non poterant.* *Spart. in Hadrian. c. 5.*

XXI. Conſtatque adeo non ex hoc duntaxat, ſed ex perpetuis omnis ævi documentis: pro ſtatu generis humani, in tot gentes, ſitu, linguâ, indole, moribus ſejunctiſſimas multiplicati, non paci tantum & ſecuritati, ſed ſaluti magnæ illius inter omnes homines ſocietatis, ipſique hinc dictamini rationalis naturæ convenientiſſimum eſſe, ut & ſeparatis imperiis orbis univerſi gubernatio diviſa ſit; & unumquodque imperium modo cum humani regiminis facultate congruente contineatur.

XXII. Confirmant id magna rationum, ſententiarum, exemplorum varietate ſapientes: quibus id fere ad incommoda & pericula regnorum imperiorumque ultra juſtam magnitudinem excreſcentium notanda exprimunt, quod de civitate immodice ampla judicavit *Ariſtoteles* 7. *Pol.*4. Ὁ λίαν ὑπερβάλλων ἀριθμὸς, οὐ δύναται μετέχειν τάξεως· θείας γὰρ δὴ τοῦτο δυνάμεως ἔργον, ἥ τις καὶ τόδε συνέχει τὸ πᾶν. *Nihil magis pugnat, quam immenſus numerus, ſeu infinita multitudo, atq; ordo. Solus enim hoc præſtare poteſt DEUS, ut, quæ certum numerum excedit, certis legibus contineatur, multitudo. Quemadmodum ab eo, totum hoc, quod univerſi nomine vocamus, ſuis legibus ſuoq; ordine videmus contineri:* ut *Heinſiana Paraphraſis* interpretatur. Totum hunc locum profunde excoluit *Forſtnerus ad Tac.*4. *A.*32.3. erudita vero annotatione

ne copiose diffudit *Gruterus ad Tac.* I. *A.* II.8. *disc.* 17. Add. *Grot. de J.B. & P.* III,15.7. *Bernegg. Tub. Pac. p.* 315. *& seq.*

XXIII. Cæterum ratiocinatio *Aristotelis*, qua contrariam reipublicæ administrationi nimiam civium multitudinem inde evincit; quia civilis regiminis ordini repugnat; haud obscure indicat, quo *præceptum legis naturalis*, sive jus naturale proprie ita dictum, inclinet, siquis ad dictamen ejus animum accuratius intendat. Licet enim hinc demonstrari non possit, absoluta directaque obligatione ad hoc genus humanum teneri, ut divisis imperiis mundum colat: quia tamen indubitata naturæ lege DEUS in humano genere, societatem; in societate, ordinem; in ordine, imperium esse jussit: idem facile intelligitur, ejusdem naturæ dictatu non præmonstrasse tantum, sed commendasse multiplicationem & divisionem regiminis humani, sine qua nec societas hominum, nec ordo, nec imperium, aucto in hanc amplitudinem humano genere vel consistere potest, vel, si consisteret, ad tuendam orbis tranquillitatem & salutem diutius conservari.

XXIV. Huc accedit, quod, etiamsi tam præcisa necessitas huic convenientiæ naturæ rationalis cum divisione imperiorum non subsit, qualis legi naturali adhærere alias solet: adjuncta nihilominus illi auctoritas Divinæ voluntatis, tum testimoniis Scripturæ Sacræ superius adductis, tum experientia & usu tot seculorum manifesta, non modicam ei *divini juris*, quod *voluntarium* *Grotius* nominavit, efficaciam sanctitatemque conciliat: Si non ultra, hucusque tamen valituram, ut, cum se divina destinatione separatas esse, & in distincta imperia descriptas humanæ gentes intelligant; eadem opera sciant, à limitibus divinitus sibi assignatis, citra causas artesque divinæ voluntati consonas, recedere, terrasque & regiones ab aliis legitime possessas, suæ ditioni adjungere, jus fasque non esse.

de J.B. I,1,15.

XXV. Neque periculum est, ut cum operibus *Divinæ Justitiæ* confundantur *Divinæ providentiæ* opera, si quis communes utrisque effectus assignet: cum & in Republ. quando judicialibus sententiis majestas litigantium controversias dirimit, vel in diversos magistratus civilis administrationis munia partitur, juris ac legum vim apud subditos hi actus consequantur, quan-

quanquam ex legislatoria facultate, si quis distincte loqui amet, non descendant.

XXVI. Ne de conjunctissima utrorumque inter se necessitudine nunc dicam, qua cuncta quidem *Divinæ providentiæ* miracula ita veneranda sunt hominibus, ut consilia sua interim & proposita ad *Divini juris* normam mensuramque componere teneantur. Neque enim aliunde fas fuerit, æternum illum in rebus & creaturis omnibus gubernandis DEI conceptum, quem *æternæ legis* nomine quidam signant, præcognoscere: ex vaticiniis vero, prædictionibus, oraculis in futurum divinæ voluntatis destinationisque arcana scrutari; atque hinc non dominationis tantum suæ amplitudinem, sed novi juris ad alios invadendos subigendosque efficaciam metiri vel munire velle, uti non infrequenter usurpata, ita communi dudum inter sapientes consensu damnata, temeritas est. *Hoc monebo,* inquit *Grotius de J. B. & P. II,22.15. non frustra, sed quia veteribus recentia conferens, magnum malum, ni caveatur, prævideo: justam belli causam non dare, spem conceptam ex aliqua divinorum vaticiniorum explicatione. Nam præterquam quod quæ nondum impleta sunt oracula, interpretari certo vix contingit sine prophetico spiritu, etiam rerum certarum latere nos possunt tempora: ac postremo prædictio, nisi expressum adsit DEI mandatum, jus nullum dat: cum DEUS, quæ prædixit, sæpe per improbos homines aut pravas actiones ad exitum ire permittat.* Cujus moniti veritas, si in ulla re alia, certe in imperiorum mutatione per varia amplitudinis incrementa & decrementa, manifestissima est. Et *est* equidem *DEUS, qui non solum cœlum & terram, nec solum Angelum & hominem, sed nec exigui & contemtibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium, sine suarum partium convenientia, & quadam veluti pace dereliquit, nullo modo credendus, regna hominum, eorumq; dominationes & servitutes à suæ providentiæ legibus alienas esse voluisse.* Atque id ne Ethnicos quidem ignoravisse, argumento est *solenne precationis carmen,* quo *Dij immortales* in lustro condendo *rogabantur: ut populi Romani res meliores amplioresq; facerent;* donec insigni moderatione Africanus posterior id emendavit, precarique jussit, *ut eas perpetuo incolumes servarent.* Examinavitque ad normam Christianæ veritatis errores Gentilis

Augustin. de C. D. V, 11.

Val. Max. IV,1.39.

Theologiæ, in æstimandis publicorum incrementorum causis, *Augustinus de Civ. DEI Lib.* 4. *&* 5. Sed minimum est, quod in hac disciplina vel cognitioni vel inquisitioni hominum subjicitur. E quibus profundissime sapiunt, qui vias quidem, per quas DEUS modo hunc, modo alium populum ad destinatæ potentiæ latitudinem provehit, pio stupore venerari, dum occultæ sunt; & quatenus intelliguntur, in honorem & gloriam supremi Numinis interpretari didicerunt. Cujus Philosophiæ specimen eximium, in æstimanda Romani Imperii potentia, passim *SS. Patres* exhibuere: qui subinde magna sententiarum gravitate confirmant, quod eleganti carmine diffudit *Prudentius contr. Symm. lib.* 2. *v.* 582. *seqq.*

Vis dicam quæ causa tuos Romane labores
In tantum extulerit?
Discordes linguis populos & dissona cultu
Regna volens sociare DEUS, subjungier uni
Imperio, quicquid tractabile moribus esset,
Concordiq; jugo retinacula mollia ferre
Constituit.

Et mox:

Hoc actum est tantis successibus atq; triumphis
Romani Imperii: Christo jam tunc venienti
Crede parata via est; quam dudum publica nostræ
Pacis amicitia struxit moderamine Roma.

Lib. 1. Adde *Thuanum* ex similibus principiis Hispanicæ potentiæ augmenta arcessentem. Et quæcunque tandem istis exempla jungantur, aptari se ad illa patietur haud incommode *Augustini* (*de Civ. Dei* V, 21.) ἐπίκελσις: *Hæc plane DEUS unus & verus regit & gubernat, ut placet. Etsi occultis causis, nunquid injustis?*

XXVII. Cæterum omne, quod hominibus in possidendo regendoque orbe, jus, ex originaria acquisitione competit, uti à divina concessione penitus dependet; sine qua neque *occupationis* neque *divisionis* humanæ, ad quam alii respicere malunt, ulla efficacia fuisset: Ita in hoc usque tempus à primæva illa gentium in omnes terræ partes dispersione, per infinitas populorum

pulorum converſiones ſucceſſioneſque, diſcretio generis humani derivata eſt; qua non minus *imperio* territoria publica, quam privata prædia *dominio* ſeparantur. vid. *Grot. de J. B. & P. II, 3, 4.*

XXIIX. Ut æquali robore ac evidentia, qua DEUS in re quavis *abſtineri alieno jure* præcipit, regna quoque & *imperia aliena invadere* ſit prohibitum. Ejuſdemque criminis rei exiſtant, qui ſine juſta cauſa populum quemcunque à legitimis finibus, quam qui dominum ex ædibus ſuis agrove deturbant. Et licet alia vulgo nomina etiam iniquæ terminorum prorogationi circumponantur: *Inferre* tamen *bella finitimis & inde in cætera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſola regni cupiditate conterere ac ſubdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum eſt?* *Auguſtin. de C. D. IV, 6.*

XXIX. Idque cum tam aperta legis divinæ auctoritate ſanciatur; mirari ſubit, unde *magiſtri Hebræorum* derivare jus ſacrum interpretarique didicerint, quo ſine ulla alia cauſa, dummodo nominis imperiique proferendi ſpes eſſet, alios populos bello aggredi licitum tradiderunt. Et fuiſſe quidem aliquorum hanc ſententiam, facile *Seldeno* aſſerenti, & illuſtriora quædam loca producenti, crediderim: Sed *Philonem* in illorum numerum referre non auſim. Cujus graviſſimo judicio, æque ac ab *Auguſtino*, paſſim damnantur οἱ τὰς μεγάλας ἐργαζόμενοι κλοπὰς, σεμνοῖς ὀνόμασιν ἀρχῆς ἐπικρύπτοντες λῃστείαν ἀληθέστερον. *Qui magna furta committunt, qui honeſto principatus nomine obumbrant ea quæ reipſa nihil niſi latrocinia ſunt.* Sed nec *Phinees* in loco, quem *Seldenus* indicat, de diſciplina ſenſuque Hebraici juris teſtatur: qui cauſam belli adverſus Midianitas commendaturus, comparatione inſtituta, conſuetudinem aliorum populorum damnat, ſolâ imperii proferendi & aliena occupandi libidine in bella ruentium: Οὐχ ὑπὲρ κράτους ἀρχῆς (inquit) ὁ παρὼν ἀγών ἐστιν, οὐδὲ ὑπὲρ τοῦ κτήσασθαι τὰ ἑτέρων, περὶ ὧν ἢ μόνον ἢ μάλιστά εἰσιν οἱ πόλεμοι, ἀλλ' ὑπὲρ εὐσεβείας καὶ ὁσιότητος, ὧν τοὺς ἡμετέρους συγγενεῖς καὶ φίλους ἠλλοτρίωσαν οἱ ἐχθροί. *Non de imperio nunc certamen inſtat, nec de invadendis occupandiſque alienis poſſeſſionibus, quæ vel ſola vel præcipua aliorum bellorum cauſa eſt: Sed pro tuenda religionis & pietatis ſanctimonia, quam conſanguineis noſtris*

de J. N. & G. VI, 12.

de vit. Moſ. lib. I p. 649. ed. Pariſ.

hoſtes ereptum iverunt. Quem ſenſum idem *Philo ad Decalogum* explicatius expreſſit: ubi notabilem deſcriptionem malorum damnorumque, quæ ex cupiditatibus immodicis oriuntur, in hunc modum concludit: οἱ γὰρ Ἑλλήνων καὶ Βαρβάρων πρός τε ἑαυτοὺς, καὶ πρὸς ἀλλήλους τραγῳδηθέντες πόλεμοι πάντες ἀπὸ μιᾶς πηγῆς ἐῤῥύησαν ἐπιθυμίας ἢ χρημάτων, ἢ δόξης, ἢ ἡδονῆς. *Nam bella illa Græcorum Barbarorumq́ʒ, aut inter ſe, aut horum in illos, etiam tragœdiis decantata, ab uno fluxere fonte cupiditatis, ſive illa divitiarum ſive gloriæ ſive voluptatum fuit.* Hebræorum vero bella non *Joſephus* tantum, ſed & *Chriſtiani Doctores* ab hac infamia abſolvunt: inter quos *Cyrillus* nominatim Hebræorum Regum inſtituta, qui *ſe intra ſuos fines continebant,* extollit.

adv. App. lib. 2.
Contr. Julian. lib. 5.

XXX. Neque ſi degeneraviſſet populus Judaicus à præcepto divinæ legis, major hujus exempli authoritas eſſet futura, quam cæterarum Gentium orientalium: quibus jam certius conſtat, *unam & eam veterem cauſam bellandi fuiſſe, cupidinem profundam imperij & divitiarum.* Exempla recentia pariter & antiqua colliguntur in *Berneggerianis Quæſtionibus in Tacitum Quæſt. II. & CLXXXVII.* Quibus ſi quis divini naturaliſque præcepti dictamen impugnari obſcurarive poſſe contenderet, perinde foret, ac ſi quis furta, rapinas, adulteria in honeſtis numerare vellet, quia integras aliquando nationes iſta flagitia fœdavêre. Conf. *Calixt. Th. mor. p. 1. c. de Legibus.*

XXXI. Quid quod tam potenti patrocinio hæc ipſa *de non violando alterius jure,* in conſcientia generis humani, munita lex eſt; ut ne ipſi quidem, qui ſolam dominandi libidinem belli cauſam habent, ſine juſtitiæ velamine, rectam illi frontem audeant obvertere. Prorſus enim ad paucos, nec niſi barbaros, *Tiridatis Armeni* vox rediit: *ſua retinere, privatæ domus; de alienis certare regiam laudem eſſe:* & cum barbarie vitæ belluinæ ac inſociabilis dudum damnata eſt feritas ævi veteris, quo *latrocinia nullam habebant infamiam, quæ extra fines cujuſq́ʒ populi civitatiſq́ʒ fiebant.* Sed & illis, qui, *dum maxumam gloriam in maxumo Imperio putant,* aliorum ſervitute fas eſſe jactant ſuam potentiam ſtabilire, pridem ore *Caractaci Britanni* reſponſum eſt: *Non, ſi vos omnibus imperitare vultis, ſequitur, ut omnes ſervitutem accipiant.*

Tac. 15. A. 1.
Cæſ. de B. G. VI. 23.
Tac. 12. A. 37. 2.

XXXII.

XXXII. Quin, si propria nonnunquam aliorumque conscientia prætextu juris & externa specie deluditur: at DEus certe legis, cujus Auctor est, vindictam non deserit: cujus justo judicio sæpissime

οἱ θέλοντες προσλαβεῖν τὰ τῶν πέλας, Stob. Serm.
ἀποτυγχάνουσι πολλάκις νικώμενοι, 53. p. 213.
Τὰ δ' ἴδια προστιθέασι τοῖς ἀλλοτρίοις.

Qui suis aliena quoq; volunt adjicere,
Hi sæpius victi sua spe frustrantur,
Adduntq; alienis, quæ prius erant propria.

ut *Menandri* versus habent. *Dio Chrysostomus* Hesiodeum illud Or. 17. πλέον εἶναι τοῦ παντὸς τὸ ἥμισυ, *dimidium plus esse toto*, etiam *Platoni* de LL. III. laudatum explicans: τίς γὰρ πώποτε (ait) ἢ βασιλεὺς ἢ δυνάστης ἢ δῆμος ἐπιχειρήσας ὑπερβῆναι τὸ δίκαιον καὶ τοῦ πλείονος ὀρεχθῆναι, οὐχ ἅπασαν μὲν τὴν ὑπάρχουσαν εὐδαιμονίαν ἀπέβαλε, μεγάλαις δὲ καὶ ἀμηχάνοις ἐχρήσατο συμφοραῖς; *Quis enim unquam aut rex aut dynasta aut populus, conatus justam mensuram transgredi, & plura appetere, non omni præsente felicitate dejectus, magnis & insuperabilibus calamitatibus est obrutus?* Ut non minus vere de terminis publicis usurpari possit, quod de limitibus privatorum agrorum *Plato* extulit: Μὴ κινείτω γῆς ὅρια· μηδεὶς βουλέσθω δὲ πᾶς πέτρον de LL. IIX. ἐπιχειρῆσαι κινεῖν τὸν μέγιστον ἄλλον, πλὴν ὅρον μᾶλλον ἢ σμικρὸν λίθον ὁρίζοντα φιλίαν καὶ ἔχθραν ἔνορκον παρὰ θεῶν. οἱ μετὰ πολέμων τῶν ἐχθίστων ἐγείρονται. *Nemo fines atq; terminos alieni agri moveat: Sed malit quisq; lapidem ingentem movere, quam terminum quantumvis exiguum: amicitiam quippe ab inimicitia Diis testibus separantem: qui sævissimis bellis solent in sui ultionem insurgere.*

XXXIII. Unde sua sponte consequitur: etsi non statim fulmen abolendæ hominum iniquitati DEUS expediat; cum fiducia tamen justæ ac DEO gratæ possessionis imperium retineri non posse, quod per injuriam aliis est ereptum. quanquam victis, qui se *sub leges pacis iniquæ* tradiderunt, jus pereat, in pristinam libertatem statumque se ac sua vindicandi: cujus persecutio nisi pactorum fide, vel certi temporis limitibus coerceatur, nunquam reditura quiete, turbis bellisque genus humanum consumi necesse erit. Ne de perpetua rerum ac jurium

omnium confusione nunc dicam, qua totus orbis permisceretur, si cuique vindicandi, quæ aliquando possedit, licentia, vel voluntas integra semper maneret. In disputatione parum alias solida non incongrue de suis jam temporibus judicabat *Carneades: Omnibus populis, qui florebant imperio, & Romanis quoq; ipsis, qui totius orbis potiebantur, si justi voluissent esse, hoc est, si aliena restituissent, ad casas fuisse redeundum, & in necessitate ac miseriis vivendum.* Add. quæ in eandem sententiam disserit Gonzaga Dux Nivernensium, apud *Thuan. lib.59.p.42.*

Lactant. V, 16.

XXXIV. Neque tamen hinc minus valide adversus alienorum finium invasores legis naturalis authoritas persistit. A qua veneratio & sanctimonia in *monumenta terminalia* eatenus descendit, quatenus ipsum jus finium propriorum alienorumque, quod per se in externos sensus non incurrit, munere opeque illorum demonstratur. Quod nisi fiat, assidua inter populos conterminos de jure incerto contentio, & novorum bellorum semina erunt: *Ovidius* ad Terminum

Fast. II.

Tu populos urbesq; & regna ingentia finis,
Omnis erit sine te litigiosus ager.

statim subjicit exemplum, *Herodoto I, 82. Valerio Maximo III, 2. extern.4. Plutarcho in Parall. III.* aliisque descriptum:

Si tu signasses olim Thyreatida terram,
Corpora non letho missa trecenta forent:
Nec foret Othryades congestis tectus in armis;
O quantum patriæ sanguinis ille dedit.

Unde vel nullos, vel obscuros confusosque imperiorum terminos esse, inprimis illorum interest, qui de imperio dilatando sunt solliciti: quo difficilius injuria, qua suum aliis eripiunt, intelligi possit. *Plutarchus* de Numa Pompilio. δοκεῖ δὲ καὶ ὅλως αὐτὸς ὁρίσαι τὴν χώραν ὁ βασιλεύς. Ῥωμύλου μὴ βουληθέντος ἐξομαλογίσασθαι τῷ μέτρῳ τοῦ οἰκείου τὴν ἀφαίρεσιν τοῦ ἀλλοτρίου. δεσμὸν γὰρ εἶναι τῆς δυνάμεως τὸν ὅρον ἂν φυλάττηται, μὴ φυλαττόμενον δὲ τῆς ἀδικίας ἔλεγχον. *Tota agrorum distributio ad Numam est referenda: Nam Romulus* (ut concinne *Albericus Gentilis* transtulit) *noluit mensura proprii agri prodere mensuram alieni. Siquidem virium compedes*

in vit. Num.

de Arm. Rom. I, 2.

pedes esse terminos si servarentur, & injuriæ indicium, si non servarentur. Idem *Plutarchus* alibi hoc Romuli propositum dicterio *Spartani Archidami* (quanquam & *Antalcidæ* idem tribuitur) describit: *è quo cum alius quæsisset, qui Spartanorum essent termini? gladius & hasta, respondit.* Neque fieri potest, ut inter quos populos nulli fines statuti sunt, ii aliter, quam armis, aut mutuo metu distinguantur. Ita *Germania* olim *à Galliis quidem Rhætiisq; & Pannoniis Rheno & Danubio fluminibus; à Sarmatis vero Daciisq; mutuo metu aut montibus separabatur.* Inter cæteras autem gentes interpositi limites, demonstrando quidem juri indicium, sed non acquirendo fundamentum præstant. Unde mutati termini non jus mutant, sed juris mutati argumentum sunt. Quare quod à *Grotio* traditum est: *in agris arcifiniis flumen mutato paulatim cursu mutare & territorij fines, & quicquid flumen parti alteri adjecerit, sub ejus imperio esse, cui adjectum est:* illud ex vi & dictamine naturalis præcepti nequaquam descendit. Sed præsumtæ populorum ab utraque fluminis parte ripas possidentium voluntati unice innititur: qui censentur modico detrimento commoditatem naturalis termini velle redimere: qua præsumtione cessante, aliud dicendum, rectè jam est à *Puffendorffio* observatum. Qui vero de naturalibus imperiorum terminis ita disputant, ut *illos à DEO cum effectu præcepti naturalis, ne mutari unquam possint, statutos* contendant; illi quid aliud, quam omnes, quæ nunc latius, quam olim, regnant, sine discrimine gentes, violati juris naturalis insimulant? Cum tamen DEUS, quos terræ posuit terminos, non nisi hominum iniquitati, minime vero juri persequendo, opposuerit. montes vero, flumina, maria hoc tantum à natura habeant, ut, dum transiri difficilius possunt, limitandis distinguendisque populis apta & idonea existant: ab ipsorum vero populorum voluntate ac jure characterem usumque limitum ac terminorum consequantur. Inde non raro fluvii per media regna labuntur, quorum aliquando limites fuere; neque populos mari sejunctos novum est sub commune imperium cogi: & quis neget, vel Italiæ Galliam, vel Italiam Germaniæ subjici potuisse, quod utrinque Alpes interjacet? Ut parum roboris argumento insit, quando in controversiis finium publicorum, vetusti pridemque amissi termini alle-

Quæst. Rom. IIX.

Apoph. Lacon.

Tac. Germ. I, 1.

de J. B. II, 3, 16.

de J. N. & G. lib. 4. c. 7. §. 11.

vid. Gryph. de insul. XIV, 87.

allegantur. Dignum est quod inspiciatur exemplum Artaxerxis apud *Herodianum VI, 2.* qui *omnem Europæ oppositam continentem, quæ mari Ægeo fretoq; Propontidos terminatur, atq; Asiæ nomen habet, ceu veterem Persarum possessionem sibi vindicabat, quod jam inde à Cyro ad Darium usq; cuncta olim Jonia Cariaq; tenus à Persarum Satrapis essent gubernata.* Προσήκειν οὖν αὐτῷ Πέρσαις ἀνανεώσασθαι πᾶσαν ὁλόκληρον τὴν πρότερον ἔχον ἀρχήν. *Idcirco sui muneris esse, curare, ut vetus atq; integrum imperium Persis restitueretur.* Καὶ ταῦτα δὴ τὰ πρὸ Εὐκλείδου ἀνυποστόλως ἀνακινῶν. *ita ille velut ante Euclidem gesta movebat inverecunde*: quo proverbio aliàs ταύτας τὰς μυθικὰς καὶ παλαιὰς ἀποδείξεις non immerito notant Scriptores. vid. *Grot. de J. B. & P. II, 4, 2. & ibi not.*

XXXV. Quominus itaque proferri ac dilatari fines imperii possint, dummodo alteri non inferatur injuria, lex naturalis non prohibet. neque sanctimonia terminorum violabitur; si hac causâ moveantur, ut vel sponte dedita, vel à nemine prius occupata pristinis finibus adjiciantur. *Non est enim cupiditas eripere, quæ nullus se dominus ingemiscat amisisse.* An vero armis & per vim alios subigere, latiusque imperium efficere justum esse possit? dubitatum est: & si quidem ea sperari inter homines felicitas posset, ut nemo per injuriam eos læderet, quibus sine cupiditate alieni sua satis placent; justis bellis neque causæ subnascerentur, neque bonis adversus improbos securitas esset paranda. Nunc iniquitas eorum, cum quibus justa bella geruntur, regna ut crescant, adjuvat: dum, qui priores læserunt, favente rationis naturalis dictamine, omniumque gentium moratarum consensu, vel ut reprimantur, vel intra legitimæ ultionis modum, subiguntur. *Si quies & justitia finitimorum* (inquit *Augustinus de Civ. Dei IV, 15.*) *contra se bellum geri nullâ provocaret injuriâ, felicioribus rebus humanis, omnia regna parva essent, concordi vicinitate lætantia: & ita essent in mundo regna plurima gentium, ut sunt in urbe plurimæ domus civium. Proinde belligerare & perdomitis gentibus dilatare regnum, malis videtur felicitas, bonis necessitas. Sed quia pejus esset, ut injuriosi justioribus dominarentur, ideo non incongrue dicitur etiam ista felicitas.* Qua & apud *Plutarchum* traditur: Τὸν Ἡρακλέα πάντων κρατεῖν ἀμυνόμενον καὶ περιεπιχειρούμενον. *Herculem cuncta subegisse, dum se lacessitus defendit.* Adde, quod

Cassiodor. Var. IV, 34. vid. Alb. Gentil. de J. B. III, 4. Grot. III, 8.

In Vit. Niciæ.

quod nec ſine aſſenſu ſuo in ditionem ac jus victoris redigi videntur, qui, poſtquam ſemel per injurias proprias hoſtili ferro graſſandi impune licentiam fecêre, ſalutem ſuam libertati aut dominationi præferre malunt. Iterum civili cordatoque judicio *Auguſtinus de Civ. Dei XIIX, 2. in omnibus fere gentibus quodammodo vox naturæ iſta perſonuit, ut ſubjugari victoribus mallent, quam bellica omnifaria vaſtatione deleri.* Et *de Civ. D. XIX, 12. Nihil aliud eſt victoria quam ſubjectio repugnantium: quod cum factum erit, pax erit.* Unde ipſam, quæ plena eſt, quæque ultimam bello manum imponit, victoriam, pactum in ſe continere exiſtimo; quod ad violentam imperii occupationem *Puffendorffius* requirit: Nam ut cum *Hornio victos* quis *ſubjugatosq;* nominet, *qui nondum victoris jugo colla ſubmisêre, nondum arma, vel, quod ultimum ſuccumbentibus telum eſt, deſperationem bona fide depoſuere, quique adeo, reluctando, vel cohibendo conſenſum ſuum, non victorem, non dominum agnoſcunt,* illud vix ſenſum congruum habet. *de J. N. & G. VII, 3, 3. de Civ. II, 9, 2.*

XXXVI. Hucuſque *jus* victoris porrigitur. Cætera *æquitati* ejus, *moderationi, prudentiæ* permittuntur: quam præclaris cautionibus *Grotius* inſtruxit munivitque. Symbolum ejus, Romani ex inſtituto Numæ *Sacra Termini incruenta* coluere, etiam alio loco, quam quem *Grotius* laudavit, *Plutarcho* deſcripta: quorum tamen uſus Romæ mox cum ſanctitate morum intercidit. nam quod ad ſua uſque tempora duraſſe *Dionyſius Halicarnaſſenſis* aſſeruit, id communibus *ſcriptorum Romanorum* teſtimoniis refutatur. Meretur interim laudari graviſſima de armis Romanorum *Dionyſii* cenſura: qui, cum *terminos à Romanis Deorum honore cultos* tradidiſſet; ſubjungit: ἐχρῆν δὲ καὶ τὸ ἔργον ἔτι φυλάττειν, οὗ χάριν θεοὺς ἐνόμισαν τοὺς τέρμονας ὀνομάσαι, ἱκανουμένους τοῖς ἑαυτῶν κτήμασι, τῶν δ᾽ ἀλλοτρίων μήτε βίᾳ σφετεριζομένους μηδὲν, μήτε δόλῳ. νῦν δ᾽ οὐχ ὡς ἄμεινον, οὐδ᾽ ὡς πρόγονοι παρέδοσαν, ὁρίζουσί τινες ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων τὰ οἰκεῖα, ἀλλ᾽ ἔστιν αὐτοῖς ὅρος κτήσεων οὐχ ὁ νόμος, ἀλλ᾽ ἡ πάντων ἐπιθυμία· πρᾶγμα οὐ καλόν. *Debuerant autem etiam rem ipſam ſervare, ob quam conſecrati ſunt termini, & contenti propriis poſſeſſionibus, aliena nec vi nec dolo appetere: Nunc non recte neq; more maiorum à ſuis aliena diſterminant; non lege, ſed cupiditate poſſeſſiones finiente: quod iniquum & indecorum eſt.* Neque illo tamen tempore, quanquam inter Ethni-

de J. B. III, 15.

Vit. Num.

Ἀρχ. II. p. 100.

Hhh cos,

cos, in parte diſciplinæ civilis publicè jactabatur, quæ heri aut hodie inter Chriſtianæ politices myſteria oſtentari cœpit regula: *ſtatum, qui amplificando imperio ſtudet, uti ejuſmodi legibus & conſuetudinibus debere, quæ juſtas illi cauſas, aut ſaltem prætextus arma capeſſendi tanquam in promtu miniſtrent.* Quid eſt, inſidias juſtitiæ ſtruere, ſi hoc non eſt? & quantum refert, audaci contumaciâ, an improba cavillatione, Divini juris reverentia proculcetur.

Vid. Bac. Verulam. Serm Fidel. XXIX.



DISSERTATIO XXII.

DE

TRIBUNICIA CÆSS. ROMM. POTESTATE.

Reſp. Joh. Jacobo Heinrici, d. 2. Mart. 1678.

I.

MUlta quidem hujus argumenti ſcitu explicatuque digna occurrunt in vetuſtis monumentis; ſed uſus præcipui obſervationem hodie ſibi vindicat *accuratior temporum notatio*: cui præſidium inde diligentiſſimos quoſque Faſtorum atque Annalium conditores videas mutuari.

II. *Summi faſtigij vocabulum* nominat *Tacitus*, docetque *ab Auguſto repertum, ne Regis aut dictatoris nomen adſumeret, ac tamen appellatione aliquâ cætera Imperia præmineret.* Sed *Tacito* obvertunt *Dionem*, & conſtitutis, velut inter diſſentientes, partibus, utrique accedunt aſſertores non contemnendæ authoritatis. Scribit ſane de Julio Cæſare *Dio*, Romanos illi contuliſſe τὴν ἐξουσίαν τῶν δημάρχων διὰ βίου. *poteſtatem tribuniciam perpetuam.* Attamen novum inſtitutum fuiſſe, cujus repertorem Auguſtum celebrat *Tacitus*, vel id docere queat, quod Julius vim dominationis præcipuam, dictaturæ perpetuæ nomine complexus, tribuniciam poteſtatem inter titulos imperii ſolennes nunquam adhibuit. Ut non niſi partem hujus inventi præiverit Auguſto; etiamſi

vid. Baron. Annal. Eccleſ. ad A. C. 150. n. 6. A. 171. n. 2. A. 276. n. 1. 3. A. 56. 2. vid. Jul. Caſ. Buleng. de Imperat. Rom. I, 14. Jac. Guther. de off. dom. Aug. I, 39. lib. 42. pag. 194. conf. Lipſ. ad Tac. 3. A. 56.

etiamsi concedas, quod tamen erudite negat *Gutherius*, jure tribunicio sacrosanctum fuisse. *de Off. dom. Aug. I, 30.*

III. Sed de Augusti consilio plenius mox suo loco tradetur. De ipsius vero vocabuli origine non debebant Viri eruditi *Tacitum* intelligere. qui non potuit utique ignorare, pridem ante Augustum ordinariam Tribunorum plebis potestatem isthoc potissimum nomine signatam fuisse. quæ & postea sub Cæsaribus, quanquam valde imminuta, perduravit; sed ut à *Tribunicia Principum potestate* semper, si non appellatione ipsa, at vi certe appellationis & significatu distingueretur. Miscet tamen, cogitque sub locum veluti communem *de Tribunis plebis*, *Julius Cæsar Bulengerus*: errore manifesto; à quo facile potuisset deduci testimoniis, quæ ipse alibi cumulat. An cum *Ludovico Aurelianensi* putavit, *Imperatores, cum Tribuniciam potestatem acciperent, Tribunos plebis factos?* ita sensisse jam olim videtur vulgus: sed aliter æstimari volebant Tribuniciam potestatem in titulis suis Principes ipsi. Testis & interpres gravissimus *Dio*: δημαρχεῖν μὲν γὰρ, ἅτε καὶ ἐς τοὺς εὐπατρίδας πάντως τελοῦντες, οὐχ ὅσιον νομίζουσιν εἶναι· τὴν δὲ δὴ δύναμιν τὴν τῶν δημάρχων πᾶσαν ὅσηπερ τὰ μάλιστα ἤνθει, προστίθενται. & paulò post, non diserte minus: ἀφ' οὗ δὴ καὶ ἐκεῖνος (ὁ Αὔγουστος) καὶ οἱ μετ' αὐτὸν αὐτοκράτορες ἐν νόμῳ δή τινι τοῖς τε ἄλλοις καὶ τῇ ἐξουσίᾳ τῇ δημαρχικῇ ἐχρήσαντο. τὸ γάρ τοι ὄνομα αὐτὸ τὸ τῶν δημάρχων οὔθ' ὁ Αὔγουστος, οὔτ' ἄλλος οὐδεὶς αὐτοκράτωρ ἔσχεν.

v. Spartian. Hadr. c. 3. — *de Imperio Rom. V, 42.* — *de Imperat. Rom. I, 14.* — *ad Tac. I. A. 7. p. 31.* — *lib. 53. p. 508.* — *p. 519.*

IV. Quod igitur, *pars regalis imperii*, ut *Vopiscus* vocat, sive ut ex *Tacito* modo referebamus, *summi fastigii vocabulum* habita est *Tribunicia potestas*, id vel ipso *Dione* suffragante ab Augusto repetendum. Cujus undecimo Consulatu scribit *exortum esse, ut & ipse Augustus & Successores ejus Tribunicia potestate uterentur.* Nam cum antea eadem illi bis fuisset oblata, semel vivente adhuc Antonio, cùm devicto mira felicitate Pompejo, & composita seditione militari, in Urbem fuisset reversus; iterumque post victoriam Actiacam: nihil aliud inde sibi videtur aptasse, quàm *tuendæ plebis* prætextum, quo & Pater Cæsar suas partes firmaverat. Postquam vero *paulatim* ab hoc primordio *insurgens*, etiam cætera *munia Senatus, Magistratuum, Legum in se traxit*, Populumque oratione magnifica, qua se redditurum republicam

vit. Tacit. c. 1. — *Appian. B. C. lib. 5. p. 747.* — *Dio lib. 51. p. 457.* — *Tac. 1. A. 2, 2.*

Suet. Aug. 52. cam fingebat, accendit, ut *Dictaturam perpetuam* magna precum atque obteſtationum vi ſibi obtruderet; ratus ematuruiſſe, cui hactenus inſidiatus fuerat, ſtabiliendæ in perpetuum Monarchiæ occaſionem, hoc potiſſimum velamentum tegendis pariter muniendiſque novi Principatus propoſitis excogitavit, quod unice tum efficax erat, ab odio & invidia civium, ſecuritatem Principis, & adductiſſimi, quale formabat, imperii authoritatem ita ſejungere: ut cæteris magiſtratibus præmineret, nec præminere tamen iis nominibus intelligeretur, à quibus quæſita Anteceſſori majeſtas in exitium verterat. Nec dum enim adoleverat eouſque ſervitium publicum, quin *Dictatura*, & non ultra quam oblatum *Regis* nomen, quæ apud Cæſaris interfectores pro incitamento necis patrandæ fuerant, etiam tum multis inter excuſandæ titulos jactarentur. Tribuniciæ vero poteſtatis nomen, præterquam quod ſtatus priſtini non ſpeciem modo ſed authoritatem præferebat, complectebatur inſuper quicquid popularitati blandimentorum ineſt. quorum vis atque gratia geminabatur oppoſitu dictaturæ, quam abdicabat Auguſtus, cum Tribuniciam poteſtatem reciperet: ſi recte habet ſupplementum, quo fragmenta *Tabulæ Capitolinæ* ſarcivit *Onuphrius*: *Imp. Cæſar. Divi F. C. N. Auguſtus dictator perpet. appel-* LATUS. EST. ABDICAVIT. TRIBUNIC. *poteſt. acceptâ.* eratque adeo hæc ſelectiſſima opportunitas, odioſiſſimi tituli permutandi cum gratioſiſſimo: quorum ille ſubruendæ, hic tuendæ libertati fuerat comparatus. Et accedebat hinc æqualitatis democraticæ favor. cui vel propterea tribunicii juris augmenta non videbantur refragari, quia illi potiſſimum conſervandæ natum, per ſuperiorum temporum certamina, adverſus inimica populari libertati faſtigia excreverat. Sed hæc ſimulacra nimirum erant & involucra occultatura culmen illud, quo præminere cætera imperia volebat Auguſtus, non depreſſura: neque hebetatura eminentiæ monarchicæ radios, quamvis illorum ſplendorem in oculis intuentium mitigarent. Omnino enim hîc, (quæ ſunt verba Beati *Bœcleri* noſtri) *cum democratiæ ſimulacrum nominatur, cogitanda eſt vis Monarchiæ. quæ non melius quam ſub diverſiſſima facie intendi poterat.*

Suet. Jul. 76.

Bœcl. ad Tac. l. A. 2. Add. Forſtner. ad Tac. l. A. pag 14. & ſeqq. Clapmar. Arcan. lib. 6 cap. 6. Comm. Faſt. lib. 2. p. 179.

vid. Clapmar. Arcan. lib. 3. cap. 23. Bœcl. ad Tac. Annal. I, 2. p. 48. Bodin. de Rep III, 6. p. 317.

V. Su-

V. Supererat ex incunabulis Tribunatus, quod VETANDO intercedere magistratuum reliquorum placitis, eaque irrita reddere poterant Tribuni; ipsi vero ut facerent quid inviti vel omitterent, cogi ab alio nemine. Ad hoc ut sacrosancti essent & inviolabiles, lædique adeo dicto vel facto à quoquam sine capitali reatu non possent. Nam quod apud *Livium, juris interpretes* lege, quæ de securitate Tribunorum plebis, ædilium, judicum, decemvirorum lata est, ut, qui horum alicui nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset, negabant, *quenquam sacrosanctum esse; sed eum qui eorum cuiquam nocuerit, sacrum sanciri*: id partim ad nominis rationem pertinet; partim referendum est ad declarandam Tribunorum plebis præ cæteris magistratibus eminentiam & prærogativam singularem: quos eodem loco testantur juris interpretes, *vetere jurejurando plebis, cum primum potestatem eam creavit*, utique *sacrosanctos esse factos*. atque hinc prehendi ducique à majoribus magistratibus non potuisse. cum ipsi jus prehensionis in quosvis alios exercerent.

Brisson. de Form. lib. 2. p. 237. Cic. de LL. III, 3. Dionys. Halic. VI. p. 410. Dio. Lib. 53. p. 908. III. 55. vid. Hug. Grot. de Jur. B. & P. III, 19. 8. Gell. N. A. XIII, 12. Suet. Tib. c. 11.

VI. Accesserunt nova subinde incrementa: ut rogare legem possent, universum populum obligaturam: itemque, ut Senatum convocare & ad eum de Repub. referre. quod antea Consulibus proprium fuerat. unde non dubitavit de suis adhuc temporibus scribere *Lælius Felix libro primo ad Q. Mucium*: tribunos neque advocare patricios, neque ad eos referre ulla de re posse. sed hoc jus pridem fuisse antiquatum discas ex *Dionysio Halicarnassensi*. qui jam ab Icilio Tribuno pl. M. Valerio & Sp. Virginio Coss. imminutam hac parte Consularem potestatem, Tribunosque in ejus consortium assurrexisse, refert. ut rem haud quaquam novam instituerit Tiberius, quando ipse quoque *edictum, quo Patres in curiam vocabat, Tribuniciæ potestatis præscriptione posuit sub Augusto acceptæ*.

Liv. III, 55. Gell. N. A. XV, 27. Ant. lib. 10. p. 657. Tac. 1. A. 7. Suet. Tib. c. 23.

VII. Etenim ex instituto Augusti assumebant Imperatores Tribuniciam potestatem, cum accessionibus hisce aliisve omnibus, ὅσηπερ τὰ μάλιστα ἐγένετο, ut *Dio* complectitur: nempe cum illo etiam insigni augmento, quo sub nomine Tribuniciæ potestatis antea P.R. concesserat Augusto, τοῖς ἐπιβοωμένοις αὐτὸν, καὶ ἐντὸς τοῦ πωμηρίου καὶ ἔξω μέχρι ὀγδόου ἡμισταδίου ἀμύνειν, ὃ μηδενὶ τῶν δημαρχούντων ἐξῆν. quod *idem paulo ante* annotavit. Qui de

lib. 53. p. 508. lib. 51. p. 457.

 cætero

cætero & reliqua momenta hujus elogii diligenter expressit, & robur ejus atque efficaciam haud postremam inde repetendam admonuit, quod jure ordinario & in statu libertatis usitato, præcipua quæque, quibus summi imperii potestas eminet, in Imperatores devolvere videretur, ita ut ea omnia velut legibus concessa possent agere. Adde, quod lex de sanctimonia Tribunorum Plebis jurejurando sacrata erat, quo se posterosque suos Populus Romanus imprecatione singularis exempli devoverat, si ab ejus observatione unquam recederet. ἵνα μὴ εἰς
Ant. lib. 6. p. 410. τὸ λοιπὸν (inquit *Dionysius Halicarnassensis*) τῷ δήμῳ ἐξουσία γένηται καταπαῦσαι τόνδε τὸν νόμον, ἀλλ' εἰς πάντα τὸν χρόνον ἀκίνητος διαμένῃ, πάντας ἐτάχθη Ῥωμαίους ὀμόσαι καθ' ἱερῶν, ἦ μὴν χρήσεσθαι τῷ νόμῳ καὶ αὐτοὺς καὶ ἐγγόνους τὸν ἀεὶ χρόνον.

IIX. Eminebat itaque per hoc etiam jusjurandum Tribunicia potestas præ cæteris imperiis: non tantum, quia, ut ex *Livio* superius referebamus, religione publica defendebatur, sed quia insuper hac ratione sanctimonia ejus perpetua reddita est. Ut omnino apta esset hæc appellatio, qua non magis sua imperia *præmuniret* Augustus; quomodo emendandum *Taciti*
de Offic. dom. Aug. I, 39. locum contendit *Gutherius*; quàm cæterorum magistratuum imperia *præmineret*, ut vulgata lectio habet; quam puto veriorem. Nam cur verbum *præminere*, tanquam *à probatis authoribus vix receptum*, isthic non feramus? quod tot locis aliis indubie
12. A. 33, 1. 15. A. 34. 3. &c. *Tacitus* usurpat; nove quidem, sed ex usitatissimis, nec absque ratione compositum. *Ludovici* vero *Aurelianensis*, pro, *imperia*
ad d. loc. Tac. *præmineret*, reponentis, *imperio præmineret*, multo etiam minus ferenda est mutatio.

Fulv. Ursin. & Cl. Patin. in Famil. Rom. passim. IX. Ipse Augustus hoc invento suo & statim gloriatus est publicis monumentis, & postea fortiter usus, quando successoribus exemplum instituit, ut Tribuniciæ potestatis præscriptione quidem annos imperii signarent, communicatione vero monarchicam successionem adornarent. Suberat civilis
Suet. Aug. c. 27. animi species, cum Augustus *per singula lustra semel atque iterum in Tribunicia potestate collegam sibi cooptaret*. Sed parabantur subsidia stabiliendo in domo sua principatui, cujus sive spei sive consilii propiora veluti munimenta sicut primo in Agrippa, mox in Tiberio sibi comparaverat; quando illos hoc inter cætera

tera ornamento in ſummæ fortunæ non ſucceſſionem modo, ſed conſortium auctoravit: ita non indocilem hujus quoque artis imitatorem reliquit. *Iſthoc* enim *exemplo* Tiberius æque valide, ſed & æque occulte proviſurus, *ne ſucceſſor in incerto foret, quia ſic cohiberi pravas aliorum ſpes rebatur, Druſum ſummæ rei admovit.* quod poſtea diu, cum tali calliditate imperantibus opus amplius non eſſet, honoris tamen dignitatiſve cauſa retentum eſt. *Tac. 3. A. 56, 3.*

X. Ita cum *perpetuam* recepiſſet Auguſtus Tribuniciam poteſtatem, quia nempe *conſultum non videbatur, vel ad momentum dimittere hoc Palladium ſanctitatis*; renovari tamen annuatim placuit; tum ut imago tribunatus ordinarii, qui per leges annuus erat, conſervaretur, tum quia majeſtatis hinc petitæ vigor quo crebrius reſuſcitabatur, eo vileſcere minus poterat. idemque inſtitutum ſecutus eſt Tiberius. etiam cum quinquenniis hanc poteſtatem ipſi admetiretur populus & id morem peperit, ut anni Principatus deinceps Tribuniciæ poteſtatis ſerie numerarentur. Qui non ab eo demum tempore introductus eſt, ut opinari Viros quoſdam eruditos video, quo *M. Silanus in Senatu pro ſententia dixit, ut publicis privatiſve monimentis, ad memoriam temporum, non Conſulum nomina præſcriberentur, ſed eorum qui Tribuniciam poteſtatem gererent*: verum ab Undecimo ſtatim Conſulatu Auguſti, quo jam ſuperius oſtenſum eſt, hunc veluti ſolennem titulis Imperatoriis characterem acceſſiſſe. Nam Silani quidem ſententia, qui ex contumelia Conſulatus honorem Principibus petiverat, nec tum nec poſtea unquam obtinuit. manſit quippe, qui tum fuit mos, ut memoria temporum præſcriptis Conſulum nominibus diſtingueretur. Sed annos duntaxat Principalis aut Cæſarei faſtigii, eo quo mox explicabimus modo, ſignabat numerus Tribuniciæ poteſtatis. *Bœcl. ad Tac. I. A. 2.* *Suet. Tib. c. 9. & 19.* *Tac. 3. A. 57, 2.*

XI. Qua quidem in re probanda licet aſſiduus omnium fere, quotquot ſuperſunt, publicorum monumentorum uſus alia quævis teſtimonia ſuperflua reddat, extat tamen & diſerta *Dionis Caſſii* annotatio: quam hactenus pro fundo non immerito habuerunt, qui juxta iſthanc cynoſuram emendare annalium faſtorumque computationem aggreſſi ſunt. *Δι' αὐτῆς (τῆς τῶν δημάρχων ἐξουσίας)* inquit ille, *καὶ ἐξαρίθμησις τῶν ἐτῶν τῆς ἀρχῆς αὐτῶν* *lib. 53. p. 508.*

(τῶν

(τῶν αὐτοκρατόρων) ὡς καὶ καθ' ἔτος αὐτὴν μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων λαμβανόντων, προβαίνει. inde quotidianum in publicorum operum, nummorumve, ſed & reſcriptorum Imperatoriorum inſcriptionibus: TR. P. vel TRIB. POT. II. III. &c. & in Græcis monumentis ΔΗΜ. ΕΞ. Α. Β. Γ. vel ſimplicius ΕΤ. Α. Β. vel L. Α. L. Β. quo non minus, quàm prioribus illis literis, annos Tribuniciæ poteſtatis ſignari uſitatum fuit. quanquam ſe mihi nondum probaverit vulgata hujus notæ L. expoſitio; ut hac velut initiali literâ, Λυκάβας, priſco ſignificatu, ſicut ex *Macrobio* repe-
An. 1294. tunt, pro *anno* indicari videatur. nimis graviter urgent in adverſum, quas illi pridem in *Animadverſionibus Euſebianis Scaliger* rationes oppoſuit. Cujus tamen nec Λουστρον univerſe arridet.
ad Suet. Aug. c. 87. Potius acceſſerim *Caſaubono*, qui pro ſigno circumductionis habuit, quo literæ in verſus fine redundantes, vel numerales notæ includi ſolitæ ſunt.

ad lib. 2. *Faſt. p.* 177. XII. Eſt autem hic minime prætereunda *Onuphrij Panvinij* obſervatio: *Annos Tribuniciæ poteſtatis à primo quidem imperij die numerandos in iis imperatoribus, qui ex privatis ſtatim ad Imperij faſtigium evecti eſſent. aliud vero numerandi principium eſſe quærendum in iis, qui ante fuiſſent imperij ſucceſſores ab aliis deſignati. ut ab Auguſto Tiberius, à Veſpaſiano Titus, à Nerva Trajanus, ab Hadriano Pius, à Pio Marcus, ab hoc Commodus, à Severo Caracallus & Geta: qui Tribuniciam poteſtatem ante diem ſingularis eorum imperij obtinuerunt.*

XIII. Quæ ſatis oſtendit, fruſtra ſe in confutanda vulgata opinione *Scaligerum* torſiſſe, cum ex nummis M. Aurelii Phil. in quibus legerat L. ΛΔ. vel in Titi L. ΙΑ. vel in Pii L. ΕΙΚΟϹΤΟΥ ΤΕΤΑΡΤΟΥ. eam impugnaret. hi enim tot annis licet non imperaverint, geſſerunt tamen Tribuniciam poteſtatem; cujus in his nummis calculus ſignatur. Utpote cujus conſortium ante adepti fuerant, quam imperarent. De Marco perſpicuum eſt
in M. Ant. Phil. c. 6. *Capitolini* teſtimonium: *Secundum etiam Cos. deſignavit* (Pius) *cum ipſe quartum pariter iniret --- --- Poſt hæc Fauſtinam duxit uxorem, & ſuſceptâ filiâ, Tribunicia poteſtate donatus eſt, atq; Imperio extra*
Tit. c. 6. *urbem Proconſulari.* De Tito *Suetonius*, poſtquam reditum ejus in Urbem deſcripſiſſet, addit: *Neq; ex eo deſtitit participem atq; etiam tutorem Imperij agere. Triumphavit cum patre, cenſuramq; geſſit*

gessit unà. Eidem Collega & in Tribunicia potestate, & in septem Consulatibus fuit. De Antonino Pio *Capitolinus* iterum: *Adoptatus est quinto Kalendas Martias die. Factusq; est Patri & in Imperio proconsulari, & in Tribunicia potestate collega.* *Ant. Pi. C. 4.*

XIV. Major difficultas superest in eo, quod nonnunquam etiam in illorum Imperatorum titulis, qui, ut *Onuphrius* loquitur, *ex privatis ad imperij fastigium evecti sunt*, numerus tribuniciæ potestati adscriptus, annos imperii illorum videtur excedere. Seligemus tria exempla intricatiora: Nervæ, Severi, tum Galli Hostilii & Volusiani. Et *Nervæ* quidem imperio assignat *Dio* annum duntaxat *unum*, menses *quatuor*, dies *novem*: nec discrepant nisi paucis diebus *Chryseros, Clemens Alexandrinus, Theophilus Antiochenus, Eusebius, Eutropius*, cæteri. At superest vetus inscriptio reperta Romæ in epistyliis columnarum palatii Nervæ in foro ipsius: *ap. Gruter. p. CLXXXV. Insc. 4.*

IMP. NERVA. CÆS. A...
TRIB. POTEST. III. IMP. II.

cui suffragantur nummi, in quibus: *ap. Golz. & Occon. in Nerv.*

IMP. NERVA. CÆSAR. AVG. GERM.
P. M. TR. P. III. COS. IIII. IMP. II. P. P.

iterumque:

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ ΝΕΡΟΥΑ ΚΑΙϹΑΡΟϹ ΣΕΒΑϹΤΟΥ
ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ ΕΤΟΥϹ Γ.
&
ΑΥΤ. ΝΕΡΟΥΑϹ. ΚΑΙϹ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. ΑΡΧ. ΜΕΓ. ΔΗ. ΕΞ. Γ.

In annis *Severi* assignandis talem scriptorum consensum deprehendere non licet; Nam *Herodianus* regnasse scribit ὀκτωκαίδεκα ἔτεσιν; *III. 15.* quot illi etiam tribuit *Victor*: sicut & alii; qui nimirum utuntur numero rotundo: *Spartianus* tradit, decessisse *c. 19.* anno Imperii decimo octavo. Sed *Dio Cassius*, qui eodem, quo Severus, tempore floruit, quique & ipsius Severi, & Filiorum ejus res accuratissimè habuit cognitas, designat specialius, præfinitque annos Imperii *septendecim*, menses *octo*, dies *tres*. In titulis tamen & elogiis publicis occurrit:

SEVERVS PIVS AVG. BRIT.
P.M. TR. P. XIX. COS. III. P.P.

item:

P.M. TR. P. XVIIII. COS. III. P.P.

Gallo Hostilio & *Volusiano* adscribunt, qui diligentius computant, imperii annos *duos*, menses *quatuor*. Cum in nummis eorundem legatur diserte:

ap. Occon. An. I. C. 256.

IMP. C. C. VIB. TREB. GALLVS P.F. AVG.
P.M. TR. P. IIII. COS. II. P.P.

tum

IMP. CÆ. C. VIB. VOLVSIANO AVG.
P. M. TR. P. IIII. COS. II. P.P.

& in Græcis:

ΑΥΤ. Κ. Γ. ΟΥΙΒ. ΤΡΕΒΩΝ. ΓΑΛΛΟϹ ΔΗΜ. ΕΞΟΥϹ. Δ.

item:

ΑΥΤ. Κ. Γ. ΟΥΙΒ. ΟΥΩΛΟΥϹΙΑΝΟϹ ϹΕΒ. ΔΗΜ. ΕΞΟΥϹ. Δ.

ad Fast. II. p.180.

Putavit quidem *Onuphrius*, tolli plerasque contradictiones ea computandi ratione, quam ipse commonstravit, quaque cum annis imperii ita perducit numeros Tribuniciæ potestatis, ut quo die e. g. secundus Imperii annus procedere incipit, eodem Tribuniciæ quoque potestatis II. numerare aggrediatur. Mihi vero prorsus est persuasum, nisi novus alicunde calculi subducendi modus eruatur, nunquam fore, ut, quos indicavi, nodi solvantur. Nisi quis velit iis dissecandis ensem Alexandri admovere, & corruptas pronuntiare inscriptiones has, aliasve quamplures, quæ vulgari computo non minus acriter adversantur. Ex acutiorum temporum Doctoribus video tentasse aliquos, an Kalendis forte Januariis Imperatores potestatem tribuniciam iteraverint, ut cum novo anno Juliano nova potestas Tribunicia inchoaretur? Sed adversus hanc conjecturam attentiori nummorum & inscriptionum aliarum comparatione deprehendisse mihi certo videor, verissimum esse, quod *Onuphrius* asseruit, *fere semper usuvenisse, ut unum annum Julianum duo Tribuniciæ potestatis anni participarent, & ècontra unus tribuniciæ potestatis annus duos Julianos attingeret.* Quî enim alias fieri potuis-

vid. Dionys. Petav. Doctrin. Temp. lib. XI. cap. 36. Add. Henr. Noris diss. de Num. Diocl. & Licin. p. 66.

potuiſſet, ut duorum annorum diverſi Conſulatus in unum Tribuniciæ poteſtatis annum congruerent; & viciſſim duos Tribuniciæ poteſtatis annos, idem, unius anni, conſulatus amplecteretur? quod fieri utique ſciunt, qui in priſcis monumentis non ſunt prorſus hoſpites. In eo vero lapſum puto Virum alias diligentiſſimum, cæteriſque errandi viam præiviſſe, dum non iis, quibus debebat, limitibus, numerum Tribuniciæ poteſtatis in partes anni Juliani deſcripſit. Verba, quibus ſententiam ſuam declarat, ſunt iſta: *Illud animadvertendum, quemq; tribuniciæ poteſtatis annum duorum annorum Julianorum partem occupaſſe, quo animadverſo pleræq; contradictiones tolluntur. quapropter & ego per ſingulos annos Julianos duos Tribuniciæ poteſtatis annos conſtitui, eum videlicet, qui eſt à Cal. Januariis ad diem acceptæ poteſtatis, & eum, qui ab eo die ad finem anni Juliani producebatur.* *ad Faſt. lib. 2. p. 180.*

XV. Bene, meo judicio, quod iterum dico, initium numerandæ periodi Tribuniciæ deducit à die acceptæ poteſtatis: ſed ejuſdem renovandæ iterandæque principium non videtur eo, quo oportebat, tempore definitum. Ac niſi me omnia fallunt, ſeduxit à recta via Panvinium, cæteroſque quos ego vidi Chronologos Faſtorumque & Annalium ſcriptores, teſtimonium, quo hac in re unice nituntur, *Dionis* non recte expenſum. Verba *Dionis* huc facientia ita convertit *Panvinius*: Ex Tribunicia poteſtate *numerabant Imperatores annos Imperii, quaſi eam ſingulis annis tanquam perpetui tribuni caperent.* Vel hic locus documento eſſe queat, quàm non ſit alienis oculis ingeniove in alterius præſertim linguæ Scriptoribus fidendum. Græca enim quam diverſe ſonant? retulimus antea: ſed repetiiſſe non erit ſupervacuum. *δι' αὐτῆς καὶ ἡ ἐξαρίθμησις τῶν ἐτῶν τῆς ἀρχῆς αὐτῶν, ὡς καὶ κατ' ἔτος αὐτὴν μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων λαμβανόντων, προβαίνει.* Condonetur perſpicuitati elegantia: nec vero aliud quicquam dicit *Dio*, quam: *Per illam* (Tribuniciam Poteſtatem) *procedit etiam computatio annorum Imperii eorum* (Imperatorum:) *utpote qui eam quotannis cum quibusq; Tribunis plebis ſuſcipiunt.* *μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων*, ad verbum latine reddi non poteſt: perinde ut illud tritum Thucydidis: *καὶ τὰς ἀεὶ πληρουμένας ναῦς ἐξέπεμπον πρὸς τοὺς ἐναντίους.* *B.P. lib. 8.* à ſenſu recedit longiſſime, *tanquam perpetui Tribuni.* Melius vulgatæ *Dionis* verſiones *cum Tribunus plebis ejus anni*: vel

ſimplicius: *cum Tribunis plebis.* poſſes magis ſignificanter: *cum iis, qui ſubinde Tribuni plebis ſiunt.* Unde quidem veluti de plano prodibit, ut renovandæ periodi Tribuniciæ terminum non in die natali acceptæ poteſtatis aut imperii, ſed in eo tempore conſtituere oporteat, quo Tribuni plebis ordinarii magiſtratum inibant. quod nemo ignorat in principium Decembris congruiſſe, non antiquiſſimis tantum moribus Pop. Rom. & circa ipſam tribunatus originem; ſed adhuc ſub Cæſarum Monarchia. De ſua ætate teſtatur *Dionyſius Halicarnaſſenſis*: enumeratis enim, qui primi Tribuni creati ſunt, ſubjicit: οὗτοι δημαρχικὴν ἐξουσίαν πρῶτοι παρέλαβον οἱ πέντε ἄνδρες, ἡμέρᾳ τετάρτῃ πρὸ τῶν εἰδῶν Δεκεμβρίων, ὥσπερ καὶ μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου γίνεται. Pro *quarto Idus decembres* ipſis *Nonis Decembribus initum hunc magiſtratum* videtur innuere *Cicero.* ſi genuina eſt, ut *Gruchio* videbatur, & incorrupta *Aſconij Pediani* lectio. de quo non ſimplex ambigendi cauſa ſupereſt. Sed quod diſcrepat, adeo eſt exiguum, ut abſque jactura veritatis in medio poſſit relinqui. Sive enim decembris die X. cum *Dionyſio*, ſive V. cum *Cicerone* initum Tribunatum admittamus, ſique aſſentiamur *Dioni*, Principes Romanos ſingulis annis cum Tribunis Ordinariis Tribuniciam poteſtatem ſuſcepiſſe; mirandum non erit, ſi aliquando in Conſulatus diverſorum annorum unus Tribuniciæ poteſtatis numerus porrigatur. quod etiam in Tribunatu ordinario peculiaris annotationis Veteribus ſubinde occaſionem præbuit. Videantur, quæ ad *Aſconium Pedianum* erudite conſignavit *Carolus Sigonius*: addaturque *Livij* præſertim contra *Valerium Antiatem* de obitu Scipionis nobilis diſputatio. Ubi inter cætera: *Hic Nævius*, ſcribit, *in magiſtratuum libris eſt Tribunus Plebis, P. Claudio, L. Porcio Coſſ. ſed iniit Tribunatum Appio Claudio, M. Sempronio Coſſ. ante diem quartum Idus decembres. inde tres menſes ad Idus Martias ſunt; quibus P. Claudius L. Porcius Conſulatum inierunt.*

lib. 6. p. 410.

de Com. Rom. II, 6. in Verr. Act. 1. c. 10.

ad p. 142. XXXIX, 52.

XVI. De ratione igitur computandi annos Cæſarum juxta numeros Tribuniciæ Poteſtatis ita forte ſentiendum fuerit. quo quiſque tempore Imperator Tribuniciam poteſtatem acceperit, ab eo primam periodum Tribuniciam numeratam fuiſſe, ad Tempus, quo Tribuni ordinarii magiſtratum inibant: ab eo autem tempore TR. POT. II. computari ſolitam, ad Nonas,

nas, vel IV. Id. Decembr. anni Juliani ſequentis, à quo principio TR. POT. III. cœpit procedere.

XVII. Exempla, quæ ſuperius produximus, mutuabuntur ab hac obſervatione lumen, & id illi viciſſim reddent, veluti fœnore. *Nerva* Imperium auſpicatus eſt, juxta *Petavij* calculum, die Septembris XIIX. An. Chriſti XCVI. obiit Januarii die XXVII. Anni Chriſti XCIIX. *Doctr. Temp. XI, 11.* Prima itaque Tribunicia periodus finita eſt die V. vel X. Decembris A. C. 96. inde proceſſit ſecunda ad d. V. vel X. Decembr. A. C. 97. à quo tempore ad diem XXVII. Januarii 98. qui cuſi ſunt nummi quæve inſcriptiones publicatæ, eæ utique TR. POT. III. fuerunt ſignandæ. *Severus*, ex computo ejuſdem, cœpit imperare circa Calendas Junii An. Chr. CXCIII. deſiit Februarii die IV. An. Chr. CCXI. primam igitur Tribuniciæ Poteſtatis periodum concluſit dies V. vel X. Decembr. An. Chr. 193. inde numerata eſt TRIB. POT. II. quo fiet itidem, ut iis, quæ geſta ſunt à die V. vel X. Decembr. Anni Chr. 210. ad diem Severi emortualem, ſc. IV. Febr. A.C. 211. non potuerit niſi TR. POT. XIX. præſcribi. Nec tamen exceditur modus temporis, quem Severi imperio diximus præfiniri à *Dione*. Quo minus induci debuit *Cardinalis Baronius* in examinandis *Galli & Voluſiani* annis, ut ex nummorum inſcriptionibus, in quibus legitur TR. POT. IIII. contra veterum omnium authoritatem, aſſereret, illos non biennio vel paulo amplius regnaſſe, ſed ad quatuor annos Imperium propagaſſe. *Annal. Eccl. ad A.C. 257. n. 35. & 36.* Succeſſerunt illi Deciis Menſe Novembri An. Chr. CLI adeoque anni ejuſdem Decembri inchoarunt TR. POT. II. ut etiamſi An. Chr. 153. exeunte, vel ineunte A.C. 154. extinctos, adeoque duos duntaxat annos cum paucis menſibus regnando expleviſſe ſtatuamus, attigiſſe tamen TR. POT. IIII. ſit admittendum. Et ſudavit tamen *Baronius*, ut *aperiret, unde irrepſerit err r, ut quod certum ſit annos quatuor eoſdem imperaſſe, non niſi biennium eorum imperio tribuatur.* Sed niſi *Dionis*, quam hactenus tueri conamur, interpretatio, rationibus idoneis convellatur, non erit aperire arduum, in quam multos errores neglectus ejus *Baronij* & aliorum computationem præcipitaverit. Sed id non eſt hujus loci: quo diffuſioris diſputationis non ambitum explere, ſed occaſionem ſuppeditare animus fuit.

XIIX. Verbo tamen, antequam finiamus, liberanda eſt fides *Suetonij*: cum Veſpaſianum ſcribit *Tribuniciam poteſtatem & Patris Patriæ appellationem non niſi ſero recepiſſe*. Nonne enim, inquiunt, reclamant nummi & marmora antiqua, in quibus totidem TR. POT. numeri occurrunt, quot anni imperii numerantur? Sed pone Veſpaſianum obiiſſe IIX. Kal. Jul. Anni æræ Chriſtianæ LXXIX. poſtquam imperaſſet annos decem, diebus ſex minus: à Calendis nempe Julii An. Chr. LXIX. cum in nummis & lapidibus non occurrat ultra TR. POT. X. potuit eam anno & amplius diſtuliſſe, ut tamen calculus congruat: quod comparatione cæterorum Principum, qui ſtatim hæc nomina ſolebant invadere, erat plane *ſero recipere*.

c. 12.

Petav. Doctr. Temp. lib. 11. p. 676.

XIX. De nummo M. Aurelii Cæſaris, in cujus adverſa parte Romæ ſedens galeata cum adſcripta gemina Tribunicia poteſtate nempe TR. POT. VII. TR. POT. IIX. vel ob id malim judicium ſuſpendere, quia hucuſque nullum niſi unici exempli ectypum inſpicere datum eſt. quem *Doctiſſimus Spanhemius* publicavit. Eſt autem in hac etiam arte, ſola fere è tenebris emergendi via, quam repertum vetuſtorum inter ſe monumentorum comparatione lumen, ad veritatem commonſtrat.

de præſt. & Uſ. numiſm. diſſ. IIX. p. 702.

COROLLARIA.

I.

Pueri & puellæ novorum hominum, quos à Marco Anton. Philoſopho, ob Filiæ matrimonium, *frumentariæ perceptioni adſcriptos* tradit *Capitolinus in Marc. c. 7.* non fuerunt, ut *Baronio* viſum, *Liberi Chriſtianorum*.

II.

Philippus Arabs non eſt Chriſtianis Imperatoribus accenſendus.

III.

Epiſtolæ *Chriſti* S. N. ad *Abgarum* & *Abgari* ad *Chriſtum* non ſunt genuinæ.

DISSERTATIO

Dissertatio XXIII.

DE CIRCUMVENTIONE IN CONTRACTIBUS LICITA.

I.

QUod vulgo traditur, *jura vigilantibus scripta esse*, ejus dicti fides, tum in aliis negotiis civilibus, tum in contractibus & conventionibus præcipue sese exerit. Cum enim humani ingenii ea sit indoles, ut res suas quovis meliori modo cupiat promovere, divinis quidem humanisque legibus prospectum est, ne cum aliorum injuria id facere liceat: ut autem nostra commoda alienis commodis posthabeamus, nec civili jure, nec ordine charitatis obstringimur. vid. *l.14. pr. ff. de præscript. verb. l.2. §.9. ff. de aqua & aqua plu. arcend.*

Resp. Joanne Augustino Claudio le Laboureur, d. 3. Dec. 1682.

II. Ex ista ratione responderi generaliter potest, quando quæritur: *an & qualis circumventio in contractibus licita sit?* ea nimirum, quâ citra cujusquam injuriam nobis utilitatem aliquam præ altero paramus. Cum enim vix alio proposito quam utilitatis alicujus expediendæ, promovendæque causâ, homines contrahere soleant; Suo quodam jure faciet, qui finem istum obtinere contendit. Unde consequens est, quamdiu hosce terminos non egreditur is, qui contrahit; alterum, cum quo contrahit, de damno conqueri non posse. vid. *l.151. de R.I.*

III. Neque statim dolus malus supponendus est, etiamsi circumventio adsit. Potest enim *dolus bonus* esse: quod nomen pro *Solertia* veteres accipiebant. *l.1. §.3. ff. de dol. mal.* add. *Gothofr. ad L.16. §.4. ff. de min.* agnovit hoc, rigidissimus alioquin officiorum censor, *Cicero de off. lib.3. cap.5.* postquam enim ostendit, *detrahere aliquid alicui, & cum aliorum injuria suum augere commodum, magis esse contra naturam, quam sit mors, quam paupertas,*

pertas, quam dolor: statim subjungit: *proprias tamen res licere curare ante cæteras. nam,* inquit, *ut sibi quisq; malit, quod ad usum vitæ pertineat, quam alteri acquirere, concessum est non repugnante natura; illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes, augeamus.*

IV. Debet itaque juris alieni violatio abesse, ut circumventio licita sit. Cum autem duo sint pactorum genera, alia publica, alia privata *l.5. pr. ff. de pact.* in utrisque videndum est, quale jus sit paciscentium, ut hinc eo melius dijudicari possit, quomodo jus istud violetur; & in quo discrimen circumventionis licitæ ac illicitæ consistat.

V. Primarium itaque jus, quod ipsa natura in conventionibus exigit, in eo consistit, ut servetur æqualitas, ita ut ex inæqualitate minus habenti jus oriatur contra eum, qui plus consecutus est. Sicut ex fine contractuum demonstrat *Puffendorfius de jur. nat. & gent. lib.5. cap.3.*

VI. Ista æqualitas cernitur vel in actibus, vel in re, de qua agitur. *Actus* alii præcedunt contractum, alii constituunt eundem. Illos, *præcedaneos*; *hos, principales,* vocat *Grotius de J. B. & P. lib.2. cap.12. §.8.* in omnibus hisce, si talis circumventio interveniat, quæ æqualitatem istam tollat, ea putari debet illicita: si vero æqualitatem istam non lædat, sed extra eam versetur; erit licita.

VII. Inprimis vero æqualitatis istius ratio haberi debet in consensu paciscentium *l.1. §.2. ff. de pact.* cum autem consensus constet intellectu & voluntate, idcirco in actibus, qui præcedunt contractum, ante omnia requiritur, ut is, qui cum aliquo contrahere vult, nihil dicat, vel faciat, quo alterius intellectus vel voluntas tollatur, aut impediatur. Adeoque error, qui intellectui adversatur, itemque vis ac metus, tanquam voluntatem turbantes, abesse debent. *l. 106. pr. & §. 2. de R. I. l. 15. ff. de jurisdict. l.1. ff. qd. metus caus.* unde intelligi potest, quod *Pomponius* respondit in *l.57 ff. de O. & A. in omnibus negotiis contrahendis, sive bona fide sint, sive non sint, si error aliquis intervenerit, ut aliud sentiat qui emit, aut qui conducit, aliud qui cum his contrahit, nihil valere quod actum sit.* Ubi tamen discrimen notandum est, quod intercedit inter contractus bonæ fidei, & inter contractus

stricti

stricti juris: itemque an dolus, quo alter in errorem inductus est, causam dederit contractui, an vero tantum inciderit in contractum. ut discerni possit, an id, quod actum est, ipso jure nullum sit, an vero alio quopiam remedio rescindi debeat. vid. *l.7.pr.ff. de dol.mal. l.13. §.4. & 5.ff. de act. emt. l.36. ff. de V. O.*

IIX. Atque huc refertur etiam, ut alter alteri qualitates ac vitia rei, de qua agitur, sibi cognita, significet. Quicquid enim in his celandi causa agitur omittiturve, id in circumventionum illicitarum classe ponendum est: sicut ex jure naturali demonstrat *Cic. de off. lib.3.* apud Romanos Ædilitium edictum in id propositum erat, uti patet ex *l.1. §.1. l.18. pr. ff. de Ædil. edicto.* atque in eos, qui contra fecerant, duplex prodita est actio, *redhibitoria* nimirum ac *æstimatoria*: illa, ut res vitio affecta restituto pretio recipiatur; hæc, ut, salvo quoad cætera contractu, tantum pretii restituatur, quanto minoris res est ob vitium *l.60. & 61. ff. de Ædil. edic.*

IX. Quod de circumventionibus intellectui contrariis dictum est, idem de his sentire debemus, quæ voluntatis usui adversantur. Quicquid itaque cum metu contrahendi causa incusso conjunctum est, illud injustum haberi debet. Idque & naturali ratione, qua is, qui metu inductus est ad promittendum, damno affectus videtur: & civili jure, quo contra talem metum restitutio in integrum aliaque remedia idonea conceduntur. vid. *l.14. §.2. l.ult. §.1. & 3. ff. quod met. caus. Grot. de J. B. & P. lib.2. cap.11. p.7.*

X. Egimus de actibus, qui conventionem præcedunt. Sequitur actus principalis; qui potissimum in ipsa licitatione, & determinatione pretii ac mercedis, in contractibus non gratuitis, consistit. Hic autem talis desideratur æqualitas, ut ne plus exigatur, aut minus offeratur, quam par & æquum est. Cum enim in hisce contractibus onerosis, de quibus potissimum sermo est, quisque in alterum hoc animo rem quampiam transferre soleat, ut pro ea æquipollens recipiat: consequens est, ut tum demum censeatur plenum jus ad rem alterius nancisci, quando eandem compari re vel pretio rependit. Estque læsio & circumventio illicita, non tantum eo casu, quo ex proposito contrahentium ista inæqualitas inducitur; sed etiam,

cum res ipſa dolum in ſe habet. *l.36. ff. de V.O.* add. *Grot. de J. B. & P. lib.2. cap.12. §.11. & 12.*

XI. Econtra vero circumventio licita eſt, quantum ad actus antecedentes attinet, quando ea diſſimulantur, quæ rem in contractum deducendam per ſe non contingunt, licet ad valorem ejus conſtituendum aliquatenus pertineant: vel ſi dicantur aut reticeantur aliqua, quæ alterutrum è contrahentibus ad contractum celebrandum facilius permovere poſſunt, quorum tamen præſtatio neutri incumbit.

XII. Prioris generis exemplum tale refert *Cic. de off. lib.3. cap.12.* Si vir bonus magnum frumenti numerum Alexandriâ Rhodum advexerit, in Rhodiorum inopiâ, & fame, ſummaque annonæ caritate, ſi idem ſciat, complures mercatores Alexandriâ ſolviſſe, naveſque in curſu frumento onuſtas petentes Rhodum viderit, dicturuſne ſit Rhodiis, an ſilentio ſuum quàm plurimo venditurus? eſtque de iſta re diſceptatum inter *Antipatrum*, hominem acutiſſimum; cui videbatur, omnino eſſe indicandum, ut ne quid penitus, quod venditor norit, emtor ignoraret; & inter *Diogenem* Babylonium, qui contra ſtatuit, venditorem dicere vitia oportere, quatenus jure civili conſtitutum eſt; cœtera ſine inſidiis agere, & quoniam vendat, velle quam optime vendere. Neque dubitaverim ego pro hac Diogenis ſententia calculum ponere. Econtra tamen cum Antipatro ſentire malim in cœteris caſibus, qui ibidem referuntur; cum nimirum ædes peſtilentes ſunt aut male materiatæ, aut ruinoſæ, idque præter dominum ſciat nemo. Hæc enim vitia celare, non ingenui, non ſimplicis, non juſti, non boni viri: ſed verſuti potius, obſcuri, aſtuti, fallacis, malicioſi, callidi, veteratoris, vafri eſſe, cum *Cicerone* pronuntio. *de off. lib.3. cap.3.*

XIII. Poſterioris generis ſpecimen in eo conſtituo, ſi venditor rem vendendam laudet. Atque ita *Ulpianus* in *l.1. ff. de dol. mal.* diligenter diſtinguit, *quæ decipiendi emtoris cauſa dicuntur, & quæ venditor ut commendet dicit*: additque, *de his ſic habendum, quaſi neq; dictum neq; promiſſum ſit.* Unde ſequitur, ut nec poſtulare emtor poſſit præſtationem laudis commendationiſque, niſi diſerta promiſſio interceſſerit. Idem *Ulpianus l.19. pr. ff. de Ædil. edict.* *ſciendum eſt*, ait, *quædam etſi dixerit venditor,*

præſtare

præstare eum non debere: scilicet quæ ad nudam laudem servi pertinent; veluti si dixerit, frugi. probum dicto audientem. Ut enim Pedius scribit, multum interesse commendandi servi causa quid dixerit, an vero præstaturum se promiserit quod dixerit. & §.3. *ea sola dicta sive promissa admittenda sunt, quæcunq; sic dicuntur, ut præstentur, non ut jactentur.* Potissimum vero de iis hoc valet, quæ in oculos occurrunt. Nam, ut *Florentinus* in *l.43. pr. ff. de contrah. emt.* ait, *quæ commendandi causa in venditionibus dicuntur, si palam appareant, venditorem non obligant. veluti si dicat servum speciosum, domum bene ædificatam.*

XIV. Multo minus tenebitur venditor, si reticeat vitia rei, quæ emtori nota sunt, vel quæ ita comparata sunt, ut omnibus possint apparere. Neque enim dissoluta aut supina ignorantia emtoris excusat. *l.14. §.9. l.55. ff. de Ædil. edict. l.15. §.1. ff. de contrah. emt.* Recte enim huic emtori opponitur, quod *Antonius* olim *Crasso* regessit: quoniam *id vitium ignotum non fuisset, nihil fuisse necesse dici: nec eum esse deceptum, qui id quod emerat, quo esset jure teneret.* Atque hoc sensu verum est, quod *Diogenes* dicebat: *si dictum non omne præstandum est, quod dictum non est, id præstandum putas? quid vero stultius est, quam venditorem ejus rei, quam vendat, vitia narrare?*

XV. Quod supra de æqualitate pretii cum re annotatum est, illud adeo rigide exigunt aliqui, ut, quicquid ab ista æqualitate recedit, in furti crimen incidere contendant. *Quoties in contractibus,* inquit *D. Chrysostomus, & quoties emendum quid aut dependendum est, contendimus omniq; modo laboramus, ut minus æquo pretio demus, nonne huic facto quoddam furtum inest?* quin & ex gentilibus sapientiores abhorruisse à tali circumventione constat. De Q. Scævola P. filio testatur *Cic. lib. 3. de off. cap. 15.* quod *cum postulasset, ut sibi fundus, cujus emtor erat, semel indiceretur, idq; venditor ita fecisset, dixerit se pluris æstimare, addideritq; centum millia.* Simile quid *Damascius* rhetor & philosophus Stoicæ sectæ addictus, in *commentario,* quem de *Isidori* præceptoris & antecessoris sui vita scripsit, de Hermia quodam narrat, *eum, cum, quod emere vellet, justo forte minoris esset indicatum, adjecisse quod justo pretio deerat; quod existimaret, aliter agere speciem esse injustitiæ: sed talis, quæ plurimos lateret.*

XVI. Habet tamen hoc aliquam latitudinem, intra quam plus minusve dari ac accipi potest, ut nihilominus tamen justum pretium maneat. Hæc enim, inquiunt Imperatores *in l. 8. C. de Rescind. vend. est emtionis ac venditionis substantia, quod emtor viliore pretio comparandi, venditor cariore distrahendi votum gerentes ad hanc contractum accedant; vixq; post multas contentiones, paulatim venditore de eo quod petierat detrahente, emtore autem ei quod obtulerat addente, ad certum consentiant pretium.* Atque hoc est, quod in *l.16. §.4. ff. de min. Pomp.* statuit, *in pretio emtionis & venditionis contrahentibus naturaliter licere se circumvenire.* Id quod explicatur & applicatur ad locationem conductionem in *l. 22. §.3. ff. Locat. quemadmodum in emendo & vendendo naturaliter concessum est quod pluris minoris emere; quod minoris, est pluris vendere, & ita se invicem circumscribere, ita in locationibus quoq; & conductionibus juris est.*

XVII. Nihil de eo jam dicam, quod pro diversis circumstantiis pretia rerum variant *l.3. ff. de eo quod Cert. loc. dar. oport. l. 64. ff. mand.* add. *Bæcl. disser. de mensura pretij.* Illud in confesso est, modicam inæqualitatem consensu & voluntate ejus, qui minus accepit, purgari & corrigi. Siquidem *nemo videtur fraudare eos qui sciunt & consentiunt l.145. de R.I. & quod quis ex culpa sua damnum sentit, sentire non videtur l. 203. ff. eod.* Sed quoniam, ut ait *Cic. offi. lib.3. cap.17. aliter philosophi hic versantur, aliter Leges: Leges quatenus manu tenere res possunt: philosophi quatenus ratione & intelligentia:* Ideo in judiciis merito certæ quantitatis modique ratio habetur, intra quem inæqualitas vel toleratur in contractibus vel rescinditur. Apud Hebræos, annotante *Seldeno de jure natur. & gent. secund. disc. Hebr. lib.6. cap.5.* emtio retractabatur, si quis alterum sexta parte veri pretii fraudasset: apud Romanos demum ob læsionem ultra dimidium. *l.2. C. de Rescind. Vend.*

XIIX. Atque hæc ita ad singulas factorum species accommodari debent; ut judex cogitet, *unumquemq; rei suæ merita & emolumenta atq; inde surgens pretium scire, aut scire debere l.15. C. de Rescind. vend.* Hincque, ut est iterum à *Diogene* proditum; *ubi judicium emptoris est, ibi fraudem venditoris esse non posse.* Et hosce quidem terminos licuerit statuere, ut intra eos circum-

ventio

ventio naturaliter licita esse censeatur. Quomodo alii circumventionem naturaliter licitam explicent, videri potest *in Dissert. Andreæ Dinneri de justo rerum pretio*, & apud *Grot. de J.B. & P. lib.2 cap.12. §.26.* add. *Mornac. ad l.16. §.4. ff. de min.*

XIX. Quæ huc usque dicta sunt, ea communiter pertinent ad pactiones publicas privatasque. Quid in publicis seorsim receptum sit, docet *Grot. lib.2. de J.B. & P. cap.11. §.7. & cap.12. §.26. & lib.3. cap.19. §.11.* Nos conclusionis loco ingeminamus illud Chrysippi: *Sic in vita sibi quemque petere, quod pertineat ad usum, non iniquum esse; alteri subripere, jus non esse.*



Dissertatio XXIV.

DE EXPEDITIONE ROMANA.

I.

Expeditionis Romanæ usus quidem hodie non nisi subsidiarius est, nomen tamen æque ac olim frequens. Quod ab origine sua per solitas ambages derivare nihil attinet. Fontem indicat Nonius I, 285. Expediti & impediti, *ex una proprietate habent vocabuli causam, aut ex solutis pedibus aut illigatis.* Hinc expediri ad bellum, apud Tacit. 2. H. 99, 1. & ἐλλειπτικῶς expedire eodem significatu, 1. H. 10, 3. Add. 1. H. 88, 2.

Resp. Philippo Theodorico Bernhold, d. 23. Jun. 1679.

II. *Expeditionem* sanè de *militaris profectionis paratu* dici, usu tritissimum est. Gloss. lat. Græc. Expeditio, ἀποδημία ἐπὶ στρατείας. ἢ εἰς πόλεμον ἔξοδος. ἔξοδος ἐκδημητικὴ στρατιωτῶν. Inde ἐξπέδιτον & ἐξπηδίτον recentiorum Græcorum, de quo *Suidas* in ἐξπέδιτα, *Meursius* Gloss. Græc. ead. voc. Germani veteres signanter expresserunt per *Herefare* vel *Herivart* in Glossar. Latino Theodisco quo *Lindenbrogius* usus est. In monumentis sequioris ævi sæpè legitur epithetis adjectis *exercitalis expeditio,*

itemq́, hostilis expeditio: estque in illis *regalem expeditionem Imperatori administrare*, nihil aliud, quàm *Imperatori in Expeditione debitum obsequium & servitium præstare*. Quo etiam fit, ut *expeditio & servitium pro expeditione* interdum παραλλήλως jungantur: ut in *Charta Ludovici IIX. anno 1223. cùm nos ex spirituali dominio expeditionem & servitium pro expeditione ad submonitionem nostram haberemus super villam &c.* apud *Carolum du Fresne in Glossario ad scriptores mediæ & infimæ Latinitatis*, opere laboriosissimo juxta, si quod aliud, & fructuosissimo.

III. Atque hinc jam intelligi ultrò potest, unde venerit, ut *profectio Imperatoris, ad suscipiendam solenni ritu consecrationeq́, coronam, militari apparatu ac pompâ Romam instituta, EXPEDITIO ROMANA* diceretur: ad quem fere modum definiri queat è *constitutione Friderici Barbarossæ*, quæ exstat 2. *Feud.54.* & apud *Radevicum de Gest. Frider. lib. 2. cap. 7.* Potest & descriptionis loco esse Othonis Frisingensis periphrasis de *Reb. Gest. Frider. I. lib. 2. c.12. quotiescunq́, ad sumendam Romani Imperij coronam militem ad transalpizandum coëgerint Reges Teutonici*, itemque *Gunteri in Ligurino lib.2. vers. 40. & 41. quotiens claram regnator tendit ad Urbem Teutonus, Ausoniam sumpturus rite coronam.* Superbum verò illud elogium, cum *Lotharius* & *Fridericus* Imperatores in *Constitutionibus* suis 2. *Feud. 52. & 55. Felicissimam numinis nostri expeditionem* nominant, non nisi generaliter huc pertinere, cæterasque expeditiones Imperatorias pro utilitate Imperii susceptas etiam complecti puto, quæ ultra tractationis hujus institutum porriguntur. In *Germanicis Constitutionibus* dicitur *Rom-Zug, Römer-Zug*, & describitur *im Sächsischen Lehen-Recht, cap.4. Wann die Teutschen einen Künig kiesen, und er dann gen Rom zeucht zu der Weyhung, &c.*

IV. Originem obscurè assignant, qui à Caroli Magni successoribus repetendam docent: *Otto de Jur. Publ. cap.10. pag.296.* Obscurius tamen illi, qui mentione & authoritate *Juris Feudalis Saxonici* rem expedire conantur: *Carpzovius de Lege Regia cap.8. sect.6. num.3.* Majorem speciem habet, quod *decreto Ordinum Imperij statutum* scribit *Lehmannus in Chron. Spirens. lib.2. c.42. postquam à Carolo Magno mos introductus esset è manu Romani Pontificis Coronam Imperialem suscipiendi; ut decenti*

Vasallo-

Vaſallorum ſuorum comitatu primarij Imperij Principes Romam uſq́ deducerent Regem, indeq́ domum revertentem comitarentur. Sed tempus, locum, authoritatem denique hujus decreti curioſius requirenti, ſatisfacere non adeò pronum fuerit. Et fortaſſe non aliud in oculis habuit *Lehmannus*, quàm quod auſpiciis Caroli Craſſi in Comitiis Wormatienſibus A.C. DCCCXC. publicatum mox ſcribit. Id enim innuere videtur, quod in eo ſancitum ſcribit, *ut Principum quiſq́ Mareſchallum, Dapiferum, Pincernam, & Camerarium ſecum in eam expeditionem duceret.* quod vix aliunde, quàm ex Wormatienſi, quæ fertur, Conſtitutione potuit haurire. Fuit illa ſanè *Limnæo J.P.* II, 4, 107. & pleriſque aliis pro fundo, tùm in deſcribenda expeditionis Romanæ forma, tum in origine ejuſdem aſſignanda.

V. Verum authentia hujus ſanctionis pridem in dubium vocata eſt. Inprimis à *B. Bœclero* noſtro in *Vit. Caroli III. pag.*187. & rationibus additis in *Notitia Imperij lib.*15. *cap.*2. *n.*4. itemque à *Conringio* in *privatis ad Lampadium diſcurſibus part.*3. *cap.*2. §.28. hiſce verbis: *Olim ipſi Principes univerſi Imperij cum delictum militum manu cogebantur Imperatorem coronandum in Italiam comitari ſub pœna amittendi feudi Imperialis. Qui mos videtur ſane ſaltem ab Ottonis M. temporibus fuiſſe in uſu. Nec enim temerè quis admiſerit illud, quod nomine Caroli Craſſi curante Rittershuſio editum eſt diploma: etſi non dubitaverit Marquardus Freherus inſigni illud Commentario illuſtrare.* Poſt hos agnovit etiam *Ericus Mauritius in diſſertat. de Matricula Imperij th.*24. *Eſſe in Conſtitutione illa tum verba quædam, quæ ſuſpectam illam reddere poſſint, tum etiam annorum, qui adſcripti ſunt, numeros non congruere ætati Caroli Craſſi.*

VI. Quod de tempore annotat Mauritius; id jam *Conradum Rittershuſium*, primum hujus monumenti editorem moverat, ut Karolo M. id auctori vendicaret; *in Append. ad Not. in Gunther. p.*203. ſubſcriptum enim habuit exemplar, quod Rittershuſio primum, & poſteà Frehero Marcus Welſerus communicavit, annum DCCXC. quo Magnus vixit, & Wormatiæ Comitia celebravit: ut ex *Annalibus Pithœanis* colligit *Freherus in Not. ad Conſt. Car. pag.* 12. & 29. quod autem in Cæſſ. Bœclerianis inde ſuſpecta redditur hæc ſanctio, quia in ejus clauſula nominetur annus, quo jam mortuus erat Carolus Craſſus, id

ad

ad æram diplomatis, uti à *Goldasto* editum est, *tom.* I. *Constitut. p.* 207. & 208. referri debet: ea enim, nescio an per errorem Librarii, an quod aliunde Goldastus de hoc annorum numero monitus fuerit, exhibet A.C. DCCCXC. quo Carolus utique in vivis non fuit: utpote qui excesserat jam A.C. DCCCLXXXIIX.

VII. Putavit quidem Freherus, lapsu descriptoris hunc calculi errorem excusari posse; rescribendumque DCCCXXCI. vel sequentem annum. Secutusque est in hac emendatione *Freherum Goldastus not. margin. ad d. Const. Goldastum Limnæus loc. cit.* At *Carolus Fresneus Glossar. Tom. II. voc. Feudum*, annum DCCCXXCIV. substituit: quo nescio an quidquam expeditius reperiri potuerit, ad subvertendam hujus constitutionis authoritatem. Siquidem constat A.C. DCCCXXCI. Romam profectum esse Carolum, ibidemque à Joanne IIX. anno eodem A. d. IIX. Kal. Jan. corona Imperiali redimitum. Regino diserte *Chron. lib.* 2. *anno Dominicæ incarnationis DCCCXXCI. Carolus de Alemannia egressus, Longobardorum fines occupavit, ac in paucis diebus totam Italiam in deditionem accepit, & Romam perveniens, à Præsule Apostolicæ sedis Joanne, & senatu Romanorum favorabiliter exceptus, cum magna gloria Imperator creatus est.* Addatur *Aimoinus lib.* 5. *cap.* 60. itemque diplomata Caroli Crassi, tum quod Freherus in fine notarum suarum producit, tum quod *Baronius Annal. Eccles. tom.* 10. *A.C.* 881. exhibet, quorum utrumque annum Imperii Caroli quartum conjungit cum A.C. 884. Jam verò Wormatiensem constitutionem ita conceptam esse, ut coronationem Romanam antecessisse videri author ejus voluerit, præter introitum §. 1. comprehensum, satis perspicuè testantur verba §. 2. *quando pro* CORONA NOSTRA, *vel aliqua regni utilitate aut honore, Romana expeditio à nobis vel à successoribus nostris præparetur.* Comitia certè Wormatiensia, quibus lata fertur hæc Constitutio, quam non debuerit *Freherus* cum illis comitiis permiscere, in quibus referente *Aventino lib.* 4. *p.* 351. Boso regii nominis per Burgundiam usurpator se dedidit; vel inde patet, quod illa habita author constitutionis testatur, cum *pro consecratione coronæq; perceptione proficiscendi tempus ad Apostolicam sedem instaret*; hæc verò ne prima quidem, sed altera demum Comitia

fuerunt

fuerunt, quæ Carolus Wormatiæ post Coronationem Romanam egit. Priorum hæc apud *Aventinum* mentio extat: *Cæsar crebris nuntiis Germanorum Galliorumq; rogatus, ex Italia movet -- & Calendis Maji ad Conventus in urbe Vangionum agendos proficiscitur: Certatim Proceres, Episcopi, sacrorum Antistites, cives advolant, in verba Imperatoris jurant, & de exigendis hostibus consultant.* Neque verò ante coronationem ullius conventus à Carolo in Germania instituti superest memoria.

IIX. Quin si *Aventinum* audimus, facile omnis istorum Comitiorum, ipsiusque decreti hujus fides collabetur: memorat enim, *Carolum, quam primum Italiam à fratre Carolomanno accepisset, de IMPROVISO Italiam invasisse. Et ut major authoritas foret, archimystam primarium Germaniæ Luitbertum Moguntinum, JUSSU LUDOVICI, & Theodomarum Juvavensem Archi-Episcopum Bojorum, MANDATO CAROLOMANNI & CAROLI profectos.* Qua legatione quàm nihil opus fuerit, si Decretum Welserianum in mundo tum fuisset, apertum est. Adde, quod idem Aventinus Carolum vivo patre Ludovico Germanico, ante coronationem, non aliter, quam *Regem Suevorum* appellet: neque apparet, quomodo illo jam tempore potuerit REGIS FRANCORUM & ROMANORUM titulum usurpare.

IX. Accedunt huc alia, quæ mihi prorsus persuadent, ut censeam, non inscriptionem minus, quàm subsignationem hujus Diplomatis corruptam & suppositítiam esse. Ipsi constitutioni detrahere quidem antiquitatis opinionem non ausim: quo minus tamen illorum partibus accedam, qui Carolo Crasso authori tribuunt, eo maximè impedior, 1. quod *annus Wormatiæ cum quàm multis Principibus transactus*; illi tempori, *quo pro ejus consecratione coronaq; perceptione proficiscendi tempus ad Apostolicam sedem instabat*, nullo prorsus modo congruit. 2. *Induciæ anni & sex hebdomadum* recentioris sunt instituti, neque sub Carolingis observati vel recepti. 3. Non existimo Carolino ævo errari potuisse in Runcaliarum vocabulo; quo satis constabat, ut Chartæ & Diplomata ejus ætatis docent, *Roncalias & Runcalias* denotare *campos incultos vepribusq; ac sentibus obsitos*: qualis planè fuit, qui circa Placentiam congregando regio comitatui curiæque habendæ destinatus est. Temporibus Con-

radi II. apud Germanos nostros viguisse hanc etymologiam, ut *Rungalle* dictus putaretur locus ille, quasi *Curia Gallorum*, discas ex *Glabro Radulpho*, qui in præfatione ad librum IV. hunc errorem coarguit. *Indeptus*, inquit ille, *regni infula Conradus Italiam perrexit, cui protinus in descensu Alpium, quem CURIAM GALLORUM, licet corrupte, vocant, in oppido Cumis occurrit cum summo apparatu Papa Romanus.* 4. De *Feodi* vocabulo nota est ipsius Welseri dubitatio, ex epistola MSC. cujus excerpta exhibet *Notitia Imperij Bœcleriana loc. cit.* quanquam circa tempora Caroli Crassi, nempe Carolo Simplice, Rodulpho, Lothario regnantibus auditum, feratur adstruxisse *Dominicus de prærogativa Allodiorum cap.* 15. §. 1. Sed opus istud inspicere nondum contigit. quas verò de cætero tabulas nominat *Fresneus in Gloss.* eas ipsemet sublestæ fidei damnat. 5. Privatio beneficii ævo Carolino expeditionis omissæ nondum pœna fuit; sed *Heribanni* solutio. 6. Neque *brunia* in decem, sed in duodecim mansos computabatur &c.

X. Cæterum, ut meam quoque *de Origine Romanæ Expeditionis* sententiam aperiam, existimo, illam ab initio communi planè cum cæteris expeditionibus bellicis jure ac more censeri consuevisse. Et si quis sanè omnium Francicorum Imperatorum expeditiones percenseat, facile reperiet, eos tam numeroso comitatu in Italiam profectos non tam pompæ ac celebritatis causâ, ut *Lehmanno* & plerisque aliis visum est; quam ut oppositam coronationi potentium utplurimum hostium vim idoneis præsidiis cohiberent ac retunderent. De Carolo M. dicendum non arbitror; cui ne animus quidem fuit, *Eginhardo* testante, vel petendæ vel accipiendæ coronæ Imperatoriæ, cum in Italiam moveret. Uti nec de Ludovico Pio & Ludovico III. quorum uterque in Francia coronatus est. Lotharium verò Paschalis Pontifex coronavit, cum in Italiam missus esset à Patre, juris dicundi causa, jamque se ad revertendum præpararet. Et dati fuerant illi itineris socii, qui non adeo comitatum ejus, splendore, quam ipsum consilio instruerent. *Annales Carol. M. & Ludov. Pij*, qui *Eginhardo* tribuuntur, ap. *Andr. du Chesne Scriptor. Francic. Tom. II.* A.C. 822. *Peracto conventu qui Attiniaci habebatur Imperator Lotharium filium suum in Italiam misit*; *cum quo* *Wala-*

Walachum Monachum propinquum suum, fratrem videlicet Adelhardi Abbatis, & Gerungum Ostiariorum magistrum una misit: quorum consilio & in re familiari & in negotiis ad Regni commoda pertinentibus uteretur. & in *A. 823. Lotharius verò cum secundum Patris jussionem in Italia justitias faceret, & jam se ad revertendum de Italia præpararet, rogante Paschale Papa Romam venit: & honorificè ab illo susceptus, in sancto Paschali die apud Sanctum Petrum Regni coronam & Imperatoris & Augusti nomen accepit.* In cæteris planum jam est atque manifestum, quod dixi. Nisi quod solus inter eos Ludovicus II. solennitati amplius quam timori dedisse dicendus est. De cujus itinere Italico videatur *Sigonius de Regn. Ital. lib. 5. p. 119.*

XI. Uti autem non dubitaverim, plerasque cerimonias, quibus *Expeditio Romana* posteà à cæteris *Expeditionibus* distincta est, sub aliquo Francicorum Imperatorum in exemplum ivisse: Sic agnoscendus est historiæ defectus; quæ nullam pleniorem istiusmodi celebritatis descriptionem ex illo ævo ad nos transmisit. Atque hoc idem etiam intelligendum est de sequentium Imperatorum expeditionibus. Neque sanè ante Fridericum I. certa juris formula prodita est, de qua indubitato constet. Nam de *Capitulis Conradi*, ut vocantur, notæ sunt eruditorum concertationes. Ut fortasse non sit erraturus, qui Fridericum, juris scripti circa *Expeditionem Romanam*, primum authorem asseruerit; cum anteà consuetudinis duntaxat & exemplorum authoritate tota hæc res niteretur.

XII. Friderici Constitutio extat 2. *Feudor.* 54. *Firmiter statuimus, tàm in Italia, quàm in Alemania, ut quicunque indicta publica expeditione Romam, ad suscipiendam Imperij coronam, Regem, aut sub Rege dominum suum non adjuvaverit, aut eundo cum ipso, aut pro quantitate feudi stipendia militiæ persolvendo (si de vocatione legitima à domino suo convinci per compares suos poterit) feudum perdat, & dominus in suos usus illud habeat redigendi liberam facultatem.* Fiebat autem *Indictio Expeditionis*, cujus in hac sanctione mentio extat, tùm in Comitiis ac Conventibus Statuum universalibus; quemadmodum Henrici VII. expeditionem in Comitiis Spirensibus denuntiatam Statibus fuisse, testatur *Lehmannus Chron. Spirens. lib. 7. cap. 11.* tùm scriptis ab Imperatore ad singulos Status literis; quibus tempus ac locus,

quo comparere quisque deberet, designabatur. *Gerardus de Roo Hist. Austr. lib.5. pag.*202. de Expeditione Friderici III. ita refert: *Annus agebatur quinquagesimus primus, cum Fridericus certus eundi* (Romam,) *literas ac nuncios ad Ordines Imperij misit, quibus, quo tempore Italiam ingressurus sit, significat, atq; uti omnes, qui eum de more comitaturi sint, ad diem dictam conveniant, jubet. Rhenanis ac Suevis, Eslinga & Campidunum civitates constitutæ, unde per Athesinam vallem, ac Tridentinum agrum, in Italiam transirent; Austriaci, Bohemi ac Hungari Villacum evocati; reliqui, qua cuiq; proximum erat, Ferrariam atq; inde Florentiam Senasq; ire jussi, atq; illic Cæsarem præstolari.* Inter eos, quos Ferrariæ Cæsarem præstolari jussos esse, *Gerardus* scribit, etiam Argentoratenses fuere; assignatusque illis est dies Catharinæ sacer anni 1451. uti *literæ Imperatoris ad Civitatem* testantur. De Trevirensi Republica narrat *Browerus Annal. Trevir. lib.*19. *pag.*287. *Fridericus hinc, quod adhuc non poterat, coronæ sumendæ, Italiam cogitans, Trevirensem Rempubl. ad se ornandum obsequio, & comitatu prosequendum, literis hoc anno* (1451.) *exeunte missis invitavit.* Add. *Speculum Honoris Austriac. lib.*5.*c.*7.

XIII. Et fuit quidem, ut verba constitutionis docent, tota *Expeditio Romana* ordinata & descripta per Vasallos, sive per eos, qui feuda ab Imperatore & Imperio vel immediatè vel mediatè haberent. Ita tamen, ut Civitates pari cum his jure & honore censerentur. Et quoniam non nisi vocati adesse cogebantur; poterantque ministerium personale stipendio numerato redimere; factum esse puto, ut comitantium numerus, pro temporum diversitate, discreparet: utpote qui legali sanctione nondum erat determinatus. Comitatum Henrici Lüzelburgici ita describit *Albertus Argentinensis in Chron. Ingressi sunt cum eo Lupoldus Austriæ, Rudolphus Bavariæ Duces, Archi-Episcopus Trevirensis, Leodiensis, Basiliensis, & plures alij Episcopi, Comes Sabaudiæ, Comes Flandriæ, multiq; alij Comites, & omnium totius Alemanniæ stipendiarij civitatum.* Notatque *Lehmannus loc. cit.* Spirensem Civitatem duos Equites & octo Nobiles cum servis suis Imperatori ad expeditionem illam misisse. Sanè Argentoratensis Respublica Ruperti Regis expeditionem ornavit missis viginti equitibus (20. *mit Gleuen*) ita ut singuli horum, tres prætereà

tereà comites stipendio Reip. conductos haberent. In expeditionem verò Friderici III. armavit 16. *mit Gleuen, jeglichen Glevener mit 4. Pferdten*: ita ut quilibet eorum haberet *redlichen Harnisch, 2. Knecht, einen mit einem Armbrust, einen mit einem Spieß, und einen Knaben mit einer Gleuen.* Inter vetustiora exempla memoratur Uladislaus Rex Bohemiæ Imp. Henricum IV. cum trecentis equitibus cataphractis comitatus esse. ap. *Bonfin. Rer. Hungar. decad. 2. lib. 5.* Sic & Sobieslaus scribitur Lothario Saxoni trecentos equites armatos misisse. *Dubrav. Histor. Bohem. lib. 2.*

XIV. Recognoscebantur autem & probabantur quodammodo Vasallorum servitia isthæc in campis Roncaliensibus, eo ritu severitateque, quam describit præcipuè *Otto Frisingensis de Reb. Frideric. I. lib. 2. cap. 12. Est consuetudinis,* inquit ille, *regum Francorum, quæ & Teutonicorum, ut, quotiescunque ad sumendam Romani Imperij coronam militem ad transalpizandum coëgerint, in prædicto campo mansionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto scutum suspenditur, universorumque equitum agmen feuda habentium, ad excubias proxima nocte Principi faciendas, per curiæ præconem exposcitur: quod sectantes, qui in ejus comitatu fuerunt, singuli singulos beneficiatos suos per præcones exposcunt. At sequenti die quicunque nocturnis vigiliis defuisse deprensus fuerat, denuò ad præsentiam Regis aliorumque Principum vel virorum illustrium evocatur: sicque omnes omnium beneficiati, qui sine bona voluntate dominorum suorum domi remanserunt, in feudis condemnantur.* Eadem *Guntherus Ligurin. lib. 2. vers. 36. & seqq.* carmine in hunc modum complexus est:

Est locus Italiæ, modicum sejunctus ab urbe,
Cui quia pulchra situ placet, inde Placentia nomen,
Planus & Eridani placido junctissimus amni,
Effundit latos spatioso limite campos.
Hic quoties claram Regnator tendit ad urbem,
Teutonus Ausoniam sumpturus ritè coronam,
Ponere castra solet: ligno suspenditur alte
Erecto clypeus: tunc præco regius omnes
Convocat à dominis feudalia jura tenentes.

Excubias Regi prima celebrare fideles
Nocte, vetustorum debent ex more parentum.
At quicunq; domi domino nolente relictus,
Defuerit, feudo privari curia censet.

Subjiciuntur apud utrumque exempla, Hartvici Bremensis, & Ulrici Halberstatensis Episcoporum; siquidem

Tunc quoq; nonnulli censura vindice regni
Amisere diu tali possessa reatu.
Quin & Pontifices Halberstadensis, & ille,
Sub quo Brema fuit, tali regalia jura
Amisere nota: personæ scilicet ipsæ,
Non tamen Ecclesiæ: neq; enim quod pastor inique
Gesserit, Ecclesiæ fas est in damna refundi.

Sed & simile constitutionis citatæ argumentum alibi exhibet tùm *Guntherus lib.8. vers.608. & seqq.* tùm *Radevicus de Gest. Frid. lib.2. cap.7.* quanquam ista quidem loca ad alteram *Friderici constitutionem*, quæ extat 2.F.55. propriè pertinent; adeoque ad jus *Hostenditiarum* universum sunt referenda: de quibus *Interpretes Juris Feudalis ad 2.F.40.* Iidem consulendi de *Fodro*: quod itidem generaliter huc pertinet. De quo videatur insuper *Vita Ludovici Pij ab Astronomo quodam ejus ætatis descripta, ad* A.C. 796.

XV. Inter *ritus & cerimonias Expeditionis Romanæ*, peculiarem observationem meretur honor & veneratio, qua Imperatorem advenientem Pontifex præcipuè Romanus excipere, antiquioribus illis & melioribus temporibus, solebat. Sed quæ, invalescente Pontificis potentia, veluti per gradus quosdam decrevit atque imminuta est. Dignus planè est qui adscribatur *Cuspiniani* locus *ex Cæss. pag.*406. ubi de Friderico III. scribit: *Huic omnis effusa obviam nobilitas, Columnensium, Ursinorum, totiusque cleri sacer Apostolicus Senatus: maxima ab his est susceptus honorificentia, quæ paucis Cæsaribus diu ante exhibita fuit, postquam scilicet Cæsarea Majestas minui cœpit, atq; attenuata vilescere. Quandoquidem priscis seculis, non Cardinales modò, verùm summos Pontifices obviam processisse Cæsaribus legimus. Usq; Sutrium Pontifex Romanus* Fride-

Friderico I. obviam venit. Sed ubi Apostolicæ sedis indies potestas auctior facta est, minor Cæsaribus exhibitus est honor, ut vicissitudo omnium rerum exigit. Descripsit ista *Cuspinianus* ex *Æneæ Silvij Historia.* Qui de juramento quoque à Cæsare exacto, antequam B. Petri patrimonium intraret, nobilem digressionem habet. *Id juramentum,* inquit, *quod in Clementinarum libris insertum est, ego nullum unquam Cæsarum exhibuisse comperi, nisi fortasse Carolum IV. & Sigismundum ejus filium. Henricus quidem septimus fidelitatem sese jurasse negavit: cujus causâ editam Clementinam dicunt. Minimè verò Ludovicus Bavarus eo jurando se adstrinxit, qui recusante Papa Romano ex urbis præfecto coronam accepit. Priores ante Karolum Magnum Imperatores, non accepimus jurare solitos. Post Karolum, quid Ludovicus Primus, quidve jurarint Ottones, decreta Pontificum manifestant.* Ex *Eodem* etiam discas rationem, quare Cæsares coronandi non consueverint una die & applicare, & intrare urbem; sed noctem saltem unam in castris atque tentoriis habere. Factum id nempe arbitratur *Æneas,* ut ea dies cederet Papæ, ad providendum ne quid ingrediente Cæsare tumultus fieret. Subjicit tamen: *Sive id spatium sibi Cæsares ipsi assumpserunt, ut explorato urbis statu tutius ingrederentur: seu bis terq; aliqua vel causâ vel casu res gesta vim consuetudinis accepit.*

XVI. Sequitur ingressus Cæsaris in Urbem prolixa descriptione traditus. quam in summam contraxit *Gerardus de Roo Histor. Austr. lib.5. p.204.* qui & *inter alia præceptum,* memorat, *ne præter Imperij aquilam ullum aliud signum explicaretur: Eamq; rem multos ægre tulisse, imprimis verò Georgiani Collegij signiferum, Henricum Comitem Fürstembergicum, indignum esse dixisse, & præter Collegij institutum, malle se ab ipsis urbis mœnibus domum reverti, quàm occultato vexillo intromitti. Argentoratenses quoq; jecisse, non prohibitos fuisse majores suos explicare vexillum, quo tempore cum Rudolpho in Boëmos militassent. Sed Cæsarem has eorum voces suâ authoritate facile compescuisse.* Et poterant sanè Argentinenses non illo tantum Rudolphi exemplo niti: sed jam inde ab eo tempore, quo se Imperio adjunxerunt, juris istius compotes fuerunt; sicut excerpta Privilegiorum in *Discursu Fridiano MSC.* prolixius exposita, apud *Limnæum* verò *J.P. VII,3,13.* summatim recensita testantur.

XVII.

XVII. Et ordinem quidem quod attinet ingredientium in urbem, discimus ex eodem loco *Gerardi de Roo*. Primos omnium Suevos reliquum agmen præcessisse. *Æneas* verò insuper litem de præcedentia inter Venetos & Mediolanenses, secundùm Venetos decisam, exhibet. At inter Civitates, primarium locum Argentinensibus datum, *Acta* his verbis docent: *Wie die Statt Straßburg nach ihrem redlichen Herkommen an dem Hinzuziehen vor allen Stätten den Vorzug hatte, So hatte sie an dem Heraußziehen den Nochzug. Solichen Zug behielten Ir Glesener in redelicher Ordnunge mit Irem ufgetonen Venlin* (in egressu scil.) *Und sunderen Trumpeter.* Additur in iisdem, septem ex Argentinensibus, Romæ in ponte Tiberino, manu & gladio Cæsaris, Equites factos: *Jerg Zorn*; *Heinrich von Müllenheim*; *Diebold von Müllenheim*; *Hanß Ludwig von Müllenheim*; *Philips von Müllenheim*; *Hanß Böckel*; *Friderich zum Rust.*

XIIX. Sed hoc, uti & cætera, quæ ibidem acta Historici memorant, ad solennitatem ipsius *coronationis* referenda sunt: ad quem locum & reliquæ observationes disputationesque pertinent: e.g. quâ ratione quove eventu omissa sit olim à Rudolpho I. & successoribus ejus quibusdam Romana Expeditio? quo consilio inde à Ferdinando I. Imperatores nostri abstinendum coronationis Romanæ solennitate censuerint? & quomodo id cum Cæsareis Capitulationibus conciliari idoneè possit? de quibus prolixè satis actum *Limnæo Annotat. ad Capitulat. pag.341. & seqq.* & expectamus plenam totius hujus argumenti expositionem à summo Viro *Hermanno Conringio*, secunda editione operis *de Imperio Germanorum Romano* prodituram.

XIX. Nam nos quidem arctior propositi nostri modus ad hodiernum *Expeditionis Romanæ usum* prævertere cogit: qui in *Contributionibus & Collectis Imperij* superest. Atque ante duo quidem & complura secula usu in Imperio nostro cognitæ collectæ pecuniariæ ad publicas expeditiones nondum fuerunt. Ipsique adhuc Maximiliano I. in Comitiis A. 1492. à quibusdam Imperii Statibus exprobratum est, sub Patris, Friderici, regimine morem istum demum invaluisse, ut munera Imperio præstanda pecuniâ taxarentur: *Nachdem bißher von Alters im Reich herkommen, daß die Stände alle Hülff an Volck geleist, daß bey Regierung des Keysers diese Neurung eingeschleicht, daß man die Anschläg*

schläg uf Geld gesetzt, und wann man Volck bewilligt, daß Kayserl. Maj. von Chur- und Fürsten, deßgleichen Graffen und Stätten an statt des Volcks ein Summ Gelts empfangen, und dergestalt die Hülff verkaufft, und mit dem Gelt kein Volck bestelt, daher die Bewilligung unnütz und unerschießlich gewesen. uti ex Actis illorum Comitiorum refert *Lehmannus Chron. Spir. lib.7. cap.121.*

XX. Verùm, quemadmodum numerus proficiscentium cum Imperatore ad Romanam Coronationem tum temporis nondum fuit certo definitus; sic & illa subsidia, quæ Cæsari ad alias expeditiones, vel militibus virisque submissis, vel pecunia præstabantur, pro temporis diversitate admodum variasse deprehenduntur. Quod diligenti comparatione *matricularum* satis evidenter demonstravit *doctiss. Mauritius diss. de Matricula th.25.* Fitque planum insuper ex *Actis* Comitiorum Noribergensium Anni 1431. in quibus decretum est, ut ad instantem expeditionem Bohemicam, Status Bohemiæ propiores de viris viginti, reliqui de viginti quinque, unum mitterent. itemque Comitiorum Ratisbonensium Anni 1471. in quibus Statibus indicta sunt militum decem millia, eo modo ac numero ab unoquoque Statuum præstanda, quem exhibet *Lehmannus Chron. Spirens. lib.7. cap.112. sub tit. Hiernach stehet begriffen der Anschlag der 10000. Mann, der auch hie uf dem Kayserl. Tag uf Georgii bestimbt, für genommen, und gemacht worden,* Anno LXXI. pecuniarium verò subsidium, non juxta certum virorum numerum, sed ad æs & libram, uti loquuntur, *nach dem gemeinen Pfenning*, definitum est. Formulam exhibet *Goldastus in den Reichs-Satzungen, pag. 194.* Add. *den Anschlag wider den Türcken zu Augspurg auff dem Reichs-Tag* publicirt 1474. apud *Eund. pag. 200.* Et duravit hæc contribuendi ratio (*nach dem gemeinen Pfenning*) etiam per Maximiliani I. imperium: sicut complures Recessus, inprimis de Anno 1495. *Landfr.*1500. *Art.*12. 1512. §.14. *& seqq.* 1518. §.2. abunde fidem faciunt. Nisi quod intereà bis terve usurpatus est & alius quidam liberior collectandi modus, quo per amicabiles tractatus (*durch gütliche Tractaten.*) Status singuli, absque præcisa relatione ad bona cujusque, certam pecuniæ summam Cæsari polliciti sunt. Uti factum est sub Friderico III. in Comitiis Francofurtensibus 1486. Noribergensibus 1487. sub quo & in Franco-

 furtensi

furtensi Congressu A. 1498. destinatus est ad Imperatoriæ expeditionis usum exercitus 29487. militum.

XXI. Sub Carolo V. demum, uti profectionis Italicæ finis; ita ejus computationis, quæ in collectis Imperialibus secundùm *Expeditionem Romanam* fieri hodienum solet, initium factum est. Is enim cum in Comitiis Wormatiensibus Anni 1521. consilium suum propositumque, quo Imperialem coronam petere, & simul Imperio avulsa vindicare destinaverat, aperuisset; obtinuit ab Ordinibus ut in illam expeditionem exercitum 20000. peditum, & 4000. equitum in sex menses pollicerentur. *Rec. Imp. A.* 1521. §. *Und als wir*, 29. *& seq.* Estque hic militum numerus, dilato isto consilio, retentus anno sequenti in Comitiis Noribergensibus, cum contra Turcas expeditio decerneretur, *R.I.* 1522. *princ.* cum aliqua tamen moderatione, *d. Rec.* §.6. & licet ab initio quidem disertè cautum fuisset, ut auxilia isthæc militibus submissis, non autem, pecunia præstarentur: subinde tamen ex stipendio, quod in *d. Rec. Wormat.* militibus assignatum fuerat, solenne, ut ita loquar, pretium conflatum est, quo militum præstatio deinceps plerumque redimeretur: nam cum equitibus in singulos menses assignati fuissent 10. floreni, peditibus 4. Pretium, quod dixi, equitum auctum est ad 12. florenos. peditum verò 4. florenorum permansit. Conf. *Oelhaf. Templ. Pac. Orat. IV.* qui tamen originem hujus rei, nescio quibus fundamentis subnixus, ab altiori principio repetit: Add. *Wehnerum Observat. Pract. voc. Römer-Zug*, ubi sequentium etiam *Recessuum* decreta annotantur. *Mauritium de Matric. th.* 26.

XXII. Querelas ex multiplicatione pensionum mensiumque Romanorum natas, exasperat juxta & diluit necessitas publica. Accedunt Matriculæ vitia: quæ si emendari contingeret, non dubitaverim, multo tolerabiliorem fore Statibus hunc contribuendi modum, quàm illum alterum *nach dem gemeinen Pfenning*: cui se jam tùm in Comitiis 1598. 1603. pars Ordinum opposuit: nitente pro illo, Cæsare Rudolpho II. iis rationibus, quæ videri in utramque partem possunt apud *Arum. de Comitiis cap.* 8. *num.* 39. & cum annotatione votorum singulorum ap. *Speidel. in Specul. voc. Gemein Pfenning.* Dum verò emendatio expectetur, malim rationibus pro *communi denario* afferri solitis subscribere, quas vid. dict. loc. & in *discursu von dem jetzigen Reichs-Tag, Part. I. lit. F.* III. *& Part. II. lit. V.* 3. *Oelhaf. Templ. pac. orat. ult.*

EPI-

EPISTOLA
DE
NUMMO DOMITIANI ISIACO
AD
Amplissimum Virum
ELIAM BRACKENHOFFERUM
REIP. ARGENTORAT. XVVIRUM.

OPtavi sæpenumero, VIR AMPLISSIME, commodum aliquem mihi locum obtingere, quo de publica cimeliarchii Tui celebritate Tibi Patriæque gratularer. eoque ardentius oblatam nuperrime opportunitatem sum amplexus: postquam Te non solum connivente, sed approbante, futurum intellexi; si *nummum Domitiani argenteum*, quem inexpectata quædam atque improvisa fortunæ indulgentia Gazæ Tuæ non ita pridem inseruit, publicæ Eruditorum notitiæ dijudicationique commendarem. Nam ego quidem quoties rarissimi hujus cimelii pretium cogito, prorsus inducor, ut existimem, Musis Gratiisque adgubernantibus accidisse, ut in tam illustri Sacrario sedem consequeretur. communi quippe sorte cum eo deinceps fruiturum; largissimoque recepturum fœnore, si quid illi splendoris dignitatisve mutuatur. utpote quod adire, introspicere, venerari, à multo jam tempore præcipuam exquisitioris disciplinæ partem habuere, quicunque ad Urbem nostram eruditæ cordatæque peregrinationis studium vel curam attulerunt. Dudum enim est, quod inter Illustres Peregrinatores veluti solenni elogio de Tuis ædibus usurpatur, quod de Principis cujusdam Mamertini domo *Tullius* prædicat: *C. Hejus est, Mamertinus (omnes hoc mihi*

d. 4. Febr. 1675.

in Verr. IV. 2.

mihi facile concedent, qui Messanam accesserunt) omnibus rebus in illa civitate ornatissimus. hujus domus est vel optima Messanæ, notissima quidem certe, & nostris hominibus apertissima, maximeq; hospitalis. Erat apud Hejum, Sacrarium magna cum dignitate in ædibus: in quo signa pulcherrima. Messanam ut quisq; nostrum venerat, hæc visere solebat: omnibus hæc ad visendum patebant quotidie: domus erat non domino magis ornamento, quam civitati. Equidem Argentoratum non obiter aut perfunctorie lustrasse, gloriari vix queat, quem non aut pœnitentia sit, aut pudor subiturus, si Brackenhofferianum Museum aut ignorare se, aut neglexisse profiteatur. illi vero deprædicare satis industriæ diligentiæque suæ fructus non possunt, qui se in rerum pulcherrimarum selectissimarumque non contemplationem duntaxat, urbanitate comitateque Tuâ admissos, sed interiorem notitiam, doctrinâ sapientiâque Tuâ deductos gratulantur. è quibus, prout tractatu atque intelligentia hujus supellectilis, quique præcellunt, ita asseveratione animosiori testantur, se vix uspiam copiosiore præsentioreque profectu esse admiratos artem cum natura, imo naturam cum arte; remotissimæ vetustatis genium, cum recenti novorum inventorum gloria; cœli terrarumque thesauros, cum miraculis æquoris, diversissimorum denique inter se populorum sæculorumque ingenia, tanquam ad politioris quoddam elegantiæ certamen composita.

Tali utique consortio domicilioque spectari censerique dudum dignissimum erat monumentum, quod describere aggredimur. in quo, ut cætera eximio quodam sublimiorique æstimio taxari mereantur, inprimis efficiunt effulgentia undiquaque genuinæ antiquitatis indicia; quibus, si quid in sincera nummorum vetustate dijudicanda certum exploratumque haberi debet, omni suppositionis aut νοθείας suspicione facile liberatur. Tuebitur hujus sententiæ fidem apud peritos talium rerum Arbitratores, & quovis pignore luculentius firmabit integerrimi judicii Tui auctoritas. nemo certe verebitur suæ credulitati insidias strui; postquam allatus ex interiore Galliæ recessu nummus, multorum hactenus oculis usurpatus est, & deinceps in celeberrima luce Musei Tui constitutus, publicæ docti curiosique orbis cognitioni ac censuræ patebit.

Anterior




Anterior hujus denarii facies optima ſui ipſius interpres eſt. Legitur in illa Domitiani capiti laureato circumſcriptum: Cæſar DOMITIANUS Auguſtus GERMANICUS Pontifex Maximus TRIBUNITIÆ Poteſtatis XV.

In averſa parte dignius uberiori diſquiſitione argumentum exhibet *figura ſedens, in corona, caput galero tecta, tunicam induta manicatam, cinguloq; correptam, & ad ima veſtigia defluentem; dexterá inſtar cordis protendens; lævá, qua crucem immiſſam, lateri applicat, lunæ dimidiatæ; pede autem ſiniſtro in puppim liburnæ innixa.*

In quo quidem apparatu facile in ſe mentem oculoſque curioſiores convertit, inſolitum prorſus inviſumque in ejus ævi nummis, CRUCIS *ſymbolum.* quod nonnullos permovit, ut ad *Chriſtianam Religionem* hoc ænigma referrent. de qua Domitianus trophæum hoc monumento erigere voluerit. poſtquam illam ſæviſſimæ perſecutionis clade afflixiſſet. Neque deſunt ſane exempla nummorum, quibus urbes, regiones, populi VICTI CAPTIVE, plerumque quidem elogiis additis, interdum tamen & nuda imagine promulgantur. De quo genere inter cæteros eximius eſt nummus Domitiani argenteus, *Germaniæ lugentis* typo inſignitus, quem cum *Theſauro* inæſtimabili publicavit indefeſſus nummariæ antiquitatis Reparator *Carolus Patinus.* Quin & favet huic conjecturæ temporis annotatio. *Decimo quinto* enim *imperij anno*, quo ſignatum eſſe hunc nummum, ex inſcriptione liquidum eſt, Domitianum ad *Theſ. Num. p. 60.*

 per-

Hist. Eccl. III, 20. & in Chron. *Hist. Eccl. III, 9.*

persequendos Christianos esse delatum, post *Eusebium*, *Nicephorum Callistum* & alios, docuerunt *Scaliger* in *Thesauro Temporum*, *Cuspinianus in Fastis*.

Qua mihi tamen verisimile nondum redditur, illa jam ætate, monetarios didicisse sanctissima fidei nostræ mysteria emblemate crucis exprimere; qua doctissimi quique sagacissimique Romanorum adeo nostræ religionis rudes erant, ut ne Judæorum quidem & Christianorum ulla discrimina intelligerent. Exempla apud *Tacitum* inprimis & *Suetonium* obvia sunt. *lib. LXVII.* Sed & *Dio Cassius* hanc ipsam persecutionem adversus eos directam scribit, *qui in ritus Judæorum transierant: nec alia de causa damnatam Flaviam Domitillam*: quam tamen *pro confessione nominis Christiani in Pontia insula longum martyrium duxisse* ait *Hieronymus*. *Epitaph. Paul.* quid? quod ne executum quidem penitus esse destinata, sed pœnitentia sævitiæ subeunte, illos etiam, quos relegaverat, restituisse Domitianum, ex *Tertulliano* constat. *Apologet. c. VI.* ne de *Hegesippo* nunc dicam: qui edicto coërcitam à Domitiano Christianorum persecutionem, apud *Eusebium* memorat. *Hist. Eccl. III, 20.* Et quo quis attentius denique habitum tam abstrusæ imaginis expenderit; eo proclivius in tenore plenæ interpretationis evanescere sentiet, quæ primo forte intuitu, ad sustinendum hujus conjecturæ robur, è reliquo ænigmatis apparatu attemperari posse videbantur.

Nihil certe, quod subactæ afflictæque religioni potius, quam superbienti & jactabundæ superstitioni conveniat, queas deprehendere. Cui meministi, PATRONE AMPLISSIME, me initio statim, hunc denarium, cum de eo primùm sententiam meam exquirere dignareris, in solidum transscripsisse. adeo enim manifestis indiciis se prodebant *Isiaci* cujusdam *Sacrigeruli* insignia: ut in eo efformando pronuntiarem Flatores hujus numismatis ad περιεργίαν usque laborasse. Prorsusque adesse coram atque ante oculos assidere mihi videretur unus de *Antistitibus sacrorum & proceribus illis, qui,* describente Oratore Madaurense, *candido linteamine cinctum pectorale adusq; vestigia strictim injecti, potentissimorum Deûm, insignes exuvias proferre* consueverunt. *Apulej. Metam. lib. XI.* Idem *Pastophoros* alibi & *sacrorum gerulos* vocat, qui *Plutarcho* ἱεραφόροι dicuntur. *de Isid. & Osirid.* Veste utebantur muliebri; cujus indi-

indicium *manicæ* in nummo: Unde in *Poematio Christiano Veteri*, quod nonnulli *Tertulliano*, alii *Cypriano* tribuunt, *ad Senatorem*, qui de Christiano in Sacerdotem Isiacum degeneraverat, non immerito iis exprobratur,

Namq; sacerdotes tunicis muliebribus iidem
Interius ritum cultu exteriore fatentur.

de manicis trita sunt & pervulgata omnia. *Eas tunicas*, inquit *Gellius*, quæ manicas habebant, *Græco vocabulo nostri chirodotas appellaverunt, feminisq; solis vestem longe lateq; diffusam decoram existimaverunt.* Et hinc *Tacitus* in Germanorum mulieribus tanquam eximium, atque à Romana mollitie alienum notat, quod *pari cum viris habitu, partem vestitus superioris in manicas non extenderint, nudæ brachia ac lacertos.* *Noct. Att. VII, 12.* *Germ. XVII, 3.*

Cæterum capite quidem raso, sed obumbrato tamen vel obtecto calvitio incedebant: nisi qui intima prorsus admissione per omnia vanæ superstitionis mysteria essent initiati: qui munia sua calvitio quoquo versus obvio obibant. testis locupletissimus iterum Apulejus: *ne sacris suis* (Osiridis) *gregi cætero permixtus deservirem, in collegium me Pastophororum suorum, imo inter ipsos Decurionum Quinquennales elegit. Rursus deniq; quam raro capillo, collegii vetustissimi & sub illis Sullæ temporibus conditi munia, non obumbrato vel obtecto calvitio, sed quoquo versus obvio, gaudens obibam.* Tegmen autem, quo obumbrabatur calvitium, *galerus* fuit, proprium Sacerdotum gestamen. de Isiacis Tertullianus: *ob cultum per omnia candidatum, & ob notam vittæ, & privilegium galeri, Cereri initiantur.* Cererem intellige *Fariam*, ut idem alibi Isidem nominat. cujus nimirum ministri *linteæ vestis candore puro luminosi, ob cultum per omnia candidatum*, Apulejo describuntur. *Metam. XI.* *de Pallio.* *Apol. c. XVI.* *vid. Lips. de cruc. I, 5.*

Gestabant autem Isiaci Sacerdotes præter instrumenta apparatumque sacrorum, & simulacra Numinum suorum, *plantas* quoque varii generis, & imagines deæ consecratas: quales ab *Apulejo* complures in describenda pompæ Isiacæ solennitate enumerantur: & de *Seriphio* sive *absinthio marino* testatur Plinius: *Hujus ramum Isiaci præferre solenne habent.* in isto autem censu ponunt inprimis PERSEAM eruditi Ægyptiacæ Mythologiæ interpretes: cujus fructum porrigit dexterâ Pastophorus noster, *Metam. XI.* *Hist. Nat. XXVII, 7.*

noster, assurgentis rami reliquiis annexum: prorsus qualis à *Plutarcho* ex ipsorum Ægyptiorum disciplina describitur. Τῶν δ' ἐν Αἰγύπτῳ φυτῶν, inquit ille, *μάλιστα τῇ θεῷ καθιερῶσθαι λέγουσι τὴν* ΠΕΡΣΕΑΝ· *ὅτι καρδίᾳ μὲν ὁ καρπὸς αὐτῆς, γλώττῃ δὲ τὸ φύλλον ἔοικεν·* *E stirpibus Ægyptiis, maxime consecratam deæ* (Isidi) PERSEAM *ajunt, quod ejus fructus*, CORDIS; *folium*, LINGUÆ *speciem refert*. Quod testimonium, quantum quidem ad nostrum institutum attinet, lucrifacit nobis disputationis valde intricatæ molestiam; in qua de *persea* plura confundi, quæ discerni oportebat, post *Julium Cæsarem Scaligerum*, observavit eruditissimus priscæ sapientiæ, politiorisque literaturæ felicissimus vindex *Ezechiel Spanhemius*. Cæterum in ipsa quoque Ægypto perseam rarius crevisse, & hinc diligentiorem ejus curam esse habitam, argumento est Imperatorum *Arcadij* & *Honorij* Constitutio, qua *libris quinq; auri mulctabatur, si quis Daphnensis luci in Syria, vel Perseis in Ægypto arbores comparavisset*. Falsis vero Numinibus dedicatam, si non aliunde, ex narratione miraculi colligere liceat, quod Hermopoli in Thebaide ad infantis JESU adventum contigisse *Sozomenus* & *Nicephorus Callistus* memorant. *Perseam nimirum insignis proceritatis, Christi præsentiam non ferentem, sese in terram inclinasse, & pulso ex eâ Dæmone pronam inclinatamq; mansisse.*

Præter hæc, alia etiam his pompis fercula ostentabantur, ad repræsentanda potissimum Deæ munia, symbolice adornata: sicut ex *Apuleji* mystis *quartus Æquitatis indicium ostendit*. Inter ea autem non augustius aliud fuit, quove censeri magis vanissimum numen æstimarique vim suam voluerit, quam *Salutis novæ, venturæq; vitæ* tutela: cujus spem ab illa paciscebantur, qui fato propiores, ultimi casus pericula exhorrescebant. *Nam & inferum claustra, & salutis tutelam in Deæ manu posita*, jactat apud *Apulejum* mendacissimus præstigiator, *ipsamq; traditionem ad instar voluntariæ mortis, & precariæ salutis celebrari: quippe cum transactis vitæ temporibus, jam in ipso finitæ lucis limine constitutos, quis tamen tuto possint magna religionis committi silentia, numen Deæ sole eligere. & sua providentia quodammodo renatos, ad nova reponere rursus salutis curricula*. Uti vero *salutem*, angue sacro, ita *reparationem vitæ*, CRUCIS symbolo designare, à salutifero serpente, quem in deserto Moyses erexit, Ægyptios didicisse existimo.

de Isid. & Osirid.

in Theophr. de Caus. plant. II. 5.

in Arist. de plant. lib. 1. p. 81.

de Usu & Præstant. Vet. Num. p. 60.

l. 1. C. de cupressis ex luc. Daph. vel Perseis per Ægypt. non excidendis.

vid. Cl. Pignorij mens. Isiac. c. III. p. 85.

Hist. Eccl. V, 21.

Hist. Eccl. X, 31.

Casaub. Exerc. Baron. II, 14.

Clem. Alexandr. Strom. V.

Metam. XI.

Metam. XI. p. 267.

vid. Tertul. adv. Marcion. lib. III. cap. 18.

ſtimo. Nam id quidem dudum extra dubium poſitum eſt, inter literas Ægyptiorum ἱερατικὰς *figurâ Dominicæ crucis* VITAM VENTURAM denotari. Celebre in hanc rem teſtimonium exhibet Ruffinus: *Signum Dominicæ crucis inter illas, quas dicunt* ἱερατικὰς, *id eſt, ſacerdotales literas habere Ægyptij dicuntur, velut unum ex cæteris literarum, quæ apud illos ſunt, elementis. Cujus literæ ſeu vocabuli hanc eſſe aſſerunt interpretationem:* VITA VENTURA. Neque minus nota eſt hiſtoria, quam de *crucibus Ægyptiis*, Scriptoribus Eccleſiaſticis *Socrati* & *Sozomeno* memoratam, *Suidas* etiam recenſet: Ἐπὶ Θεοδοσίου τοῦ μεγάλου βασιλέως καθαιρουμένων τῶν Ἑλληνικῶν ἱερῶν, εὑρέθησαν ἐν τῷ τοῦ Σαράπιδος νεῷ ἱερογλυφικὰ γράμματα, σταυροῦ ἔχοντα τύπους, ἅπερ θεασάμενοι οἱ ἐξ Ἑλλήνων χριστιανίσαντες, ἔφασαν σημαίνειν τὸν σταυρὸν παρὰ τοῖς ἱερογλυφικὰ γινώσκουσι γράμματα, ΖΩῊΝ ἘΠΕΡΧΟΜΈΝΗΝ. *Theodoſio Magno imperante, cum fana Gentilium diruerentur, inventæ ſunt in Serapidis templo hieroglyphicæ literæ habentes crucis formam; quas videntes Græci, qui Chriſto addicti jam erant,* CRUCEM *apud peritos hieroglyphicarum notarum ajebant ſignificare* VITAM VENTURAM. Suffragantur tabulæ, obeliſci, variique generis monumenta Ægyptiaca alia: in quibus frequentius quidem *crux*, quam *commiſſam* vocant, figurâ literæ T. & plerumque *anſata*, interdum tamen & *immiſſa*, qualis noſtra, *ſine anſa*, occurrit. Et licet ut plurimum imagines, quæ cum *cruce* exhibentur, *digitis brachiove appenſam* geſtent; eſt tamen reperire, quæ, æque ac noſter ſacrigerulus, *lateri* habeant *applicatam*: quod de ſua quadam *imaguncula Iſidis bipedali* aſſerit teſtis graviſſimus & omni exceptione major, *Petrus Seguinus*.

Gretſer. de Cruc. lib. I. cap. 43.

Hiſt. Eccl. II, 29.

vid. Eunapij Ædeſiū. voc. σταυροί.

Pignor. Menſ. Iſiac c. III.

vid. Kircher. Obeliſc. Pamphil. lib. IV. hier. 20. p. 366.

Select. Numiſm. pag. 6.

Reliqua jam magis proclivia ſunt. LUNA enim *dimidiatâ*, ſive *cornutâ*, Iſidem deſignari, quis eſt Mythologiæ Veteris tam ignarus, ut doceri ſe poſtulet? Unicum ex abundanti copia adſcribam *Euſebij* teſtimonium: qui, poſtquam ex *Diodoro* Ægyptiis antiquiſſimis Solem & Lunam ſub Oſiridis & Iſidis nominibus cultos retuliſſet, de Iſide adjicit: Τὴν δὲ Ἶσιν μεθερμηνευομένην εἶναι παλαιὰν, τεθειμένης τῆς προσηγορίας τῇ σελήνῃ, ἀπὸ τῆς ἀϊδίου καὶ παλαιᾶς γενέσεως. κέρατα δ' αὐτῇ περιτιθέασιν ἀπό τε τῆς ὄψεως, ἣν ἔχουσα φαίνεται, καθ' ὃν ἂν χρόνον ὑπάρχει μηνοειδής. *Iſin, Antiquam ſignificare: à perpetua & antiquiſſima Lunæ origine.*

Præpar. Evang. V, 9.

Nnn Cui

Cui & cornua affingunt: quia hac figura conspicitur, cum menstruis mutationibus crescit, decrescitq;.

Neque major hæsitandi locus superest, quâ ratione NAVIS Deæ navigationis præsidi conveniat: cujus *ratem* etiam Romani solenni festo celebrabant: in quo describendo valde iisdem copiosum se *Apulejus* exhibuit. Solenniori vocabulo BARIS nominabatur *Isidis navigium*: ut post *Herodotum, Hesychius & Suidas*, annotarunt: quam in horrendo execrationis carmine, quod ex *Chæremone Porphyrius* refert, *Sacerdos se fissurum esse* minatur. Quanquam & in eo jam sat erat rationis futurum, si quis *puppe* in hoc numismate signata Romanos, *hospitis Deæ adventum testificatos*, assereret. *Tacitus* certe non aliter de Suevis: *Pars Suevorum & Isidi sacrificat. Unde causa & origo peregrino sacro, parum comperi; nisi quod signum ipsum, in modum* LIBURNÆ *figuratum, docet advectam religionem.*

vid. Tristan. Comment. in Domit. numm. ult. Metam. XI. Euterp. cap. XCVI. ap. Euseb. Præp. Evangel. V, 10. Germ. c. IX.

Superest CORONA: quam de PERSEÆ *foliis* contextam vix dubitabit, qui speciem illorum in *tabula Bembina & Kircherianis* monumentis expressam lustrare operæ pretium duxerit. Usum quidem hujus *coronæ* rariorem & ipse fateor: Sed præfert tamen eam in Ptolemæi Philadelphi pompa Penteteris: & notat Plinius: *Alexandrum illa coronari victores Memphis instituisse, in honorem Persei atavi sui.* Neque de Romanis fortasse dubium superesset, si ad nostram usque ætatem pervenisset doctissimi Jureconsulti *Claudij Saturnini de coronis* liber: quo *nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum cespitem aut palmitem, non alicui capiti consecratum*, docebatur.

Obelisc. Pamph. IV, 19, 4. Athenæus Dipn. V, 7. Hist. Nat. XV, 13. Tertull. de coron. milit. cap. VII.

Tam liquida testimoniorum fide impetrasse me arbitror, ut Ægyptium quidem sacrificulum tam selectis mysteriorum suorum ludibriis involutum facile sint agnituri, quicunque oculos huc & judicium advertere dignabuntur. Attamen non deerunt fortasse, qui Romanum Imperatorem hoc habitu deformatum ægrius persuaderi sibi patientur. Equidem

Si quis ab Isiaco Consul procedat in Urbem,
Risus oris erit: quis non hunc rideat autem,
Qui fuerit Consul, nunc Isidis esse ministrum?

de

de *Commodo* utique legitur apud Lampridium: *Sacra Isidis coluit, ut & caput raderet, & Anubim portaret.* & de *Rescennio Nigro* scribit Spartianus: *Hunc in Commodianis hortis, in porticu curva, pictum de musivo, inter Commodi amicissimos videmus sacra Isidis ferentem.* Verum quo minus huc transferri queant ista testimonia, intercedit ejusdem *Spartiani* annotatio: qui, cum *per Antoninum* quidem *Caracallam sacra Isidis primum Romam venisse* neget: *à Commodo* tamen *primùm invecta* subinnuere videtur. Nisi forte satis habuit, minus probabilem *Marij Maximi*, vel alterius cujusdam Historici observationem recenti exemplo confutasse. Verba ejus sunt de Caracalla: *Sacra Isidis Romam deportavit, & templa ubiq; magnifica eidem Deæ fecit. Sacra etiam majore reverentia celebravit, quam ante celebrabantur. In quo quidem mihi mirum videtur, quemadmodum sacra Isidis primum per hunc Romam venisse dicantur; cum Antoninus Commodus ita ea celebraverit, ut & Anubin portaret, & pausas ederet. Nisi si forte iste addidit celebritati, non eam primus invexit.* Si pace magnorum virorum dicere liceret, qui vel falcem criticam immiserunt in hunc locum, vel à Spartiano præclare compositam esse pronuntiarunt litem, quam ipse sibi præter necessitatem excitaverat; illi, qui *sacra Ægypti per Antoninum deportata Romam* tradiderunt, non de *cultu ritusve sacrorum Isidis,* sed de ipsis *arcanis genuinisq; Deæ,* ut cum *Apulejo* loquar, *exuviis,* sensisse videntur: quæ ad id usque tempus Alexandriæ fuerant asservata. Nota sunt, & ipsi etiàm *Spartiano* non intacta, immanitatis prodigiosæ specimina, quibus nobilissimam civitatem, cui se ob fratris cædem exosum irrisumque esse senserat, paulo minus quam internecione delevit ὁ Αὐσόνιος θήρ. initio ab Antistitibus facto. Ἐπεὶ γὰρ εἰς τὸ προάστειον ἦλθε, inquit Dio, τοὺς μὲν πρώτους μεθ' ἱερῶν τινων ἀπορρήτων ἐλθόντας δεξιωσάμενος, ἀπέκτεινε. *Ut primum suburbium introiit, primores civitatis, cum arcanis quibusdam & ineffabilibus sacris, sibi obvios, cum eos comiter excepisset, interfecit.* Subjectis inde cædibus, rapinis, sacrilegiis, addit mox: καὶ τούτων τὰ μὲν πλείω αὐτὸς ὁ Ἀντωνῖνος παρὼν καὶ ὁρῶν ἐποίει, τὰ δὲ καὶ ἐκ τοῦ Σαραπείου προσέταττέ τισιν· ἐν γὰρ τῷ τεμένει διῃτᾶτο κἀν ταῖς τῆς μιαιφονίας αὐτῶν νυξὶ καὶ ἡμέραις. *Et hæc quidem partim ipse Antoninus præsens vidensq; perpetravit, partim aliis mandavit è Serapio. In hoc*

Commod. c. IX.
Pesc. Nigr. c. VI.
cap. IX.
vid. Aurel. Victor de Cæsar. cap. XXI.
Metam. XI.
cap. VI.
lib. LXXVII p. 279.

enim templo illos etiam dies noctesq; transegit, quas homicidiis suis ac nefandis facinoribus fœdabat. Ut inter media scelera, studiosum tamen adhuc numinum istorum agnoscas, & ad asportanda illorum secreta, veluti è capta hostilique urbe, incitatum. nam ipsum quidem Isidis & Serapidis cultum dudum antea Romam pervenisse, nimium abutar patientia Tua, VIR AMPLISSIME, si post eruditissimum *Pignorium* prolixioribus testimoniis affirmare laborem. cui enim, ne remotiora tangam, ex ævo Cæsaris ignotum illud *Poëtæ* ad Ægyptum?

Mens. Isiac. cap. III.

Lucan. Phars. IIX, 831.

Nos in templa tuam Romana recepimus Isin,
Semideosq; canes, & sistra jubentia luctus,
Et quem tu plangens, hominem testaris Osirin.

Quin ne ipso quidem Capitolio, quo circa A.V.C. DCXCV. prohibita fuerat Isis, extorris mansit. Tertullianus: *Serapidem & Isidem & Harpocratem cum suo Cynocæphalo, Capitolio prohibitos inferri, id est Curia Deorum pulsos, Piso & Gabinius Coss. non utiq; Christiani, eversis etiam aris eorum abdicaverunt, turpium & otiosarum superstitionum vitia cohibentes: his vos* RESTITUTIS *summam majestatem tribuistis.* Succinit Prudentius:

Apolog. c. VI.

contr. Sym. I, 625.

-- -- -- -- ô pereuntum
Adsertor divûm: solus qui restituendos
Vulcani Martisq; dolos Venerisq; peroras,
Saturniq; senis lapides, Phœbiq; furores:
Iliacæ matris Megalesia, Bacchica Nisi,
Isidis amissum semper plangentis Osirim
Mimica, ridendaq; suis solemnia calvis,
Et quascunq; solent CAPITOLIA *claudere larvas.*

Quæ huc repetere visum, ut viam præstrueremus, qua, pede inoffenso, ad ipsum cimelii nostri institutum, genuinamque, si qua fieri queat, significationem penetraretur. Et prælucent verò illam clarissime, nisi me omnia fallunt, ac veluti lumine accenso, *Tacitus* & *Suetonius*: Hic de Domitiano in vita ejus scribens: *Bello Vitelliano confugit in Capitolium, cum patruo Sabino, ac parte præsentium copiarum: sed irrumpentibus*

cap. I.

bus adversariis, & ardente templo, apud æditum clam pernoctavit: ac mane ISIACI *celatus* HABITU, *inter sacrificulos vanæ superstitionis, cum se trans Tiberim ad condiscipuli sui matrem, comite uno, contulisset, ita latuit, ut scrutantibus, qui vestigia subsecuti erant, deprehendi non potuerit.* Ille in *Historiis*: *Domitianus*, inquit, *prima irruptione apud æditum occultatus, solertia liberti,* LINEO AMICTU *turbæ sacricolarum immixtus ignoratusque, apud Cornelium Primum, paternum clientem, juxta Velabrum, delituit. Ac potiente rerum patre, disjecto æditui contubernio, modicum sacellum Jovi Conservatori, aramque posuit,* CASUSQUE SUOS IN MARMORE EXPRESSIT. *Mox Imperium adeptus, Jovi Custodi templum ingens, seque in sinu Dei sacravit.* Omittit *sacricolarum nomen* Tacitus: Sed *lineum amictum* substituit; proprium Isiacorum insigne. Suetonius de Othone: *Sacra etiam Isidis traditur sæpe in lintea religiosaque veste propalam celebrasse.* Quomodo & *Juvenalis* Isidis cultores περιφεράζει.

III, 74, 1.

Vit. Othon. c.XII.

Sat. VI. v.530.

Ergo hic præcipuum summumque meretur honorem
Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo
Plangentis populi currit derisor Anubis.

Qui autem non ignorant, quanto luculentius propagandæ ad æternitatem famæ præsidium in *numismatibus*, quam in alio quovis monumentorum genere reposuerint Romani; ab illis haud magno negotio poterit obtineri, ut *argento quoque repræsentatos casus* concedant, quos IN MARMORE EXPRESSOS tam perspicuo nobilique testimonio evincitur. Quanquam & *natale* nummi nostri *tempus* insuper videtur causam rationemque peculiarem complecti, qua Domitianum fuisse impulsum, non improbabilis conjectura est, *ut ultimis periculis proximus, conservatæ isthoc miraculo salutis memoriam, in spem* VITÆ VENTURÆ, *eo, quod explicavimus, emblemate consecraret.* Annum enim diemque ultimum vitæ, quod itidem ex *Suetonio* constat, jam pridem suspectum habebat, horam etjam, nec non & genus mortis: quare pavidus semper atque anxius, & tempore præsertim suspecti periculi appropinquante, solicitior indies, nulla expediendæ tuendæve salutis præsidia neglexit. Attigit autem annum imperii *decimum sextum,*

Domit. c.XIV.

Dio lib. LXVII.

Suet. cap. XVII. Euseb. in Chron. & ibi Scalig. Hist. Miscell. VI, 12. Plutarch. de Isid. & Osir. Suet. Domit. c. XV. Apulej. Metam. XI. Suet. Domit. c. XIV. Id. c. XVI.

tum, quod nummi apud *Occonem* indicant; explevit *decimum quintum*: quo, si præter historiæ fidem licet esse suspicari, cuso hoc denario nostro, Isidem, cui templum etiam in nova urbis regione exstruxit, simul *ob latebras* quondam *salutares*, PERSEÆ fructu foliisque, tanquam *silentii & taciturnitatis symbolo* celebravit; &, postquam familiaria sibi prius numina, Jovem & Minervam quoque in perniciem suam conspirasse, somnio admonitus est; Eandem, CRUCIS emblemate, ad *novæ* rursus *salutis & vitæ venturæ* tutelam sollicitavit. An vaticinium, quo pridie, quam periret, alludens ad genituram suam, à Chaldæis dudum prædictam, affirmaverat, *fore, ut sequenti die Luna se in Aquario cruentaret*, ad illustrandum nummum conferre aliquid possit, judicent sagaciores. Quibus ego materiam elegantissimæ disquisitionis obtulisse contentus, satis mihi præclarum instituti mei fructum consecutus videbor, si in eruditorum concilio, ad Tuum, VIR AMPLISSIME, votum expectationemque, sententiam rogavi. Ita Te DEUS sospitet! Argentorati A. D. IV. Non. Februar. cIↄ Iↄc LXXV.

EPISTOLA



EPISTOLA DE SACRO APOLLINARI, AD ILLUSTRES EJUS, IN ARGENTORATENSIUM AMPLISSIMA UNIVERSITATE, PRAESIDES.

EMINENTISSIMI NOBILISSIMIQUE DOMINI, CANCELLARIE ET SCHOLARCHÆ &c.

MAGNIFICI ET EXCELLENTISSIMI PROFESSORES &c.

SÆcularis Academiæ Veſtræ felicitas, quæ ad illud conſummatæ gloriæ faſtigium, cujus ante hos centum annos, præcipuo Majores noſtros Imperatoriæ authoritatis munificentia momento beavit; hoc ipſo temporis articulo literarii Veſtri Imperii decus, ad exemplum nobiliſſimarum Univerſitatum evexit: quod me non eſt intra privatam auguſtiſſimi feſti venerationem paſſa ſubſiſtere, facile mirari

Scr. Baſileæ 30. Maij 1666.

rari desieritis, DOMINI, quando paulo post, certantium variis inter se festivæ pietatis officiis, civium Vestrorum ardor, illam, quam omnium animis naturæ quædam communis lex, sibi vero interior fortunæ publicæ sensus, & hodierni præsertim diei splendor ingeneravit, quaque haud ulli temere fas fuerit, negligentibus ad Patriæ prospera oculis connivere, affectuum intemperiem, inter sui cujusque obsequii pignora designabit. Mea vero ætas, sicut non ægre potuisset, ab ipsa imbecillitate sua præsidium adversus silentii crimen mutuari : ita, postquam impares, educatos quippe hactenus in umbra, oculos ad publicæ lucis radios est ausa attollere, hoc se jamjam sentit fortius adversus gravioris censuræ notas animari, quod illum, nemini magis quam laborantibus obvium, favorem Vestrum, si nulla alia re, suarum saltem virium defectu, quem cum Principum quorumque Oratorum artificiis, declinata suis Auditoribus eloquentia fucum facientium, ausit componere, se credit promereri. Addit tamen, quanquam in Vestra benevolentia præcipuum securitatis suæ & summam doctæ reponere, non parum confidentiæ ; quod genius ejus Sacri, quo occupatas meditationum Vestrarum curas, tenui modo stylo prosequi ordiebar, & celebrantium Veteres Romanos infantiam ultro requirebat, & apud sanctioris disciplinæ conscios, multo etiam magis comparatæ ad ostentationem & pompam eloquentiæ, divinioris longe sapientiæ profunditate repellere conatum, vel deprimere fiduciam intelligitur.

Non obesse nihilominus potest, venerantium hujus festi arcana simplicitati magis, quam admirantium stupori subvenire, quod Apollinis, &, inter superstitiosarum mentium inprimis ludibria numerandum, APOLLINARIS SACRI, nata ex Gentilium fabulis & pagana vanitate, nomina, non satis argumenti quod tractamus sanctitate digna, plerisque equidem, sed forte nil aliud quam primo intuitu queant videri : quatenus inter solennia sapiendi sublimius instrumenta meretur referri ; quando à verbis non pertingentibus, ad reconditioris negotii recessus, & rei supra cogitationes humanas positæ veritate, ad notas & fabulas & simulacra confugere, etiam severæ eruditionis Viris mos est : ne quid cognoscentis otio ac sollertiæ subductum, aut

aut alieni culpa ingenii ſtylive detritum videatur. Niſi quod hæc forte ſuperfluæ nimis diligentiæ fuerit, Vobis, Mæcenates, prolixius excuſare; qui eadem opera, qua fata, qua auſpicia, qua auguſta, & ſi quæ ſunt alia, quæ ducta ex ſuperſtitione origine, ad enunciandas magnificentius, reverenter & ex rei veritate conceptas animi ſententias, noſtris temporibus vocabula invaluere, loquimini; ſi quando illuſtriſſima ſuis quæque meritis ora ſolvere, publici egregii decus & ratio poſtulat. Et noviſtis, & ſubinde, editis ad ſplendorem ſæculi exemplis, palam facitis, quem Imperii pariter Veſtri & temporis Præſidem, quocunque tandem nomine, intelligere; quibus cærimoniis venerari; qua ſpe ſupplicari; quibus ſollicitare votis oporteat. Hinc eſt, quod per illa longa ſolennium cærimoniarum ſpectacula diſtrahi, quibus olim Imperii ſui ſalutem, à tutelaribus Diis rerum Domina Roma, centeſimo quoque anno denuo paciſcebatur; quamvis non adeo decuerit tam Divinæ, cui deinceps erit operandum, Philoſophiæ majeſtatem: exinde tamen, cum bona præſertim Veſtra gratia, in hunc locum accerſita, cui ſanæ potiſſimum rationis ineſſe, nemo quiſquam diffitebitur, APOLLINARIS SACRI memoria, non parum ad admirationem Divinæ in res humanas providentiæ æſtimari debeat collatura, ſi vel hac ratione tam illuſtre intelligetur ejus ac efficax lumen: ut diſſipatis altiſſimarum tenebrarum nebulis, etiam gentilium oculis pene inſinuaverit, quo vim ſuam tempore deprehendi, quibus amaret intervallis propitiari. At enim apud veteres illos, quanquam ſapientiſſimos, Ethnicorum, non aliud fere ſæculares curas, quam eminentioris exempli evidentia, ſive illud in averſa infecti aëris lue, ſive imminentis belli clade patuit, vel ſuſcitaverat, vel ſolebat intendere. Si quæ circa Divinæ gubernationis adminiſtrationem, primam intuentium aciem, aut profundius recondita fugerent, vel exſerta mirabilius obtunderent, ea ipſi partem cœcutientes tranſmittere, partem nihil aliud, quam altiſſime ſtupere, alia conſulto negligere, ſemper quidem inter hiatus imperfectæ ſapientiæ, nonnunquam etiam inter artes ſuas oſtentavere. Nondum autem illis antiquis temporibus in certas rerumpublicarum formas literarum ſtudia coaluerant, & eorum fata variis tacitiſque magis, quam in Imperiis forte

fieri consuevit, orbibus volutari, & incertiore vicissitudine verti cernebantur. Hæc ex illis tamen, qui judicio præ aliis valebant, intertexta Rerumpublicarum fortunis, arctari ætatibus, migrare per gentes, interdum urbium mœniis constringi, haud raro animadvertere, sæpius mirari: mox, quia eventuum præcipue inania observabant, causarum opido ignari vel dubii, dispersæ, aut ad privatam plerumque conditionem depressæ eruditionis & bonarum disciplinarum sorte, à curatiore investigatione demoti, intra advertendi mirandique conatum subsistere cogebantur. Succedentibus vero Christianis demum sæculis, cum diuturnam crassámque barbariem velut carcerem elapsum, liberiori se cœlo vindicasset sapientiæ studium, præteritæque captivitatis dedecus, & conflatum exinde contemptum, subitis nobilium incrementorum gradibus ulcisceretur, Augustissima summæ Majestatis auctoritate, in cujus jam propius tutelam concesserat, de peculiari Regno, variisque sibi Rebuspublicis prospexit. In his paulo post, sicut in Imperiis & civili statu, numerari ætates, comparari incrementa, divini consilii directio prudentium observatione per periodos notari cœpta est, & publica cura non advertentibus commendari. Quæ, tradito diffusoque per quicquid est cultiorum gentium salutaris haud dubie propositi more, dum singulas pro sua incolumitate literarias civitates, restaurare per sæcula publice vota, renovare auspicia docuit, reddito toties, quamvis disparatis studiis, vigore, urgentia sæpius universum literarium orbem fata, quatenus interverti non semper potuere, aliquoties hactenus mitigavit.

Quanquam quid opus est, audaciæ meæ vel rationes excusandæ conquirere, vel imbecillitati supplendæ aliunde subsidia mutuari? Quando ipsum Apollinis nomen, sub quo Romani quondam sacerdotes moderatorem temporis, cujus in sæcula cadentes annos digerere munus esset; Poëtæ, Musarum Antistitem, adeoque omnis boni moris & disciplinæ vel Præsidem & dispensatorem, vel auctorem, venerati sunt. Nostra quoque Christiana ætate, à viris gravibus, detracta tamen omni superstitionis opinione, sæpe literis, velut conciliata divinitatis quadam specie, conservata auctoritas est: duplicato jure tituloque,

loque, adeoque juſtius, quamvis abſque omni alia ratione, magnificentius, licet ſine omni pompa, in ſuo Regno, quam alibi, ſua ſibi ſacra celebrari, nos ultro admonet. Et à Veſtra, DOMINI, pietate, nec poſitis adeo longe ſupra memoriam noſtram temporibus, exemplum ſuppetit, quo, quicquid in ſæcularibus feſtivitatibus, unquam ullibi, vel ſanctitate propoſiti, vel pietatis apparatu, vel gravitate religionis meruit commendari, non comprehenſum copioſius, quam magnificentius explicatum eſt. Vidit, inquam, in Urbe Veſtra, in Academia, in Schola, annus hujus Chriſtiani ſæculi trigeſimus octavus, vidit, & inter ſæculi decora, quam ſeria præſentium diſciplinæ, quam multa exterorum admirationi, quam magna poſterorum imitationi argûmenta ſubjecit: dum ſuppeditavit ſpectaculum, cui fruſtra, quod ab omni parte congruat, ſuperiores ætates, multum noſtra laboraverit, ex ſuarum celebritatum magnificentia ſpecimen reperire. Quam enim illud eximium eſt, quam fauſti ominis, quam inter alia multa boni augurii plenum, quod in ejus feſtivitatis gaudia, quibus revolutum, felici centum annorum profectu ab inſtituto primum publice literario ludo, circulum, Academia conſummavit, diviſo inter ſuorum, & Academiæ civium neceſſitudines affectu, & conſpirato animorum ardore, tota Ampliſſima ARGENTORATENSIS Civitas, nullo ætatis, nullo ordinis diſcrimine, ſolenniter velut effuſa, conſenſit. Ipſa tam cordatæ ſententiæ rectitudo, qua Nobiliſſima Reſpublica tunc ſe aſſurgere, tunc florere, tunc perfectæ felicitatis genio frui, quia illo bono frueretur, cujus tam florentem uſum, gentium proſperis DEUS ſemper viſus eſt gratificari, animoſa interpretatione & reputavit ſemper, & tum temporis maxime ſe reputare, ſerio teſtata eſt. Nonne talis fuit, ut de profecturæ ad altiſſima quæque amplitudinis curſu, cujus jam ab initio hujus ſcriptionis complementum ſumus venerati, neminem facile, pene vel ſola, pateretur dubitare? Jam vero illa per longam præteritorum beneficiorum ſeriem acta, magnifica commentatione, recordatio, poſtquam in pietatis gratiſſimæ præmia Divinam munificentiam, ipſo teſtandæ gratiæ ſtudio; & auguſtas Ampliſſimorum Procerum curas, quibus hæc apparebat tanquam oblata divinitus occaſio, qua cum Majo-

rum suorum immortalitate contenderent, ad profutura posteritati consilia, & conciliandam avito gloriæ suæ splendori, quæ sola jam deerat, perpetuitatem animasset: facile apparebat, quantum non huic saltem festo, sed toti literarum negotio efficacitatis augmentique polliceretur: quando præsertim tot Illustrium Virorum, Patriæ Patrum, præsentia humanitateque, &, qua tanquam proprio sidere solennis ejus diei pompa, tam in Ecclesia quam Schola præfulsit, eximio propitiatæ voluntatis indicio, Præclarissimorum Vultuum serenitate crescere universo docentium discentiumque cœtui, & erigi denuo animos, incitari laborum constantiam, illustrandæ Reipublicæ studium incendi, nemo fuit, quin animo persuasum haberet, & velut in re præsenti quodammodo cerneret.

Quo intelligendum est evenisse; dum obsequi pro se quisque sæculi fatis, & fortunæ publicæ intentus est; quam ex æquo intelligentibus iterum infundebat, & allucebat cœcutientibus, & stupentibus inculcabat celebris festi splendor: dum ad subeuntes ex elapsi temporis memoria, futuri vel promovendas spes, vel spei declinanda pericula, sua omnes ordinare studia, dirigere conatus, disponere industriam, alacritate recentissima laborant: ut, tum hæc ipsa curatior literarii fati reputatio, tum vero inprimis, in quem eadem omnium ordinum, omnis ætatis ora laxaverat, publicorum votorum impetus, vergentia jam non magis ad incrementorum apicem, quam decrementi vicinitatem, tristisque senii situm, sapientiæ studia, sua quadam propria vi, novo vigori & revirescentis ætatis robori creditus sit restituisse. Siquidem APOLLINEM, ut ab eo, quem antea mihi jam in subsidium paravi, sed repurgato penitus titulo, propioris ad captum nostrum & velut intermedii Numinis, deficienti cum reluctantibus verbis orationi subveniam, sua sibi religiosius sollicitiusque SACRA facientium pietate motum, novi condendi sæculi suscepisse curam, iniisse rationes, tum quidem temporis ex infallibilibus, & fere plusquam pignoribus, paulo vero post felici experientia indubitanter animadversum est.

Ex hoc nobis exemplo fas fuerit in præsens, quæ quidem apertius patent, in elegantioris exempli disciplinam trahere; quæ

quæ vero profundiora myſteriorum ſubſunt, ea Veſtræ, Domini, omnia prudentiæ eruenda, Veſtræ commentationi & doctrinæ peragenda exhauriendaque relinquere. Nondum enim, præter alia, me, præſentiſſimum pariter ac validiſſimum, quo ſollicitatum rite in ſui depoſiti curam, illud Æternum, illud Beneficum Numen, inexhauſta ſuæ munificentiæ miracula venerantibus adeſt auxilium, ex dignitate rei, ſatis cogitationibus aſſequi, non mente concipere, nedum ſignare ſtylo fortem eſſe, jam pridem eſt, quod ſentio. Niſi quod obvium ex eo eſt, & operæ pretium, ut diſcamus, admiratio illa, cujus omnium animos hodierni temporis genius implevit, quibus debeat limitibus definiri, in quæ congruenter officia deſinere: adeoque diem, qui, evecta inſigni Auguſtiſſimi Imperatoris Maximiliani II. privilegio, ad Academiæ dignationem Argentoratenſium Schola, inclaruit, vere ſæculari memoria, id eſt, non Scenicis ineptiis, non, quod ait Ethnicus, *meliore lapillo*, ſed laudibus, gratibus, æſtimatione, pietate ſignandum. Hac ratione, unius diei feriis id quidem, nec perfunctoriis meditationibus, centum annorum, tot in Imperio Veſtro, tantaque conſummatæ eruditionis ſpecimina, tot Academicæ præcellentiæ decora objiciuntur: quæ, ſi Veſtræ potius gloriæ, quam intemerati & ſubmiſſe Vobis devoti mei obſequii deſtinaſſem, hoc qualecunque monumentum exhibere; meæ utique cautionis eſſe ſcirem, ne intra ſæculi anguſtias, ætatem contra, ſi cum annis actorum numeroſa magnitudo conferatur, putanda arctarentur: quoniam tantillo ſpatio, tantum ſtudiis, tantum laude profectum eſſe, qui dicere, quantum ex rei veritate profectum eſt, inſtitueret, id quidem ſummo labore conſequeretur, ut, dum exæquare dictis facta contendit, poſteritatis admirationi plurimum contuliſſe, non vero minus fidei merito videri poſſet detraxiſſe. Ego certe hinc, quo tenuioris ingenii diligentius rationes ſubduco, fortius adducor, mei juſtiſſimum, etiam aliqua laude majore, quam ne hic quidem conatus meretur, dignum (abſit invidia verbo) metum credere; verecundantis, elaboratam à Majoribus noſtris laudem, tractuque temporis inuſitatæ Succeſſorum virtutis fama, in conſummatæ gloriæ faſtigium exauctam, nunc Veſtris cujuſque meritis longe

ge lateque illuſtrem, carptim breviterque perſtringendo, impari calamo violare: quippe quem, ipſe præcipue claritatis & ſplendoris Auctor, ſiderum illuſtriſſimum, Sol, quoties per oppoſitum obſcuriorem ſuis luminibus obicem, quamvis interdum jucundius radios ſuos, vel ſic humanorum oculorum aciem faciliores admittere, partiatur; nunquam tamen, niſi multum imminuto ſplendore, penetrat, quotidiana queat experientia in hanc ingenui pudoris diſciplinam erudire. Sed eſto: dicatur non ſane immerito, factorum illorum ſplendor Solares quoque radios acumine, vel firmitudine ſuperare; quamque adverſus omnem obtrectantis malignitatem, tam celebrantis balbutiem integer illibatuſque manere: tali tamen Vos unanimi ſenſu & mente DEUS inſtruxit, qua (quod aliunde mihi ſatis conſtat) vix aliud ſitis, tum alias, tum hoc præſertim loco, præter ſimpliciſſimam boni ſæcularis æſtimationem, æquis auribus animiſque paſſuri. Idem ſcilicet Ille, qui non ad oſtentationem gentibus artes, verum in communem orbis humani ſecuritatem, felicitatem populorum, rerumpublicarum præſidia, munimenta urbium, ſæculorum ornamenta concedere; & conceſſum Veſtro Statui, tum hunc ipſum eruditionis Principatum, tum alia maximis itidem auguſtiſſimiſque nominibus dicenda ſtudiorum augmenta, & horum emolumenta, indubitatis ſemper indiciis, deprehenſus eſt accommodaſſe.

Atque ex his rationum momentis eſt, Divinique conſilii haud dubia deſtinatione, quod celeberrimum poſt hominum memoriam Typographiæ inventum, quo, quantum toti humano generi utilitatis, tantum inventori gloriæ, nonne quodam conſenſu intelligebatur conciliatum iri? tamen nihil minus, quam Inclytæ Argentoratenſis Reipublicæ, cui veros natales debere, pauci admodum amplius ſunt tam cœca ambitione abrepti, ut ambigant, famam; longe vero copioſiores, quam quæ ullius commentatione, nedum in hoc tranſcurſu digne queant explicari, uberioreſque fructus, inter ſtudiorum & beatioris ævi inſtrumenta, per orbem, & quicquid eſt cultiorum gentium, diffudit. Nec Scholarum prius inſtitutione, ſereniſſima Veſtro cœlo tempora fulſere, quam Scholarum fructibus potiſſimæ Europæi orbis partes, ex hac omnis bonæ diſci-

disciplinæ, qua res humanæ instruuntur, officina beatæ sunt, & doctrinæ miraculis illustratæ, & disciplinæ gravitate, in æmulationem saluberrimæ institutionis, siderea plane solarique virtute incensæ. At enim typographicæ quidem rei origo & originis gloria, sicut hoc loco posset, si id jam ageremus, minus intempestiva longe, quam à plurimis adversariorum non raro aliena sibi merita consuevere, digressione, veris Auctoribus vindicari: ita vix esset, ut in Patriæ fama civem vel idonea præsidia, vel animus destitueret. Prima vero Scholasticæ periodi ætas, eruditionis & doctrinæ non rudimentis, aut tentamentis, ut de maximarum quarumque rerum initiis & tenerioribus, qui propius initia excipiunt, progressibus existimari mos tenet, impedita; sed absolutis magnorum operum speciminibus, omnis privatæ vocis elogium, & commentationis industriam longe supergressa, Imperatoriæ suffragationis gravitate; qua in solenni Diplomate, hoc augustius illustriusque privilegium incomparabile radiat, quod intelligitur magnorum meritorum jure vindicatum; abunde prospectum est, ne qua ejus laudes ingressum verborum pondus nitorque posset destituere, vel ullius inopia facundiæ obsistere, quin æquali suæ magnitudini prædicationis magnificentia, dignoque suo splendore titulorum honore exsplendesceret. Nisi quod utriusque non ultra nunc fuit quærenda mentio, quam ut à præsentis felicitatis spectaculo, ad primam ejus originem, adeoque Summum Auctorem veneratione provecti; tum cætera, quibus non pauca hactenus Patriæ Reipublicæ sæcula Divina bonitas velut concatenavit, immensa beneficia vero debitoque; tum Cæsarei, vel cœlestis itidem potius muneris amplitudinem, peculiari quodam suoque doceremur æstimio metiri. Sed de Typographiæ quidem origine, quæ, sicut jam antea cæpi dicere, totius humani generis fata concernit, ne sic quidem seorsim debet, aut in hoc transitu cogitandi ratio suscipi. Propius ad nostri propositi curam, quoniam ad Argentoratensis Reipublicæ fortunam specialius facit, quod Typographiæ usibus, & suis ipsius ad altissima quæque strenue properantibus incrementis, instituta publice Schola, Civitas nostra obsequium præstitit.

Quan-

Quanquam enim, si ab inexhausto latissimeque per universam Europam diffuso hoc sapientiæ fonte uberius esset Divini directio consilii æstimanda; nihil magis foret cavendum, quam ut ne ad unius civitatis comoda & felicitatem perficiendam, illa virtutis humanæ, prudentiæque moderatrix & magistra, illa omnis melioris disciplinæ, omniumque rerum illarum, quibus populorum salus suevit contineri, sedes restringeretur: quam tanto, cujus ope civilis quondam hominum societas condita quibusdam creditur, hactenus certe præcipue in suo ordine conservata est, veræ, id est, sapientiæ usu definitæ eloquentiæ fatali quodammodo & proprio bono, tam ad plerarumque politarum gentium commune emolumentum DEUS instruxerat, quam omnium supervexerat studiis: dubio procul, ut, quod experiendo mox compertum est, ex ea, *tanquam ex equo Trojano,* ad nationes innumeras, ad rerum passim gubernacula, ad Principum aulas, ad alia infinita non unius generis publici actus fastigia, omni doctrinæ specie vel regenda vel decoranda, tot tantosque, varia Generis, ordinum, conditionis, meritorum dignatione illustres conspicuosque Viros, ut in pompa conjunctim in publicam lucem productos, per Imperia singillatim inter eminentiora munera, quibus ad excitandos tam manifestis beneficiis in benefactoris venerationem homines uti solet, dispertiretur. Longe tamen plus nobilioris observationis habet, nosque divinæ in Patriam nostram providentiæ miraculis interius afficit; quod adeo copioso efficacissimorum instrumentorum apparatu, non literas fortius à tenebris & exilio, quo eas priorum temporum immanitas punierat, quam literarum beneficio, in civilis felicitatis culmen Imperii Germanici Majestatem, literarum juxta & Imperiorum Auctor Præsesque, translata præcipua ejus in ARGENTORATENSES curæ gloriæque parte, vindicavit. Eosdem hinc, per illustria multa documenta de eminentissimi dignitate muneris, quod in evehenda communi Patria oblatum sibi divinitus obierant hactenus; & eadem opera, de ardui maxime gravitate oneris, quod in ejusdem sustentanda felicitate, velut coram DEO, esset sibi imposterum subeundum, admonitos: ut festinantibus ad suorum augmentorum complementum Reipublicæ suæ progressi-

greſſibus, & creſcentibus cum Imperii magnitudine periculis fierent pro illa, qua ipſis Divina deſtinatione obtigerat provinciæ parte, pares; magis eſt, quam veriſimile, cæleſte Numen (prout amat literarum & eruditionis copiam, perductæ ad ſummum humani faſtigii Regnorum gentiumque potentiæ, non ad pignus roburque ſolum commodare, ſed ne per præcipitia humanæ fragilitatis, ordiniſque rerum præſcriptum impleant, ſæpius obſtruere:) ad ſaluberrimi de attollenda & roboranda adverſus graviora caſuum Schola conſilii propoſitum adegiſſe. Quid enim? Si nulla alia re, nonne noſtris cladibus edocemur abunde, neceſſitatem ejus penitius introſpicere, divinitatem ſollicitius grata mente venerari? Cum Germaniæ cæteræ paſſim Academiæ crudelem in modum imminutæ, bellicoque furore turbatæ, non magno ab hinc tempore, ſic in Argentoratum Muſas ſuas, quaſi in unicam invictamque adverſus Martis barbariem Apollinis arcem & inexpugnabile munimentum, tranſmitterent; atque hinc, inter medias turbas per afflictam propemodum Patriam, præclari ſubinde doctrina & eruditione Viri diſſeminarentur; in quorum humeris tot calamitatum prodigiis fatigata requiem, mox ſpiritum, inde vires reſumſit. Suffecturam fuiſſe, qua per aliquod tempus fuerant contenti Majores noſtri, Gymnaſii formam, tantæ, quæ tum quidem in oculis omnium erat, felicitatis durationi; tantarum, quarum in præſens omnium triſtis memoria animis inhæret, adverſitatum moli, nemo credo vel inter illos fuit, qui ſperare, nemo nunc eſt, qui credere audeat. Nam illi quidem Scholæ noſtræ Patriæque Patres, qui naſcentes in Urbe noſtra Muſas primi piis manibus ſuſcepere, quique patrio mox ſinu educandas foverunt, cum tantum à faſtigio, quantum à faſtigii periculis abhorrerent, id ſedulo vitaverant, ne, dum filiæ ſuæ alumnæque creſcendi præriperent facultatem, decreſcendi neceſſitatem imponerent: cujus Statui vero, poſtquam eo præſtantia gloriaque proceſſiſſet, ut plus haberet adverſus fortunæ invidiam, quam profligatam jam pulſamque loco barbariem de præſidiis; plus quam de claritudine, de claritudinis perpetuitate laborandum; ſumma fuit & neceſſaria & Divina plane ratio, ut adjiceretur, quod deerat: Summa

ma videlicet à Cæſareæ benignitatis auctoritate ſtudiorum jura, diſtribuendique convenientia virtuti præmia, pretia induſtriæ, literarios honores facultas: quibus quantum valeat humanus animus ad præclara quæque acui erigique, non opus eſt conductis in cumulum rationibus demonſtrare, quod nos ſatius eſt, ex integri ſæculi feliciſſima, quanquam inter ſumma pericula & acerbiſſimos caſus experientia, didiciſſe.

Laudetur & præfulgeat in hoc opere, magnificis Imperatoriæ prudentiæ ſollertiæque titulis, illa Senatus Inclyti proviſio, qua fundata legibus & inſtitutis egregie nova Reſpublica Academica, Virorum inſuper doctiſſimorum conſiliis, prudentiſſimeque diſpoſitis rationibus conſtituta, & in perpetuos promtoſque ſeræ poſteritatis uſus ordinata eſt. Quicquid ejus conſtituendæ in profundioris conſilii momenta rationeſque vel ivit, vel invaluit; ingrati ſumus, ſi alio putamus quam divinitatis auſpicio imputandum. Cujus utique ſatis ultra queat illuſtrium animarum, quibus hoc ex integro, quod ſæculari pietate celebramus, muneris in acceptis ferimus, vota editaque in publicum oracula, dubium an ad præſagiendam præſentis temporis felicitatem, quam deſcribendam efficaciora, convincere; quæ tam eximiæ præclariſſimi operis inceptioni, conſiliorum providentia, dexteritate curarum, laboris conſtantia, reſpondens accuratiſſime diuturna & (faxit DEUS) perennatura ſucceſſorum ſeries, in Vos, DOMINI ET MÆCENATES MAGNI, cum conſummata hæreditariæ laudis gloria, rem Academicam in ſummum faſtigii exauctam: id eſt: ipſa florentiſſimi Status pignora, & propitiata Patriæ fata, Veſtra auctoritate fovenda, ſuſtentanda ſtudiis, dirigenda prudentia, derivavit.

Expediti hanc in ſplendidiſſima Veſtrorum interpretanda munerum dignitate compendii, ſive rectitudinem ſive generoſitatem, eo confidentius mihi duxi hactenus amplectendam: quod illa muniorum Veſtrorum & Sacerdotiorum neceſſitudo; qua nefas fuerit alios, quam quos APOLLINARIS SACRI ANTISTITES veneramur, FATORUM HUJUS POPULI INTERPRETES agnoſcere; non jam amplius antiqui Romanorum exempli auctoritate nititur: ſed generoſo totius noſtræ Civitatis con-

Liv. l. 10. c. 8.

consensu, dum in Vestri Status incolumitatem expectatione, spe, votis conversa, hinc, tanquam cœlestis decreti tabulas inspiceret, cum arcana publicæ salutis tessera, pignora æternitatis suæ legit, comprobata; Vestris subinde virtutibus meritisque, quibus desideria Patriæ dudum, non copiose modo implevistis, sed alte supergredimini, quasi renovatis vinculis in duraturæ felicitatis contextum arctatur. Insignes sunt & magnifice ampli dignitatum Vestrarum & officiorum tituli; sed hinc demum præcipuus eis honos, primum honori decus constat, quando, quos ipsa decoræ congruentiæ ratio variis gradibus ordinibusque distinxit, amica pro Republica conjunctione conspirant, & necessaria plane societate in publici egregii consensum ordinantur. Illustria sunt illa literarii splendoris ac pompæ insignia instrumentaque; & quibus longe lateque eminens Imperii vestri dignitas, audeat cum Regalis magnificentiæ majestate paria facere: non tamen prius genuino fulgore sapientiæ templa illuminant, quam cum pro Reipublicæ auctoritate & usibus explicantur. Cui scilicet officio, ne quis destinata dubitet, in Augustissimo Procerum consessu, publicis Comitiis, velut congratulante totius Imperii Germanici corpore consecrata sunt: Id agente Gloriosæ recordationis Principe Maximiliano, cum annum maximarum passim toto orbe rerum proventu memorabiliter insignem, hoc insuper munere nobilitaret, atque gravissima curarum & consultationum distingueret, ut non tam ad altiorem eminentiæ literariæ gradum Musæ Argentoratenses evehi, quam inaugurari sistique communi Patriæ viderentur. Ingentia debitæ reverentiæ & obsequii vincula sunt, quibus civium Academicorum studia pariter ac animos à Vestris exemplis & incolumitate, non tam præceptum legis, quam rectæ rationis dictamen suspendit: hinc tamen immensum eorum votis ardor augetur, fervor industriæ; quando, dum ad salutem Vestram preces, dum ad auctoritatem Vestram obsequia, dum ad exempla Vestra offi ia nostra componimus: nos precari, laborare, obsequi Patriæ sentimus, & insito naturaliter affectu, cum jucundissima pii laboris contentione lætamur.

Isthoc disciplinæ cordatioris contextu sic nos edocti, merita Vestra intueri; sic pro salute Vestra preces & bona verba fundere: ut conquirendis denuo seorsim exemplis, quibus posteritatem instruere; ominibus, quibus fortunam sæculi augurari; votis, quibus Reipublicæ perennitatem pacisci valeamus; insumere superfluam curam operamque, merito nobis vereri videamur. Ex hujus insuper festi genio, debita nostris gaudiis vovendi precandique pietate; cujus & alias tantum fervori, adeoque efficacitati decedit, quantum ostentationi datur; exquisite nos posse defungi confidimus: si missa in verborum compendium pii ardoris & affectuum amplitudine, à DEO OPT. MAX. impetremus: UT SÆCULARIA SACRA, quorum Vestra in præsens tempora felicitate beavit, honorem solenne civium Vestrorum gratulationi argumentum fecit, SÆPE FACIATIS! Non potest hæc vox, cujus olim fuit adulationis, hoc loco esse suspecta: Vestræ præsertim Academiæ fortunam cogitantibus, quæ per varios notabilium augmentorum gradus in summum hoc solidumque robur enisa, id videtur ab omnibus inprimis officii flagitare, ut eorum decus in seipso crebra memoria revirescere tam gaudeamus, quam optemus. Qualium scilicet inusitatæ recordationis & lætitiæ spectaculorum aliquot nostra ætas vidit, &, qui uberrimam nobis eorum materiam effuse commodavit, DEUS annuat! iterum videbit, non superstitiosæ præcipitata solicitudinis ambitione, sed pii dispensata studii prudentia. Adeo non fuerit irrisio metuenda, ubi sæcularium cærimoniarum insignia sæpe antea visa; vox præconis sæpe audita, nihil tamen aliud, præter invisa antea Divinæ munificentiæ specimina, inaudita miracula promulgant. Hæc sic cogitare ut agnoscamus, sic agnoscere ut intelligamus; sic intelligere ut dignos eorum usu nos probemus; id vero demum est omnia sæcularis pietatis capita implere, quibus & elapsi sæculi felicitas, & præsentis auspicia rite insimul consummantur, & insequentium fata propitiantur.

Sed enim ad nostræ quidem hujus festivitatis principia; in quorum utique commendatione non debent anni sexagesimi sexti numerus, numeri rotunditas, rotunditatis perfectio, perfe-

perfectionis efficacia, vel vernalis temporis cœlique deliciæ amplius eminere; quam quod propitio quodam gloriæ Vestræ genio intelligendum est evenisse, ut ex diversis judiciorum & affectuum formulis, quibus præteritarum rerum solennis præsertim recordatio solet hominum animos imbuere, etiam qui levissimas sectantur, non possint tamen de natalibus ARGENTORATENSIS ACADEMIÆ, nisi magnificentius augurari; non fuerit ob aliud recurrendum, quam ut constet, ad cætera bonæ spei pignora colligenda, nullibi nobis fas esse, quam in Vestrarum, DOMINI, Virtutum exemplis subsistere. Hæc tam eximia Vos in Majorum Vestrorum imaginibus reperisse, quibus vix tota sufficerit antiquitas illustriora suppeditare, felicitatem Vestram; hæc Vos tam feliciter æmulatos, longe felicius expressisse, Vestras laudes pridem orbi erudito designaverat: hæc vero tanta cum constantia fiduciaque Vos ad posteros propagare; illud demum est, quod virtutes Vestras (liceat hoc loco mihi splendorem modestiæ miscere) divinitatis arguit. Unde clarum scilicet fit, Vobis Apollinem, illum Vestri Imperii Præsidem, cui admodum familiare est, ad sensum cœlestis constitutionis subinde dilectas sibi animas propius admovere, longam, felicemque & dignam his laboribus, his curis, Vobis denique Antecessoribus successionem præmonstrasse: Quorum quippe nomina, inter præsidia & instrumenta cordatioris ævi suo quodam merito nominanda, posteritati in exquisitioris exempli normam expedivit.

Licuerit ergo Majoribus Vestris, in sua sede salvam ac sospitem Rempublicam sistere, atque ejus rei fructum percipere, quem petierant, ut optimi status Auctores, vel Amplificatores, dicantur. Vestræ quamvis omnem horum titulorum honorem Academiæ fortuna, quæ in summo constituta, nil videtur amplius habere præter æternitatem optandum, industriæ præripuerit; eo tamen ampliora censenda est gloriæ atque labori argumenta constituisse, quo assurgentem humanæ felicitatis orbem comitari, quam deflectentem naturaliter ingenerato pondere, & ubi procedere non potest, recedentem sistere, prudentum judicio semper facilius habitum est. Licet enim nostri Status perennitatem, quam testatiori subinde cura

DEUS fovet, importuno metu ſolicitare forte nefas fuerit; eſt tamen in tota profecto literaria re ratio, propter quam effeminatus pene, & ad aurium delicias nimium quantum depreſſus eruditionis & ſæculi genius, non immerito videatur orbi Europæo,

Ut eſſe Phœbi dulcius lumen ſolet
Jamjam cadentis:

eruditionis occaſum, vel, ut cum aliqua ſpe moraturæ tantiſper vel reſurrecturæ lucis ominemur, veſperam portendere. Huic prohibendæ, vix eſt, ut à querelis, quibus hactenus cordatiſſimi cujuſque indignatio vacavit, plus debeat impoſterum præſidii ſperari, quam ab irritata violentioribus his remediis barbarie periculi metui. Sed Magnorum quidem Virorum inſtituta conſiliumque nemo temere reprehenderit, quo non ſine magna ratione pro poſteritate ſoliciti, ut à literarum tractatione ſecuritatem, & qui haud raro literas afflixit contemtum validiſſimi hoſtis arceant, in id potiſſimum intenti ſunt, ut ignorare ſæculum ſuas laudes, vel ſaltem modeſtius agnoſcere cogatur. Qui vero horum potius exemplis & auctoritate quam rationibus inſtructi, vel comuni ætatis noſtræ vitio; quæ ſuorum aut incurioſa aut invidens, præ auditorum admiratione, viſorum laudes vel obliviſcitur vel dedignatur, & præſentia, quibus obrui ſe credit, livore, præterita, quibus inſtrui, veneratione proſequitur; abrepti tam fœcundo Satyrarum proventu ſæculum oneravere: Illi ultra quod imperitorum contumeliis prodere literarum cauſam, & argumenta cavillationi ſubminiſtrare, magna inſuper ſæpe præclaris ingeniis cenſorio ſuo ſupercilio impedimenta obſtruere queant videri: cujus moroſitatem nimirum & acerbitatem plurimi dum effugere vel ſuperare poſſe deſperant, ab omni altiore conatu deterriti, ſilentio eos haud raro neceſſe eſt & ſitu obſoleſcere. Alere contra æmulationem ingenia, & nunc invidiam, nunc admirationem, imitationem accendere, prudentis olim ſcriptoris teſtimonio & omnis ævi experientia comprobatum eſt. In civili præſertim ſtatu; cui dum ab hac fere, vel ſimili prudentia conſultum cupiunt, multi gravium & antiqui & noſtri temporis Virorum,

rum, quæ in ſua cuique, vel ſterili virtutum, vel bona exempla peroſa ætate patriaque reperire difficile, promere periculoſum fuerat, haud raro ex antiquitate, nonnunquam è peregrinis gentibus, è fabulis etiam aliquando æmulationis inſtrumenta quæſivêre. Talia horum in literarium Regnum conſilia transferri, tanto manifeſtioris eſſe neceſſitatis & uſus animadvertitur; quod omnium haud dubie diſciplinarum, atque totius dudum ſapientiæ valde intererat: Illam ſapientiæ partem locumque illuſtrari, qui de ipſis ſapientiæ officiis hactenus inter ea referendus eſt, quæ intacta poſteritatis curis eruditorum induſtria reliquit. Niſi quod eum haud ita pridem ſingulari eruditionis & elegantiæ genio, cum exquiſitiſſima quæque ſummorum virorum ſtudia, velut in commune quoddam Muſarum concilium, & ipſius eruditionis Museum conducere auſpicaretur, ingredi orſus eſt Vir, de cujus Illuſtri dignatione, Veſtro inprimis, Excellentissimi Professores, ordini; collato vero in me nullatenus merentem, ſtudiaque mea favore, mihi hoc loco publice gratulari, tam eſſet grati animi; quam temerarii vel parum verecundi, tantorum meritorum laudes infacundis meæ dictionis præconiis circumſcribere. Faciunt tamen conjunctæ cum Veſtris omnium, Domini Gratiosi, meritis, in rarioris exempli decus & diſciplinam non difficulter aſſurgentibus, Ejus virtutes; ut confidere auſim, nemine futurum diſſentiente, ſi dixerim: parcius de ſuis exemplis vetuſtatem exteroſque, & verecundius ſenſuros; ſi quis auderet illas artes Veſtras, quibus præſidia ſtudiis, authoritatem literis, eruditioni decus, perfectionem ſapientiæ indies magis magiſque conciliatis, conveniente judicii & elocutionis facultate complecti. Nec vero poſſunt eſſe inanimes quaſi, & natæ in Doctorum hominum ingeniis virtutum ideæ, adeo magnæ in hunc uſum noſtrum efficacitatis; ubi ipſa ſpirantia virtutum exemplaria, omnium oculos menteſque dulciſſimo fulgore illuminatas, in ſui admirationem accendunt. His autem ſicut non debet aliunde digna commentatio, quam à Veſtris ingeniis & calamis, id eſt, unde ipſa commentationis materia prodiit, expectari: ita, ſi Vos modeſtiam

Veſtram

Veſtram gloriæ antehabueritis, ſupererit Clientibus Veſtris ratio, per quam digniſſimos æternitate Veſtrarum laudum titulos non patientur poſteros ignorare. Ego certe ſi, quantæ temeritatis, tantarum mihi virium eſſem conſcius, magnam hujus provinciæ partem ſerio humeris meis depoſcerem: quocunque tandem populares meos, vel, ſi tanti eſt, totum orbem, ſucceſſu edocturus, quam Veſtra in me benevolentia ſanctiſſimæ pectori meo diſciplinæ regulam infixit: me in potiſſimis fortunæ beneficiis occaſionem numeraturum, qua mihi licuerit, ſi quid ingenii, ſi quid facundiæ ſupereſſet, id omne in Veſtra vel tuenda vel amplificanda gloria conſumſiſſe. Sat interea ſuperque felicitatis aſſecutus, ſi non aſpernabimini hoc qualecunque obſequii genus, quod ſubmiſſa
Vobis reverentia denuo conſecrat
ſtudia.

ORATIO-

ORATIONES.



LAUDATIO FUNEBRIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI DOMINI AUGUSTI FRIDERICI DUCIS BRUNSVICENSIS ET LUNEBURGENSIS &c. &c.

SERENISSIMI PRINCIPES:
ILLUSTRISSIMI COMITES:
EMINENTISSIMI REIPUBLICÆ ARGENTORATENSIS DELEGATI:
PATRIÆ ET ACADEMIÆ PATRES:
PER ILLUSTRIS AC GENEROSISSIME BARO:
ILLUSTRES SERENISSIMORUM PRINCIPUM ATQUE INCLYTÆ REIP. HUJUS CONSILIARII:
AMPLISSIMI PROFESSORES:
EXCELLENTISSIMI JURECONSULTI ET MEDICI:
REVERENDI ECCLESIASTÆ:
CLARISSIMI CURIARUM MODERATORES:
NOBILISSIMI, ERUDITISSIMI, FLORENTISSIMI AUDITORES:

die 3. Jan. 1677.

SI, quanta Universitati Argentoratensi, suscipiendo, ad quod tam inusitata celebritate confluxistis, muneri necessitas incubuit; tanta eidem implendo facultas suppetiisset: minimum foret, quod in hac parentali cerimonia vel oculi Vestri funesto spectaculo intuentur, vel aures lugubri

lugubri ſilentio expectant. Principem genere, animis, virtute ſummis Heroibus æmulum, inter arma primum ætatis ac generoſi ſanguinis florem Patriæ immolaviſſe, non imbelles ex hac cathedra gemitus; non è parietibus iſtis & ſubſelliis, feralis color: ſed triumphales in excelſo Mauſoleo tituli, & laureata faſtigia loquerentur. Nec utique de muſis Argentoratenſibus magnifice minus meritus es, ſplendor ac decus Principum Auguste Friderice! quas cum ante quatuor circiter annos cœleſtis indolis Tuæ comitate, ac interiore convictu obſtringeres; nonne pariter in familiare quoddam conſortium, laudumque Tuarum participationem à Te ſunt adſumtæ: qua Tu Germanici nominis decus præclaris facinoribus, illæ merita Tua, quibuſcunque ſtudiorum honoribus extollere, ſolenni veluti pignore invicem ſpopondiſtis? Atque Tu quidem egregie heu! nimis, quas ſuſceperas, partes implevisti; humanæ faſtigium gloriæ, non per gradus & intervalla; ſed inaudito Heroici impetus compendio emenſus. Nobis vero, quibus cum hac divina velocitate genii Tui, nec laudibus in præſens paria facere conceſſum eſt; nec deinceps votis contendere integrum erit; quid aliud ad peragenda noſtræ pietatis munia, quàm cum perenni Tui deſiderio, acerbiſſimum orbitatis noſtræ ſenſum, & ex Virtutum Tuarum memoria, luctuoſiſſimam jacturæ, quam fecimus, æſtimationem reliquiſti? Sed enim DEUS modo avertat omen, atque ex graviſſimi caſus commemoratione, qua ineuntis anni, & injunctæ mihi nuperrime Profeſſionis auſpicium funeſtatur, fauſtas duntaxat voces, & glorioſa præconia, Reipublicæ huic & Academiæ, Vobiſque inprimis, Auditores, in augurium diſpenſet! Cœterum funebres Cœlitis noſtri honores, quid ego vel obſcurari metuam hac receſſus Academici umbrâ? quæ tot Auguſtorum vultuum radiis illuſtratur: vel quid optem ſtatuarum trophæorumque ambitione augeri? quibus in tam Excelſarum mentium penetralibus altaria, imo templa eriguntur, longe perennioribus imaginibus præfulgentia, quam quæ marmore aut ære finguntur. Cum præſertim ipſum ſermonis hujus argumentum ita comparatum ſit; ut de illius nec ſublimitate, meditationis noſtræ humilitas; nec dignitate ſterilitas dictionis delibare

quicquam possit. Sive enim Principis, cui hanc venerationem decrevit publica Senatus Academici pietas, promulganda est notitia; eam tam exquisitis coloribus Ipse, cum viveret in humani generis conscientia expressit, ut quantumvis rudis delineatio, exactissimæ instar picturæ polliceatur: sive merita & virtutes celebrandæ; nec illorum, apud gnaros difficilis demonstratio: nec harum, apud consentientes deprædicatio ardua est futura. Nam adulationis frustra inter eos deprecer suspicionem, qui elogiorum me citius parcum, quam nimium sunt pronuntiaturi. Quin & luctus denique ultro hac totâ concione tam potentibus irritamentis dominatur, ut quæsitos ab arte stimulos ipsa sui magnitudine varietatque superet pariter ac excludat. An enim adactum latissime vulnus quisquam dubitet, quod pari ubique dolore, tam dispares habet causas dolendi? Respublica hæc, benivolentissimæ Domus calamitate, perinde ac propriis damnis mœsta: Academia, uti familiaritate conjunctionis cum Vivente; sic erga Mortuum, affectuum teneritudine conjunctissimis Ejus Necessitudinibus æmula: Auditorium tot cognatorum Principum gemitibus, atque Ejus inprimis, qui gemitur, indictâ in perpetuum absentiâ funestum: cedunt tamen tristissimæ cathedræ hujus vicissitudini: cujus lugubrem speciem immensum utique intendit, quod jam ex eo loco Nepos extrema pietatis mœstissimæ officia recipit, ex quo Avus quondam rarissimæ eruditionis ac sapientiæ monumenta publicavit. Quòd si me quoque liceat tantibus nominibus miscere; quàm vero illætabilis Tibi, Princeps Inclyte! quàm deploranda merces rependitur ab his studiis meis! quibus Tu præcipuam aliquando claritudinem tribuisti, quando ea dignatus es adolescentiæ Tuæ rudimentis adhibere. Quanquam ego quidem reverentius fecero, si consanguineis gemitibus privata suspiria involvam, illorumque grandi consortio attollam, quæ vi propria nunquam eò sunt assurrectura, ut Beatis desideratissimi Herois Manibus digno munere parentent. cujus etiam de cætero apparatu plæraque, præter aëris tempestatisque hujus inclementiam, veneratio tam Illustris consessus jubet amputare. quæ commendatam aliâs levioribus quoque causis brevitatem, hîc tanto efficacius impe-

imperat; quia de Principe loquendum eſt, tot ſingularibus, tot propriis dotibus abundante, ut inter laudes Ejus, nec quod Illi cum aliis commune eſt, commemorari prolixius, nec quod alienum, attingi ullatenus poſſit. Quo minùs præconium hîc à me ſuum expectabit, quæ natalibus Herois noſtri gloriatur, tellus. & eſt jam laudatores alios nacta vetuſtiſſima illa Cheruſcorum ſedes. cujus etiam poſt Arminium, ad noſtram uſque memoriam ſolenne & fatale quodammodo decus habitum eſt, ut non uſpiam terrarum, acriores Germanicæ libertatis aſſertores vindiceſque naſcerentur. Iſtam ſane potiſſimum gloriam, poſtquam ex immenſo laudum cumulo Princeps noſter ſibi vindicaſſet, longe tamen ampliorem Pátriæ moriendo reddidit, quàm ab illa naſcendo acceperat. Qui & in Majorum proſapià cum ad eminentiſſimas quaſque imagines vitam non exigeret modo, ſed componeret prorſus & adornaret; nullam putandus eſt illuſtriorem reperiſſe, quam cujus exemplar ipſe, mortis genere, perpetuæ poſterorum admirationi in æterna DOMO conſecravit. Atque illa quidem tametſi antiquitatem ſuam non annis, non luſtris, non ſæculis, ſed ætatibus computet; nec ſplendorem anguſtius quam Imperatorum Regumque ſceptris metiatur: Noſtro tamen ad Welphones adſcendendum utique non fuit, ut abſoluta Heroicarum virtutum exempla reperiret. quibus illum cumulatiſſime Sereniſſimus Pater ANTONIUS ULRICUS, vel ſi ad Avum uſque proferre gradum licet, illa Principum ac ſapientiæ norma AUGUSTUS Luneburgicus inſtruxit; documentorum non minus grandium per Matrem ELISABETHAM JULIANAM, avumque Maternum FRIDERICUM è Celſiſſimæ Holſatiæ Ducum ſerie, compotem. Quorum Ipſe merita ſibi propria imitando fecit. in familiaris inſuper & quotidianæ diſciplinæ ſpecimen trahens, quicquid regendis Europæ univerſæ fatis, uſpiam videbat virtute aut gloria exſplendeſcere. ne alterutrius experimentis minus amplum, quam cognatione aut affinitate ſpatium amplecteretur: quæ æqualibus cum Orbe Chriſtiano finibus patet. Quod enim omnino diadema mihi, quam purpuram nominaveris, ut non propinguo nexu Brunſvicenſi ac Luneburgenſi domui, & per Holſaticum ſanguinem AUGUSTO noſtro geminatis vinculis co-

 pule-

pulețur? Jamque adeo videtis, Celſiſſima conſeſſus hujus Sidera! in Vos omnium ora converti; ac è Veſtrorum vultuum habitu veritatem exigi meorum verborum. quam verò in oculis veſtris aperto veſtigio prodit ſe conjunctiſſimi Principis jactura! qui Tecum quidem Sereniſſime Comes Palatine Veldentie LEOPOLDE LUDOVICE, Tritavum; Tecum vero Sereniſſime CHRISTIANE Birckenfeldice Abavum communem numeravit: Unde rivis multiplicatis in Te Sereniſſime Princeps AUGUSTE LEOPOLDE: Sed & in Vos Illuſtriſſimi Hanoviæ Comites PHILIPPE REINHARDE & JOHANNES REINHARDE neceſſitudo diffunditur. Et quid miremur, ſi Germaniæ pars Auguſtior, atque inprimis Auguſtiſſimus Imperator LEOPOLDUS tanquam domeſtico vulnere ingemiſcat? quod conſanguineo cruore BURBONIAM quoque Domum reſperſit, è qua fatale telum evolavit. Et abſit equidem, ut funeſtiſſimam exempli hujus Philoſophiam ad ſcrutanda curioſius, quàm par eſt, Divinæ Providentiæ decreta transferamus: neſcio tamen, an aliud illa quicquam agere cenſeri poſſit, quando tam potentibus naturæ vinculis connectit illuſtres familias, per quas cæteris mortalibus bonitatis ſuæ munera diſpenſare conſtituit; quàm ut Chriſtianas gentes ipſo ſanguinis conjuncti teſtimonio convincat, plus quam civilia eſſe, quæ inter ſeſe bella gerunt. quorum quippe nec odia ſine cognatis cædibus poſſunt exerceri; & licentia vix alio quam grandium animarum damno refrænatur. ut Illas vel hinc intelligas quieti nationum populorumque, quibus aut exprobraturæ ſunt fata ſua, aut imputaturæ, non ad piaculum tantum humana virtute devoveri, cum amittuntur; ſed ad miraculum Divina proviſione, cum naſcuntur, deſtinari. Quarum porro genituram non errantium diſcurſus aſtrorum; ſed Heroicarum dotium conſtans concurſus
d. XXIV. promulgat. Et Noſtrum ſane Principem, quanquam læto na-
Aug. 1657. tum æthere, primâ ſtatim ætate cœleſtes in Infante gratiæ, & ſidereus in Puero vigor demonſtrabat; de faſtigio tamen, ad quod vix initæ Juventæ primordio non tam adſcendit, quam velociſſimæ flammæ modo emicuit, in anteceſſum jubebant vaticinari ſidera, ad auſpicatiſſimum futuræ magnitudinis adſpectum, non in Mathematicorum cœlo, ſed in Aula Parentum

diſpoſi-

diſpoſita. quæ ut aulicæ comitatis ac elegantiæ; ita pietatis, ſanctitatis, virtutis ſchola quædam & aularum magiſtra publico dudum & familiari elogio celebratur. In hac, cuſtodiendæ formandæque Filii indoli obvia ubique providentiſſimorum Parentum auctoritas, electiſſimorum Comitum Doctorumque cura, graviſſimi moris exemplum, perexiguo temporis ſpatio, illud genii Principalis inſtar perfecerunt: cujus nova deinceps incrementa, incomparabile huic Univerſitati decus affulſerunt. An. 1672.
tanta exempli non præſtantia modo, ſed raritate, ut quod illi comparari undequaque poſſit, nemo fortaſſe noſtrûm aliud memoriâ ſuâ complectatur. Verſabatur in aperto bonarum artium mercatu: ſed ut majora exquiſitiſſimæ diſciplinæ ſpecimina proponeret, quam ambiret. Indulgebat ſe promiſcuis docentium diſcentiumque cœtibus: ſed ut ſapientiam, quam voce alii & verbis profitebantur, Ipſe efficacius præſente ubique, ubique ſpirante vivaciſſimi pectoris alacritate doceret. Neque ſegnius interim domi Generoſiſſimi TANNII ſui monita, & Eruditiſſimi SCHULZII doctrinam, integritate animi atque indolis felicitate præcurrebat: à quibus, cum virtutis uſu ſapientiam, profectibus tàm inuſitatis hauſit, ut ad utriuſque perfectionem non ab arte inſtitutus, ſed à natura factus videretur. Primarius illi ardor collocabatur in ſerio Numinis, atque hinc aſſiduo Pietatis cultu: quo non imbutus modò, ſed roboratus contra ſeculi conſuetudinem animus, admodum mature, ad interiorem illam cœleſtis non neceſſitudinis duntaxat conſcientiam, ſed commercii familiaritatem aſſurrexit, qua frequentiſſimis de DEO, ſed frequentioribus tamen cum DEO colloquiis, ſera ſibi atque ſolida, ut tum quidem prudentes ratiocinabantur, felicis regiminis præſidia; ut ab amico Numine intellectum eſt, matura æternæ beatitudinis auſpicia, paciſcebatur. Proximas Patriæ conſecraverat curas. ut propiori ſe Illius notitiæ inſinuaret; quam in perennis conſortium famæ, glorioſo vitæ ac ſanguinis auctoramento erat deſponſaturus. Majeſtatem Cæſaris, Libertatem Ordinum, Dignitatem Imperii, nunquam obſcura, etſi obumbrata aliquando nomina, atque uti horum omnium, ita tranquillitatis, ſecuritatis, ſalutis denique communis fundamentum Legum & moris publici aucto-

ritatem,

ritatem, quibus pro ſua parte præſidiis eſſet propugnaturus: jam tum agitabat animo, quando non ſubtilis quidem, ſed fidi tamen monitoris indicio diſcebat, quantis alterutra periculis domi foriſque conflictarentur. Hunc uti ſapientiſſimo delectu propoſitis ſuis & conatibus præfixerat ſcopum; ita nec in univerſum aliunde diſciplinam ingenio, ſtudiis normam, limites metabatur induſtriæ. neque enim hæreditariis modo ditionibus, ſed Germaniæ univerſæ & vivere ſe intelligebat, & volebat diſcere. Huic itaque non minus quam avitis Ducatibus gratulabantur amantes Patriæ Cives, Principem Noſtrum. Ipſe interim non cum conſtantia minore, quam alacritate, regere provincias, tueri ſubditos, conciliare ſocios, profligare hoſtes, vitam virtutibus, rempublicam meritis, annales gloria implere, nondum opere quidem, ſed jam animi capacitate efficaciâque ſcientiæ aggreſſus, perfecti Herois, non ſigna modo & omina, ſed pignus plane & exemplum repræſentabat. Nam & ingenium Mathematicis diſciplinis, & corpus, iis artibus exercuerat, quibus ad exactum magnæ mentis obſequium, habile redderetur, ingentibuſque adeo conſiliis ac operibus expedita quandoque facultate reſponderet. nam ad ſpeciem quidem & decus, ne exercitatione aut dictatis Magiſtrorum indigeret, rarâ naturæ indulgentiâ fuerat proviſum. quæ virili gravitate longe ſupra ætatem, nec infra loci fortunæque faſtigium generosâ majeſtate ſignaverat genii Principalis characterem. quem venerantium cultui non recludebat modo nativa gratioſæ indolis comitas, & amœniſſima vitæ hilaritas, ſed inſinuabat benignitas, commendabat munificentia. Quàm valide autem inter hæc adverſus ævi magnæque fortunæ vitia pariter & vitiorum illecebras excelſum pectus muniverit, attingere injuria virtutum fuerit. quarum ingenua ſimplicique commemoratione, quàm figuræ nihil aut aſſentationi indulgeam; non alios mihi teſtes exopto, quam quos antea judices advocavi. Et poteram in hac Panegyri etiam breviore laudum compendio defungi: cujus vel major vel nobilior certe portio, merita & indolem AUGUSTI FRIDERICI longe prolixius experti ſunt, quàm recenſere verbis quiſquam poſſit. Niſi quod in quamcunque ſolatii partem fuit accerſenda florentiſſimorum recordatio

datio temporum, quibus nutantem jam bellicarum calamitatum ruinis Academiæ hujus celebritatem Hercules iste Musageta sustentavit. Quò notabilius felicitatis nostræ decrementum fuit, quando biennale, quod apud nos habuit, hospitium, instituta hinc in Galliam profectio, Italico mox continuata itinere abrupit. neque tamen Ipse inter hæc aliud quàm tenorem vitæ, qualem domi pariter atque hîc egerat, cultissimæ, pertexuit, consummavitque. Intelligitisque adeo, Auditores, non angustiorem mihi orationis campum aperiri, quam peregrinatione Princeps Noster est emensus; si ex Sapientum potius commentariis, vel ex quorumcunque denique testimoniis, quam ex oculata fide Illum describere instituissem. id in universum concinentia Nationum, quas adiit, præconia nec ignorare quenquam, nec nos adeò celare patiuntur; Illum, cum in usus Patriæ sedulo conquireret, quicquid egregium uspiam esset, plura tamen apud exteros fecisse imitanda, quam vidit: neque admirationis majora reperisse argumenta, quam reliquit. Præclaram certe sui memoriam, desideriumque latissime per humaniores gentes diffudit: cum Ipsius vota unicus erga Germaniam affectus occuparet. Jamque in illius interius obsequium absens à Gloriosissimo Imperatore LEOPOLDO I. pedestris Legionis Tribunatu auctoratus; ut se coràm tanti Principis judicio, & Majorum suorum imaginibus dignum probaret, citiùs quam destinaverat redux, ferales ad Philippopolim campos, primam, &, sic DEUS voluit, ultimam virtutis exhibendæ palæstram elegit. Animum militaris avitæque gloriæ cupiditate incensum erexerat ipsa suscepti operis magnitudo: ut coituris velut ad decretorium quoddam, si non salutis, at existimationis profecto certamen, Germaniæ Galliæque fatis interveniret, ac utrique Populo natales suos & robur approbaret. Etenim quanto acrioribus utrinque animis, consiliis, casibus, res administrabatur, tanto celerius hausit artem belli & usum, jamque inter prima tyrocinia veteranis & militibus & Ducibus æmulus, manu, consilio, vigilantia, iis denique virtutum documentis conspicuum se reddiderat, quas sapiens hostis non contemneret, sed pavesceret audax, generosus admiraretur. quippe in armis assiduus, in opere frequens, in certamine strenuus,

notabilibus plane detrimentis Obſeſſos induxit,ut Illum gentili LEONIS elogio noſcitarent compellarentque. Nec aliud, quam ſpatium exemplorum deerat, quominus ſummi Ducis, cujus virtutes & merita jam obtinebat, famam & titulos nanciſceretur. verùm ſublime ingenium pulchritudinem ac ſpeciem excelſæ magnæque gloriæ vehementius quàm cautius appetebat. Subit etiamnum, dum hæc loquor, illius imago temporis, quo, in ipſo caſtrenſi opere, miſcentem gregario ſanguini ſudorem pulveremque Principalem, lethali proſtratum vulnere, mox recreatum viribus, inde valetudine afflictum, magnâ famæ, majore animorum fluctuatione accipiebamus. prout lætius aliquid triſtiuſve de illius ſanitate aut vita nuntiabatur, juxta cum incertiſſimis rumoribus ſpes noſtræ metuſque, dolor ac gratulatio jactabatur. cum nihil non crederet, nihil non timeret tam concitatus & flagrans amor. poſtquam bona fide conſtitit vim morbi fatique ſuperaviſſe; ut vero tum nemo, qui vel virtutem viventis noverat, vel ardorem pugnantis audiebat, hunc exitum eſt miratus. Et apparet equidem, ad multos pertinere atrocitatem vulneris*, quod ferali penitus ictu proſtravit, quicquid in tantis dotibus, conſpirantia diverſis paſſim affectibus, ſed expectatione ubique maximâ, Germaniæ vota & ſpes fundaverant, heu nimium fallaces! Cæterum de Ipſo Heroe noſtro ne vel tum minus fortiter ſentiremus, vel etiamnum loquamur mollius, abunde ſatiſque debet in tam animoſæ mortis exemplo, vel cautionis vel roboris reputari. Ac mihi certe ſæpius apud animum meum agitanti, grandes illas animas, quibus vita omnis in armis, virtus in periculis, votum in victoria conſumitur, quæ vis, quod robur ſuſtentet, ut inter mille mortes, nulla mortis formidine percellantur; conſtabat non irâ in hoſtes aut odiis, tantam vel ſecuritatem tot diſcriminibus, vel tranquillitatem adeo gravibus turbis interponi: ſed quod excelſa mens & ſpiritus fati magnitudine ſupra terrenos affectus collocatus, pericula undiquaque circumfuſa non aliter quàm Sol nebulas & deſpicit ex alto & diſcutit. harum erit judicio permittendum, utrum mortem Principis Noſtri, quam Ille neutiquam exhorruit, commiſeratione; an mortis genus, quod Ille, ſi fati arbitrium habuiſſet, electurus

[Margin notes: d. x. Aug. 1676. — die XXII. meſ. ejuſd.]

rus unice fuisset, gratulatione censeant nobis prosequendum. Equidem Germanici Exercitus, quàm memorabili eventu, fortissimo Commilitoni parentaverint, referre, tanto minus necessarium est, quanto præsentius recentissimæ omnium memoriæ inhæret: ejus tamen fulgore adversus affectuum teneritudinem ex propinguo roborati, consolatrices etiam manus porrigere ad AUGUSTOS PENATES audemus. Etenim ne cum absentibus videar loqui, Tuus præsertim Perillustris ac Generosissime Domine, L. Baro à STAIN, conspectus & præsentia præstat: Qui uti viventi quondam apud nos AUGUSTO FRIDERICO paternam exhibuisti curam atque sollicitudinem, ita nunc, Eodem defuncto, paternam huic Auditorio mœstitiam & luctum repræsentas. Non ego tamen Avitis Laribus implicatam æternæ laureæ feralem cupressum avellam: nec si qua calidiores, in AGNATA DOMO cœlestium gratiarum radii accenderunt, affectus impugnabo. Ne ad Rhetorum quidem provocare scholas, quanquam in hoc argumento nihil minus quàm imbelles, animus est; ut æternitatem vitæ inter arma, inter victorias, pro Patria denique profusæ, & beatitudinem, vel splendore ac pompâ triumphorum, vel immortali sæculorum ac gentium veneratione, famæque perpetuitate commendent. quæ utcunque gloriosa Principi Nostro; nobis certe, quicquid dissimulemus, funesta sunt. Sanctior longe atque sublimior, imo & lætior disciplina est, ad quam Ipse nos, non virtutis contemplatione dicam, sed toto corporis adspectu invitat. Quo minus verear Vos inprimis, SERENISSIMI PARENTES, interpellare, ut ex iterato Cœlitis Vestri complexu, quo irritari aliâs dolorem non ignoro, novâ quadam interpretandi generositate, nobiscum solatia petatis. Neque triumphalem vulneribus cruorem abstergam. Non velabo impallescentem amori Patriæ vultum. Pateat, quicquid nos amissione Divini Herois miseros fecit; ne, quod Illum dissimilitudine nostri reddit felicem, delitescat. Quid hic labiorum pallor? pignus est, quo Illi pacta extremis

colloquiis cœli gaudia DEUS obſignavit. Quid hic vulneris hiatus? oſtium eſt, quo ad æternam victoriam domitor fati & hoſtium evolavit ſpiritus. Quid hic languor lacertorum? vinculum eſt, quod occurrentem Beatæ animæ ad ſuaviſſimos & perennaturos complexus Servatorem ſuum copulavit. Et poteritiſne ullatenus inter hæc ambigere, quin dolores, quos perpeſſus eſt, cumulatiſſima felicitas; triumphos, quibus ereptus eſt, luculentiſſima gloria; vitam, qua privatus eſt, finitura nunquam æternitas abunde ſit compenſatura. Reliqua doloris lenimenta, quæ præſertim Vobis ſuperſtitum Liberorum virtus ſubminiſtrat, hic attingere propterea mihi religio eſt, quia non ſine maxima ad nos ſollicitudine pertingunt, poſtquam unius Fratris animoſitate ſumus admoniti, quid metuendum pro Reliquis habeamus. Quæ vero de cætero in univerſum vel deeſſe officio noſtro, vel ſuper eſſe videbuntur partes, nil cur ambigamus cauſæ eſt, quin officioſiſſima in Heroum ſuorum cultum GERMANIA plenius & decentius ſit peractura. Quæ poſtquam fuſum pro ſalute ſua ſanguinem abſterſit: poſtquam accepta pro ſuâ gloriâ vulnera fovit: poſtquam conſecratam ſuæ victoriæ animam ab exhalantis labiis in cœlum piis gemitibus ac ſuſpiriis eſt proſecuta: noſtrum hoc, quod extremum inclamamus, VALE, non dedignabitur ore ſacro excipere, atque in omnes orbis angulos, omnem ſeculorum perpetuitatem ingeminare. Nec nos ſane aliud hucuſque quàm ſinceræ & ingenuæ venerationis formulam Illi præcinere paramus. quatenus ex officio id erat nobis adnitendum, ut elogiis, quibus digniſſimos æternitate meritorum tantorum titulos communis Patria temporum conſecrabit memoriæ, peculiariter hujus Academiæ pietas atque veneratio innecteretur. Ipſa vero laudum ornamenta rectius nos omnino facturos arbitramur, ſi victuris annalium monumentis integra & indelibata relinquamus. DIXI.

PANE-



PANEGYRICUS. LUDOVICO. XIV. GALLIARUM. ET. NAVARRÆ. REGI. OB. NATUM. EX. SERENISSIMO. DELPHINO. NEPOTEM. DICTUS.

AUDITORES ORNATISSIMI.

SÆpe ego in conſpectum Veſtrum concionemque minore ingenii & exiſtimationis meæ periculo, nunquam animo fiduciâque majore proceſſi. Non, quòd nunc adeò vel improvidus ſim, ut ſuſcepti operis difficultatem non intelligam; vel ſecurus, ut imbecillitatis meæ conſcientiam contemnam. Quin, ſi celebritati feſti hujus, ex voto Civitatis, atque dignitate Academiæ cupio ſatisfacere; confligandum eſſe mihi video & cum ſublimitate argumenti, quam non niſi ſumma, imo ne ſumma quidem orationis majeſtas æquaverit; & cum auctoritate imperii publici, quæ parem in dicendo gravitatem deſiderat; & cum expectatione præcipue Veſtra, quam frequentiſſimo concurſu tantam Vos concepiſſe declaraſtis, quantam ego implere non poſſum. Habet hoc præterea ingens & communis lætitia, quod generoſiores longe motus affectuſque intus in animo concitat, quam ut enuntiari verbis queant; neque tam feliciter ardorem ſuum meditata oratione, quam fauſtarum acclamationum impetu teſtatur: & cum inventorum pulcherrimorum ſuo quodam genio ſit ferax, ancipiti tamen plerumque ſucceſſu moratur interpretis ſui conatum: quem, inter ſecunda omina, & vota certantia, navatæ pretium operæ deſtituit; niſi quicquid elegantium proſpera- d. 20. Aug. 1682.

rumque cogitationum seorsim omnibus subnatum est, unus ipse complectatur, ac sermone pene prævertat. Quid igitur est, quod, inter tot metuendi causas, me contra metum tamen fortem, & supra consuetudinem, constantem reddit? Ecquid vero aliud, quam ipsa temporis hujus & felicitatis publicæ imago? sub qua Divinum Numen & Regi nostro suum favorem, augusto prosapiæ incremento; & generi humano Regis nostri magnitudinem, indubitabili pignore promulgavit. Unicum nimirum Ludovici Magni nomen est, quod incomparabili auspicio, sicut studiorum omnium, ita ingenii & eloquentiæ vigorem supra seculi, supra hominum vires animare consuevit. Etenim, cum fortuna Regibus communis, eo quoque nomine supra cæterorum mortalium sortem emineat, ut de omnibus elate possit & magnifice dici; quod tamen elate, quod magnifice dicitur, de nullo, quam de isto Principe verius, de nullo aptius, de nullo felicius dicitur, qui fortunâ suâ major, facundiam non erigit minus incenditque virtute, quàm virtutis successibus superat ac vincit. Itaque licet aliâs præsentium duntaxat heroum vultus dicentibus grandes cogitationes & sublimem orationem adspirare soleat; Regis nostri tam late diffusa majestas est, ut nullis terrarum regionumque spatiis distineatur, quominus facinorum operumque maximorum efficaciâ, emolumento, gloriâ præsentem ubique, ubique spirantem sui sistat imaginem. quam cùm oculis subjicio, novum quoddam & insolitum in animo meo lumen sentio exoriri, quod non res tantum, de quibus sermo instituendus est, mihi clariores illustrioresque reddit; sed conatum quoque meum eò potentius sublevat, quo minus dubitare me sinit, quin Vestras etiam mentes eadem fax illuminet, idem irradiet fulgor: ut, quæ assequi ego digne, vel exprimere eloquendo non potero, vos percipiendo tamen intelligendoque sitis suppleturi. Jamque adeo nihil est, quod illorum invideamus sorti, quibus concessum est, coràm natalem recens editi Principis genium propitiare. Liceat illis auri gemmarumque splendore oculos pascere, grandeque illud incomparabilis magnificentiæ spectaculum admirari, quod regales cunas circumdat. Illi notent astra, illi signent horas, adorent symbola, venerentur Gratias, quæ vel exceperunt nascentem,

tem, vel nato famulantur: Dum nos, qui ab aulæ cultu, non locorum ſaltem, ſed vitæ ſortiſque longo intervallo ſejungimur, illum potius intueri fulgorem decuerit, quo ſeculi gloria illuſtratur; illa inſignia venerari, quibus ſecuritas Regni munitur; illam adorare purpuram, qua civium Salus involvitur; illa obſervare ſidera, quæ Regiæ domus æternitatem portendunt. Ingens in tanta rerum ubertate compendium! Ut fortunam diſcas, in quam genitus eſt Auguſtus Infans, non eſt neceſſe ampliſſimi regni fines peragrare, aut percenſere potentiam: cùm æterna DEI providentia omnibus momentis declaret, quam arctâ ſibi familiaritate Regis noſtri fata devinxerit. cujus omnia conſilia tam propitiis oculis reſpicit, tam amica manu gubernat, ut dubitari prorſus nequeat, hoc Illius regimen charactere inſignitum velle, qui conſummatum perfecti herois ſpecimen omnium gentium ac ætatum venerationi commendet. Igitur, qui hactenus virtute reliquos mortales, & ſeipſum ſuperavit, jam cum felicitate ſuâ velut ad certamen compoſitus, quotidianis incrementis abſolvit exemplum Principis, cui fortuna ſerviat, natura obſecundet, cœlum applaudat, faveat æternitas. Et quæ poterat cœleſtis commercii certior fides dari? quàm quòd auſpicatiſſimus Delphini thalamus tam congruo eventu maximi Parentis vota implevit, ut jam inter omnes, quos Gallia, prope dixerim, quos Orbis, reges vidit, non tantum iis muneribus, quæ humana virtute parari ſolent, ſed ne iis quidem, quæ DEUS tribuit, parem agnoſcat. Dicerem in privata etiam ſorte rarum & incomparabile, in hos gradus, hac ætate, multiplicatæ fœcunditatis exemplum: Si fas ullatenus foret à ſuperni Numinis deſtinatione recedere, quâ publicam Regni ſecuritatem perenni domus Auguſtæ munimine fulcire atque perpetuam reddere decrevit. Etenim jampridem longâ experimentorum ſerie in vulgatæ prudentiæ diſciplinam invaluit, potentiſſima, quibus inſiſtere Principalis fortuna poſſit, præſidia, in felici numeroſæ ſobolis proventu eſſe repoſita. non claſſes, non legiones, contra novos conatus pravaſque ſpes ſatis firma munimenta præſtare; ſi regnantis orbitatem fatales rerum tranſitus ſuis caſibus & periculis adoriantur. Sed hac quidem parte jam olim Regni Francici ſta-

tum

tum roboraverat generis ſanguiniſque Regii felix ubertas; & donato inprimis ante unum & viginti annos Sereniſſimo Delphino conſummaverat propitium Numen, quicquid optare pii cives audebant, vel ſperare audaces potuiſſent: Sed, ſicuti nunc grandi, quod celebramus, documento apparet, Regi tam peculiariter conſortio & curæ ſuæ commendato propriam felicitatem ſepoſuerat, qua non fortunæ ſolum humanæ, ſed ſpei quoque ac votorum menſuram ſupergrederetur. Itaque Illi, non, ne ſuus tantum; ſed ne ſucceſſoris quidem ſui ſucceſſor in incerto foret, proſpexit; & ſecuri tranquillique ſtatus ipſa etiam munimenta novo robore; ipſum robur novis munimentis conſepſit. Sic poſteritatis Ille ſuæ ſeriem ex ſerie, generationem ex generatione, non quod hucuſque Divinæ benedictionis complementum credebatur, habiturus eſt, ſed habet; neque relicturus eſt, ſed videt, ſed educat hæredes virtutis, & exempli, & gloriæ; quam ex longo majorum ſtemmate collectam, Ipſe animo & factis amplexus, conſummavit. Quanquam enim ad Auguſti Puſionis noſtri generationem, paternâ maternâque proſapiâ confluxerit, quicquid inde à remotiſſimâ ſeculorum hominumque memoriâ vel rexit Europæ fata, vel illuſtravit; iſque adeo cuncta Heroicarum virtutum & facinorum exempla toto cultiore orbe jam innumeris ætatibus edita, in domeſticis numeret; ut tamen ipſe quoque ſummi Herois & nunc orbem præſagio, & ſe aliquando diſciplinâ imbuat, unum Avi meritum ſufficit. & hoc ille tamen in Patris imagine, prorſus uti Solis fulgor in ſpeculo ſolet, geminatum deprehendet. Nam huc utique inſtitutionis Regiæ cura profecit, qua indolem cœlitus in Filium demiſſam, & genii ſui plane participem, formavit, ut jam perfecta imperandi arte, ſolo ſe videat authore ſuo minorem. Nimirum id DEUS Genitori, id Genitor Nato præſtiterunt, id uterque Parentum Nepoti præſtabunt, ut, cùm inter prudentes dubitatum hactenus fuerit, utrum ad recte imperandum efficacius foret, bene inſtitui, an feliciter naſci; grandium deinceps experimentorum fide conſtiturum ſit, quantum vulgarem regnantium menſuram egrediantur Principes, in quibus naturæ & genitalis præſtantia & incomparabilis cultus conſpirant. Tales eſſe oportebat, quos Regis, nulli

nulli nisi suo sanguini, suæ disciplinæ, suo genio imitabilis successio manet. Ille Regni fines propagavit latissime, munivit fortissime: Ille securitatem populorum, Ille salutem civium & latis salubriter legibus, & emendatis utiliter judiciis stabilivit: Ille Francici nominis gloriam supra omnis ævi laudes; Ille seculi felicitatem ad beatissimi exempli sortem provexit. Sed quis hæc olim post Ipsum conservare atque continere in gradu suo valeret? nisi genuisset, quos ad æmulanda æterni vigoris miracula suâ animaret virtute, suâ imbueret sapientiâ. Et quis nescit, hoc Heroici sanguinis spiritusque verum & proprium pretium esse, ut, quæ virtutis exempla statuit, excipere atque propagare solus possit? Sed ego quidem, dum præsentis status durationem atque constantiam nomino, uti me formulis intelligo ad privatæ spei desideriique angustiam accommodatis. Verùm Rex noster acceptam à Majoribus laudem jam sibi & Filio in consuetudinem, Nepoti in disciplinam convertit, ut quæcunque pulcherrima facit, ea continuo transeat, & ad majora semper festinet; neque expectationem tantum & judicia hominum, sed ipsa quoque rerum summa fastigia transscendat. Extulerat se sub Henrico IV. incomparabilibus incrementis fortuna Galliarum, minimoque intervallo, Regni per feralia dissidia super Reges suos ruentis exitium, &, qui subinde transformationis quodam miraculo invaluit, summum restaurati florem discreverat. Si quid reliquum esse videbatur, quod ad consummationem civilis felicitatis vel petere homines à DEO, vel præstare DEUS hominibus posset, illud omne Ludovici XIII. consilia & virtus expleverunt. Sed comparetur publica regni facies, in quam Rex noster Divo Parenti successit, cum eâ, quam hodie orbis stupet; nonne ita discrepare deprehendetur, ut Ludovicus XIV. non reparator aut amplificator veteris, sed novi plane status author & conditor celebrari merito debeat? Et Ille quidem jam tum in primis pueritiæ annis, quando adhuc cum laudibus & virtute majorum suorum certabat, semet assuefecit maximorum operum profectu semper ad majora contendere. quæ tamen & ipsa postea nihil aliud quàm ampliorum adhuc facinorum apparuit rudimenta & tirocinia fuisse. Ex quo autem supra alienam gloriam, &

cum suâ in certamine cœpit constitui, hostes pariter & cives in hanc sententiam induxit, ut cum hi de Eo sperent, illi metuant summa: utrique tamen fortiorem quam metuerant, utrique meliorem quam speraverant, experiantur. Transit in Annales Regios disciplinæ hujus documentum: in quibus, cùm sublimis alicujus facti fidem admiratio dubiam reddidit, mox sublimioris quod sequitur fides, ejus quod antecessit admirationem diminuit. Alibi fortuna occurrit, prout sibi Regem incredibili successu atque indulgentiâ pigneraverit: Sed mirari desinimus, cum paulo post cognoscimus, quemadmodum Rex sibi fortunam subjecerit; & quæ antea comes virtutis fuerat & adjutrix, eam in virtutis Ipse pretium redegerit. Miraremur quæ bello patravit, nisi mirabiliora essent, quæ pace quotidie administrat. Obstupesceremus, cùm legimus, quas auspicio suo nationes debellaverit, quas urbes ceperit, quos exercitus profligaverit: nisi majora essent, quæ ductu illum gessisse, imo gerere, videmus. Illustrissima sunt, quæ armis peregit; at quanto illustriora, quæ solo armorum terrore confecit. Ingens artium gloria, quibus tot victorias præparavit vel peperit; at quanto gloriosior scientia est, qua victoriæ imperando, toties de ipsâ victoriâ victoriam & triumphum reportavit. Testor Vestram conscientiam, Auditores, quâ solâ orationem meam cupio ab adulationis opprobrio & reatu absolvi, an cujusquam adeo suspicax incredulitas aut tam pertinax diffidentia esse possit, quin per ea, quæ oculis usurpamus, expugnetur, ut iis, quæ ad aures nostras perferuntur, præbeat assensum. Nuntiavit nobis fama conditas & ingentibus munitionibus cinctas urbes, mare suffossis montibus atque longis regionum tractibus receptum in terras; & vicissim terras vastis molibus in mare productas. Sed hæc, quanquam probe gnari non nisi Hero clarum mentium partus esse, faciliora putabamus, quia tempore, cui nihil est insuperabile, credideramus obstetricante produci. Demsit errorem unus, nec integer annus; qui sub oculis nostris quantas operum exstructiones absolvit; quibus urbi, imo plusquam urbi suffectura munimenta succrevere: quibus Rheni utraque ripa vel munita, vel clausa est; & Alsatiæ amnes longis atque magnificis aquæductibus conjuncti, & ad usum & decus Provinciæ:

vinciæ derivati ſunt. Jamque adeo non id ſolum nobis patet, quàm grandia Rex noſter; ſed & quàm celeriter adminiſtret. Qui hæc omnia ita porro adgubernare ſolet, ut in illis etiam, quæ pro Eo alii fortiter & induſtrie faciunt, laudabile tamen nihil occurrat, quod alienum ſit. Maximos ad pacis opera Miniſtros, & ad belli munia Duces, ſed quos ipſe fecit, habet: &, ſi qui ſorte naſcendi, vel ætatis conditione ſub aliis magiſtris profecêre; iſtum tamen vigorem, iſtam vigilantiam, iſtam ſtrenuitatem, quâ in hujus Regis obſequio ſuas aliorumque laudes vincunt, ab Illius unice imperio vel exemplo hauſerunt. Hinc illorum conſiliis ſalubritas; conatibus ſucceſſus; propoſitis concordia; operibus gloria provenit, & ad æternitatem publicæ felicitatis animatur. Et quidni cunctorum, quæ in toto regno laudabiliter fiunt, ad Regem eo quoque nomine ſumma redeat, quòd alacritatem omnium tam paratâ ubique, tam munificâ benignitate incendit? Vigil in omnium fidem, omnium diligentiam oculus, neminem effugere patitur, qui æſtimio & propenſione Principis dignum aptumque ſe reddit, quin benefici ſideris inſtar obſervet, foveat, atque ex obſcuro protractum illuſtret. Nimirum qui ſolo nutu ſtrenuos, quia felices, reddere poteſt; quid in animis ſuorum efficere cenſendus eſt, cum eos laudibus & præmiis extimulat? Ergo ad infimos uſque & gregarios milites nobilis pro utilitate & gloria Regis ſui contentio porrigitur. quos inſtauratâ veteri diſciplinâ, contra laboris, temporis, fortunæ aſperitatem ita corroboravit; ut jam nihil in illos alterutrius commutatio poſſit. Favet operi anni tempeſtas? agilitatem aëris, celeritate; adverſa eſt? gravitatem pertinaciâ vincunt, hoc ipſo conſecuti, vel certe promeriti, ut jam ſine illorum honore nequeant beatiſſimi florentiſſimique regiminis inſtrumenta commemorari. Sed enim hæc avita, & jam priſcis temporibus elaborata Francicæ Nationis decora fuerunt, ut primario elogio in armis, & per volubiles ſubinde vices in egregiis artibus præcelleret. Patuit tamen hîc quoque opportunus Ludovico locus, in quo propriam ſibi lauream pareret; dum res difficillimas conjunxit, & ſapientiæ ſtudium in caſtra Martis, artem vero & ſcientiam militarem in Minervæ ſacraria traduxit: adeoque ſtrenuam illam & armatam Palla-

 dem,

dem, non è Jovis cerebro ; ſed ex illo interioris prudentiæ penetrali, cujus lex, recte conſultis facta egregia, & præclaris actionibus ſalubria decreta connectere jubet, protraxit, & in æternitatis templo dedicavit. Atque in hoc, Te quoque Auguſte Infans, Paternis Avitiſque meritis collocatum venerari, & animus jam diu geſtit, & nunc ſermonis ordo jubet. Habet Francicorum Regum ſeries alia etiam, quanquam non ſemper proſperæ fœcunditatis, exempla: Sed Tu ſuaviſſimâ Nepotis Filiique neceſſitudine, quid aliud potes quàm perpetua Parentibus tuis gaudia, populis tuis præſidia, ſeculo tuo decora polliceri? Ut jam in primordio gentile familiæ Tuæ decus Tibi aſſeris! qui devoluta in Te munera, tam luculento incremento, dum recipis, auges. Effuderunt in Te divini ortus Tui Authores, quicquid Heroicarum virtutum meritorumque vel hactenus commemoravi, vel dicendo complecti non poſſum. Sed quantum eſt, quod tu Illis retribuis! qui vix naſceris, & jam tantæ, in quam venis, quamque vel ſolo etiam exortu Tuo amplificas, felicitati, fiduciam inſuper æternitatis adjungis. Provocat hæc publicam vovendi ominandique licentiam, ut hæreditariarum circa cunas Tuas palmarum meſſes intueri nequeamus, quin ex iis auguria captemus de adoreis, quæ Tuum aliquando ſolium cingent. Etenim, quid de virtute Tuorum, exteræ gentes, &, quam Tibi Materna origo vix exteram eſſe ſinit, inter eas Germania ſentiat, concinentibus Orbis Europæi præconiis diſces. at tu profectò ita natus es, ut, ſi quis unquam alius, poſſis fortiſſimas, è quibus ortus es, Nationes æternis fœderibus connectere, atque eâdem operâ cœterorum populorum perennem quietem continere. qui hæc tranquillitatis ſuæ pignora jam tum votis præceperunt, quando felicitatem thalami Galliæ Tuæ gratulati ſunt, cujus jam Te nobis tam grande pretium DEUS gratificatur. Et hac ſane conditione Avus, hac Pater, ſua quæ ex bello retulerunt vel referent, tropæa Tecum communicant, ut Tu cum Illis plures & illuſtriores ex pace triumphos partiaris. qui, ut generis humani lætitiam ſecuritatemque, ita ſtudiorum atque doctrinarum elegantium celebritatem laudibus Tuis & famæ innectent. Nulla ad immortalitatem pronior, nulla certior via ducit. Nam dum ulla

morta-

mortalium poſteritas durabit, nunquam deerunt, qui Divinas iſtas ſcientias tractent, atque in literarum vel ſtudiis illuſtrandis, vel uſu inſtaurando, vel gloriâ propagandâ laborent. Horum operâ fiet, ut licet interdum Barbaries invaleſcat, & cætera memoriæ monumenta evertat, ſemper tamen eruditionis lumen ſit reſurrecturum: quod quantumvis pertinaces tenebras, ac cum illis Cultorum Patronorumque ſuorum oblivionem profligabit. Audetne Univerſitas hæc, ex veteri formulâ, ſe ad quidpiam huic officio ſimile, Numinis Majeſtatiſque Tuæ cultui conſecrare? Effecit equidem Regis Optimi Maximi benignitas atque indulgentia, quâ nos priſtinis juribus, privilegiis, ſtatu potiri voluit, ut unicum Illum inter homines Conſervatorem Soſpitatoremq; noſtrum venerari poſſimus: Sed premebat nos hactenus ingrati ſilentii pudor, ut nunquam poſſemus tantorum meritorum, ſine impietatis exprobratione; vel officii noſtri, abſque humilitatis infirmitatiſque conſcientiâ meminiſſe. Utrumque Tu à nobis avertiſti dedecus: dum & verecundiam noſtram lætitiâ, & imbecillitatem felicitate exoptatiſſimi adventus Tui expugnas. Ac nos quidem facundiæ apparatu, omnibus, qui nativitatem Tuam coluêre; pietatis fervore ac ſinceritate nemini cedere conſtituimus. Itaque cùm ad Te feliciſſimorum ingeniorum, quibus Regnum & ſeculum Tuum abundat, certamina deferentur; illos forte judicabis in interiores regni ſinus Tua Tuorumque elogia glorioſius ſpargere, qui, inveterato obſequio, aſſueti ſunt dictionem ſuam ad aulici moris elegantiam accommodare. nos tamen cenſebis non indecoro penitus aut inutili officio fauſtas voces, quæ omnium totâ Galliâ Provinciarum Urbiumque concentu inſonuerunt, hîc in extremo Regni limite excipere, atq; in vicinas late nationes proclamare. Ita vivas ô nobile cœli depoſitum, ô temporum ſplendor, ô glorioſum domui Tuæ, ô ſalutare regno Tuo, ô gratioſum populis Tuis ſidus! ô magnum beati ſeculi incrementum! Ita Vivas, & Auguſtorum Parentum veſtigia, provinciarum gaudia, generis humani deſideria impleas! Ita vivas, floreas, perennes! ô ſecuritatis, ô ſalutis, ô ſpei noſtræ obſes! & quas pro incolumitate Tuâ puro pioque corde facimus ſupplicationes, placidus admittas! Sic nobis poſteriſque noſtris

contingat, ut quæ jam pro Te vota nuncupavimus, quæque omina collegimus, pari sæpe lætitiâ multiplicentur; & quæ multiplicabimus, memorabiliore semper felicitate compleantur. Dixi.



ORATIO III.
DE
USU JURIS CIVILIS
IN
DECIDENDIS CONTROVERSIIS PUBLICIS.

Cum Doctor Juris renunciaretur: Habita d. 16. Apr. 1682.

QUanquam optandum foret, AUDITORES, ut pro opportunitate hujus cerimoniæ, compar temporis spatium, nobis permitteret, favoris pariter Vestri prolixitatem & propositi argumenti amplitudinem dignâ oratione percolere: plurimum tamen voti hujus solicitudinem vel coërcet, vel sublevat, quod apud eos sermo instituendus est, quos nec imputare beneficia in alios collata, mentis altitudo; nec præsentis disquisitionis momenta ignorare, eruditionis profunditas patitur. quarum altera, facultatis meæ, altera doctrinæ deliquia, egregie, uti opto speroque, supplebit.

Proprio autem lumine perspicuum esse arbitror, publicas dici controversias, quas inter se agitant populi liberi, quique in populis liberis summum imperium obtinent. Publicæ sunt, quia non suscipere illas, nisi publico auspicio; non persequi, nisi publico consilio; non expedire, nisi publico auctoramento fas est. Publicæ sunt, quia illis suprema, in Republicâ, ipsiusque adeo Reipublicæ publica potestas originem, publica jura fundamentum, publica salus mensuram formulamque subministrat. Publicæ sunt, quia non de privatis civium patrimoniis, sed de gentium nationumque publico dominatu disceptantur.

Publicæ

Publicæ ſunt, quia non ob id inſtituuntur, ut appareat, uter has illaſve ædes uſu aut mancipio teneat: uter in hæc vel illa bona familiamve hæres ſuccedat: ad hunc an ad illum fundi alicujus fructus redundet: Sed ad quem populorum obſequia, provinciarum commoda, terrarum regionumque proventus deferantur. Publicæ ſunt, quia non id ſpectant, ut ſubditorum pactionibus fides, ſed ut fœderibus & conventionibus Imperantium ſanctimonia conſtet: non ut agrorum fines, ſed ut regnorum termini regantur: non ut ſingulis domi quies, ſed ut foris humani generis pax, tranquillitas, ſecuritas ſtabiliatur. Quin, ſi ultra progrediendum eſt, publicæ ſunt hæ controverſiæ, quia ſe non clauſtris Prætorii tribunalis, non centumviralis haſtæ ambitu, non parietibus Curiarum, non Conſiſtoriorum cancellis circumſcribi ſinunt; Sed ſub totius Orbis judicio, & omnis, quæ unquam futura eſt, poſteritatis cenſura, terras exercitibus, maria claſſibus, regiones civitateſque terrore pervagantur, & complent. In his igitur decidendis, ne juri Civili privato uſus auctoritaſve tribueretur, ipſe illarum character, tam multis tamque illuſtribus nominibus publicus videbatur obſiſtere. Quid enim? Tune illas lites legibus ſubjicies, quarum diſceptatores ſuprema inter homines legum arbitria moderantur? Tune illis cauſſis juris formulam præſcribes, quæ de juribus agitantur, è quibus omnis legiſlatio civilis authoritatem, omnia humana jura efficaciam & robur mutuantur? Cæſarum utique reſcripta, decreta Judicum, Conſulta Senatus, Populorum ſcita, reſponſa Prudentum inter inferiores ſubjectoſque dominantur: At cum inter æquales contentio, & inter ſupremos rerum negotiorumque arbitros bellum exortum eſt; quiſque ſibi Cæſar, quiſque ſibi judex, & in tuendo aſſerendoque jure ſuo quiſque ſibi ſatis Sapiens eſt. Non exiſtimo equidem, vel de antiquæ barbariei ruditate, vel de novitiæ adulationis impudentiâ tantùm erroris hodie ſupereſſe, ut Juri Naturali ſuus in definiendis Regum ac Principum controverſiis locus incertus reddatur. Procedit enim illius auctoritas ab eo Legiſlatore, qui omnium Legiſlatorum Legiſlator, omnium Regum Princeps, omnium jurium moderator, omnis juſtitiæ fons, omnium contentionum judex, omnium bellorum ſupre-

mus

mus arbiter eſt. Ne illi quidem juri, quod tacito gentium conſenſu, & generali quadam conſuetudine vim legis accepit, refragari palam ſolent, qui inter populos moratiores cenſeri volunt. Si quid vero præterea ſingularum civitatium, hujuſve aut illius gentis arbitratu conſtitutum, uſui deſtinatum, rationibus ſalutive accommodatum eſt; ejus vinculis ſeſe ac dominatus ſuos ſolutos & liberos eſſe, non injuriâ Rectores Rerumpublicarum exiſtimare videntur. Magnâ potentiæ amplitudine floruit olim Populus Romanus, & imperio ſuo pleraſque Orbis cultioris partes complexus eſt. Sed ſicut ipſe neque liberarum, neque ſubactarum gentium leges admittebat, niſi quatenus ſibi ſuæve reipublicæ conducere arbitrabatur: ita legibus ſuis nec apud illas authoritatem, nec perpetuitatem apud iſtas potuit tribuere. Effulſerant incomparabilis ſapientiæ atque rectitudinis laude Orientis leges, indeque omnis humani divinique juris lumen in Ægyptum, ex Ægypto verò non per Legiſlatores modò præſtantiſſimos Lacedæmoniorum & Athenienſium, ſed & per Philoſophos in Græciam proceſſerat: Romanorum tamen oculos non ultra perſtrinxit, quam ut ſanciendi juris ſpecimen ac formulam inde mutuarentur. Et quidni igitur fas ſit Europæis gentibus, in recipiendis reprobandiſve eorum legibus, ſua illis exempla reddere? Etenim pleræque iſtarum, ſi Germanos excipias, Romanas ſecures veneratæ ſunt olim, & hodie apud omnes Romani juris vel reliquiæ vel veſtigia durant. Sed ex quo tam vaſti Imperii moles procubuit, legiſlationis quoque tot antea populos amplexæ vigor, in uniuſcujuſque Reipublicæ proprias leges ac Civilia jura reſolutus eſt. quæ non ideo valent, quia omnibus quondam præſcripta ſunt; ſed quia à ſingulis non ſunt penitus rejecta atque reprobata. Ut adeo alios ad æquabilem juris uſum, & concordis vitæ communitatem vincire non poſſint, quàm qui unius reipublicæ & communis imperii ſpiritu continentur. Quid dicemus igitur? An erroneæ perverſæque diſciplinæ reos agemus, quotquot Virorum doctiſſimorum, ad tractandas definiendaſque publicas Regnorum controverſias, hoc præſertim & ſuperiori ſeculo, ſunt admiſſi? Parum certe in eorum Commentariis verſatum ſe oſtenderit, ſi quis præcipuum in illis honorem

norem neget Romanæ Juriſprudentiæ decretis, regulis, authoribus tribui. Quid illi? qui ipſam Juriſprudentiam univerſalem ac publicam in contextæ artis corpus redigere aggreſſi ſunt: num ullum paulo illuſtriorem locum pertractant, in quo non præcipuas partes Romanorum Juriſconſultorum teſtimoniis aſſignent? Niſi penitus fallor, aliud illi ſpectarunt, quàm quod vulgus ſentit: cui mos eſt, ex accumulatione nominum citationumque, pretium & authoritatem operum æſtimare. Nimirum, ubi ad diſcretionem ejus quod juſtum, quodque injuſtum eſt, robur legis, pondus ac momentum genuinæ definitionis requiritur; ibi aliam quàm naturalis atque univerſalis rectitudinis normam fruſtra adhiberi, in confeſſo eſt: ejus vero adeo expers non eſt jus Romanum; ut nullæ humanarum Legiſlationum tabulæ, nulla ſapientum monumenta talis diſciplinæ fœcundiora queant nominari. At ubi ad ſingulas factorum ſpecies, quæ non minus in publicis quam in privatis controverſiis, varia circumſtantiarum momenta & diverſiſſimam momentorum inclinationem conformationemque recipiunt, generalia ſapientiæ decreta accommodanda ſunt; ibi vero ſi non unicum, at præcipuum certe præſidium Romana Juriſprudentia ſuppeditat. Sive magnitudini atque diuturnitati Imperii adſcribendum eſt, quod in tot tamque variorum caſuum deciſionem illuſtrationemque, præclariſſimorum ingeniorum induſtria ſuffecit, ut omnia fere humanorum negotiorum penetralia intimoſque receſſus pervaderet: Sive felicitati; quod nullius alterius populi ſcita uberiore copiâ deſcenderunt ad poſteritatem. Specimina meditationi Veſtræ ſubjiciam, Auditores, quibus perſonarum nomina, & uberiorem ſingulorum momentorū interpretationem adjicere facile poterunt, qui rerum propioribus ſeculis geſtarum memoriam tenent. Dotem Regiæ Virgini, certâ pecuniæ determinatione propinqui promiſerant, & in numerationis ſecuritatem oppigneraverant Sponſo ducatum, additâ inſuper lege, ut in vicem uſurarum fructus ejus proventuſque perciperet, poſſeſſioniſque interim commodo & ducalis tituli honore frueretur. Soluto per mortem improlis mariti conjugio, & defunctis etiam illis, à quibus promiſſa conſtitutaque dos fuerat; vidua oppignerati ducatus poſſeſſionem non pro ſe tantum retinere, ſed in cogna-

torum aliquem transſcribere, ſibi contendit jus faſque eſſe. Contradicunt ii, ad quos cum cæteris provinciis hujus quoque ducatus ſucceſſio lege ſpectabat. Alibi pater impuberi filio & principatus ſucceſſivi quidem, ſed extra commercium patrimoniumque poſiti, hæredi, tutorem ultimis tabulis nominavit, iſque defuncto teſtatore, ad munus ſibi adſignatum aſpirat. intercedunt propiores agnati; eumque qui ſucceſſionis ordinem immutare, & de principatu ipſo diſponere teſtamento ſuo nequiverit, efficere potuiſſe negant, ut ad alios Principis tutela & provinciarum regimen perveniret, quam ad quos utriuſque pericula pertinent. Eſt, ubi quæſitam reciproco ſucceſſionis pacto Regiam hæreditatem, Status ſive Proceres Regni, ut ipſi ajunt, electivi, impugnent: Ubi abdicatam ſub conditione recipiendæ dotis paternam ſucceſſionem, dote ad condictum diem non ſolutâ, Regia Conjux vindicet: Ubi alienatarum provinciarum acceſſiones: Ubi præſtationes contractuum; Ubi pactionum formulæ, inſtrumentorum auctoritates, conditionum interpretationes, vario controverſiarum genere agitentur: Poterit ne ſperari, ut, non dicam, plene decidat, ſed utcunque ſubortas difficultates expediat, niſi qui horum negotiorum, non vocabula ſaltem (quanquam nec hæc quidem alibi, quam in Jureconſultorum Scholis diſcuntur;) ſed totam indolem, habitum univerſum, omnes reconditiores ſinus, omnes intricatiores anfractus, illis doctoribus ducibuſque perſcrutatus fuerit, qui in hac ſcientiâ, ſingularis & vere practicæ eruditionis gloriâ, ſi non ſoli, tamen regnant. Itaque, ſi commonendi ſint populorum Rectores, ut potentiæ, utilitatis, gloriæ amplitudinem, juſtitiæ atque honeſtati velint poſthabere: Si edocendi, quâ ſinceritate in fœderibus, quâ fide in pactionibus, quâ religione in juramentis, quâ integritate ac ſanctimonia in omni publici actus tractatu debeant verſari: multa undecunque lumina è Theologorum, Philoſophorum, Oratorum, Hiſtoricorum, Poëtarum denique monumentis affulgebunt, quæ Juriſprudentiæ univerſalis principia & ſolidiora fundamenta in abdito latere, minime patientur. Ea vero ad peculiares negotiorum factorumque ſpecies ac momenta dextre applicare, & ad ſerios illuſtreſque vitæ publicæ uſus transferre, Romani præcipue Juris ſcientia docet.

ORATIO IV. DE CONNEXIONE JURIS PRIVATI ET PUBLICI.

A. O.

NOnus iste jam annus volvitur, quòd authoritate inclyti Senatus mihi collatum Historiæ docendæ munus, ex hâc cathedrâ, solenni oratione sum auspicatus. Multiplices, quæ me tum circumdederant, curas, cùm dissimulare animi sive ingenuitas, sive infirmitas non sineret, DEO vocationis meæ Authori piis suspiriis commendavi: Illi publice, Vobis audientibus ac faventibus, vota nuncupavi: Illi memorem gratamque in æternum mentem obstrinxi: si me impares imposito oneri humeros subjicientem, Divinæ gratiæ levamine ad explenda injunctæ functionis munia roborasset. Exauditus propitii Numinis benignitate, & per omne, quod in illâ statione transegi vitæ spatium, cœlestis auxilii luculentissime compos; postquam vacuum in Collegio Juridico locum ingredi suffragiis Amplissimi Ordinis Academici jussus sum; unde potius novæ Professionis, hujusque adeo inauguralis alloquii exordia ducam, quam ab instauratione illius exempli, cujus tam efficacem tamque fructuosam pietatem persensi? Quidni enim votorum, quæ me iterum hoc tempore, hoc loco nuncupare admirabilis divinæ Providentiæ dispositio jubet, inde fiduciam repetam, unde illorum, quæ olim nuncupaveram, felix complementum processit? Quidni occupationum & curarum novarum solicitudinem, recordatione præteritorum successuum fulciam? & tuorum, ô Benignissime DEUS! beneficiorum memoriam atque deprædicationem, cum futuræ prosperitatis faustis ominibus & secundo augurio conjungam? Tu in subeundis & tractandis civilis vitæ officiis, fata mea sapienter mo-

Cum Professionem Institutionum Imperial. & Juris Publici auspicaretur: Habita die 23. Apr. 1682.

deratus es; & moderaberis: Tu propoſita conſiliaque mea rexiſti; & diriges: Tu actionibus meis benedixiſti; & benedices: Tu fortunam meam ornaſti; & ornabis: Tu authoritatem conſilii publici, qua pridem ad Profeſſorium ordinem evectus ſum, contra virium mearum imbecillitatem ſuſtentaſti; Tu itaque illi, & in hac, ad quam me tranſire jubes, provinciâ, præſidium ſtatues. Tu Reipublicæ uſibus ſtudia mea, Tu Patronorum favori conatus meos, tu Juventutis profectibus labores meos conciliaſti; & impoſterum ad alios fines uſuſque exerrare non ſines: Tu mihi concordes Collegas, Tu benevolos Amicos, Tu gratos Diſcipulos dediſti, & conſervabis!

Neque alia re, quam iſthoc gratæ piæque recordationis ac bonæ ſpei conſortio Veſtri quoque patrocinii conſtantiam mihi pignerare fas fuerit, Prudentiſſimi Reipublicæ atque Academiæ Patres. Requieſcit in Illuſtris Collegii Veſtri auctoritate, quicquid muneri meo vel olim dignitatis tributum eſt, vel deinceps ornamentorum acceſſit: inde præcipuum laboribus meis decus, inde honoribus lumen, inde doctrinæ præſidium diſpenſatur. Sed cùm mihi Veſtram erga ſtudia mea propenſionem tot egregiis documentis teſtatam eſſe volueritis, non à Vobis flagitare, ut, quod proprio virtutis comitatiſque Veſtræ impulſu facitis, tam benevolam mentem; ſed à DEO contendere debeo, ut tam benevolos Patronos mihi conſervet!

Et quid porro magnopere ſollicitus ſim, quo potiſſimum pignore, in Veſtro, Ampliſſimi Profeſſores, Ordine, ill. collegio, cui nuperrime arctioris conſortii vinculo aggregatus ſum, animi atque affectus mei ſinceritatem declarem? cujus tam certa teſtimonia in eo extant, quod relinquo. Percepi è Veſtrâ, celeberrimi Philoſophi, conſuetudine fructus, quoſcunque vel communis Collegii ſanctitas polliceri, vel interioris amicitiæ ſuavitas producere poteſt: Hujuſque convictus ac concordiæ ſemper in memoriâ meâ imaginem; ſemper in animo meo, erga defunctos pariter ac ſuperſtites gratiam conſervabo; diſciplinam vero ad commune Vobiſcum, Conſultiſſimi Juris Anteceſſores, juſtitiæ Sacerdotium transferam. ut reipsâ intelligatis; me non operam magis meam atque ſtudia, quam animum,

mum, voluntatem, obſervantiam vobis adjungere deſtinaſſe. Eveniant & Veſtrûm cuique, & omnibus, qui Univerſitatis noſtræ commodis vel ſtrenue operantur, vel bene cupiunt, quæcunque publice decóra, privatim ſalutaria, ex cujuſque voto, piis amiciſque cogitationibus concipi poſſunt ac impetrari.

Uberiori adfamine Vos mihi demerendi eſtis, Commilitones Nobiliſſimi, in quorum maxime gratiam iſte congreſſus indictus eſt. Inprimis vero Vos obnixe obteſtatos cupio, ne hac functionis meæ atque ſtudiorum commutatione, quicquam de meo erga vos ardentiſſimo affectu, immutatum vel deminutum ſuſpicemini. Ut labores mei, Veſtris laboribus pro ſubſidio; ut vigiliæ meæ, veſtræ diligentiæ pro incitamento; ut conſilia mea Veſtris conatibus atque induſtriæ pro levamine inſervirent, conſiliorum meorum & hactenus ſumma ratio fuit, & laborum meorum unica deinceps meta erit: ut, quæ ex tenore cordatioris diſciplinæ diſcitis agitiſque vobis privatim ſalubria, patriæ læta publice atque proficua eſſent, in eo unicum doctrinæ meæ fructum & habui & habebo ſemper conſtitutum. Jamque adeo lætor, ex ſermonis hujus neceſſitudine, occaſionem mihi eſſe ſubnatam, hunc quem gero animum, certo Vobis pignore devinciendi. Quanquam autem jam in ipſo Senatus Academici decreto ſatis vos momenti authoritatiſque reperturos confidam, ut nec temerè, nec niſi ex commodo Veſtro factum poſſitis exiſtimare, quòd pro *Hiſtoriarum & Eloquentiæ* ſtudiis, ad tradendam vobis *Publici & Privati Juris* ſcientiam auctoratus ſum; Si quis tamen extet, qui me vel tædio laboris, vel propoſiti quâdam inconſtantiâ, putet ad aliud diſciplinæ genus tranſgreſſum eſſe, illi indulgendum non eſt, ut in iſto errore diutius obhæreſcat. Non eſt equidem unius POETÆ VENUSINI admirationi expoſitum, quî fiat,

---- quod nemo, quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu fors objecerit, illâ
Contentus vivat.

&, si quis humanæ indolis levitatem attentiori oculo rimetur; deprehendet, inter sublimioris etiam conditionis homines hanc fabulam ludi, ut, quod sequitur apud eundem:

Optet ephippia bos piger, optet arare caballus.

Sed meum certè institutum nemo tam segnis fastidii infamiâ notandum censebit, nisi qui & earum disciplinarum, quas hactenus docui, & illius, quam deinceps traditurus sum, scientiæ genium, indolemque penitus ignorat. Nam cùm omnibus ultro pateat, quantum mihi novæ operæ ac laboris cum injuncti muneris dignatione accesserit: tum vero diffiteri nemo facile potest, eam hodie Jurisprudentiæ, præsertim publicæ, conditionem esse, ut qui ad illam ab Oratoriæ facultatis atque Historiarum cultu processerit, ei nihil admodum liceat de prioris studii assiduitate remittere. Atque de Privato Jure jam olim *Publium Scævolam* accepimus persæpe fratri dicere solitum, nunquam eum satis illi arti facturum, nisi dicendi copiam assumsisset. Quid autem hodie vel in omni antiquitate intactum, vel in cunctorum annalium memoria inelaboratum relinqui posse arbitrabitur, qui sibi meminerit Publici quoque Juris doctrinam, sive ex necessitudine muneris, sive ob disciplinæ contextum, seriis ac severis præsentium temporum usibus attemperandam. Maxime postquam & privatarum atque vulgarium caussarum disceptatio, cum ipso fori regno ab Oratoribus ad Jurisconsultos migravit, & in publicarum controversiarum tractatu primas ac interdum omnes Jurisprudentiæ partes assignari obtinuit. Nihil sane ad hodiernam Legalis scientiæ celebritatem attinet, quod suo ævo CICERO scribit, *juris civilis studium ignavis oratoribus pro refugio, timidis pro diverticulo fuisse: ad quod tum demum se conferre consueverint, cum de dicendi facultate adipiscenda desperassent. Prorsus ut in Græcis artificibus ii aulœdi fierent, qui citharœdi esse non possent.* Quin, ne tum quidem ex vero ista inter Juris & Eloquentiæ studium comparatio instituta est: Et quæ per figuram deprimendæ Juris Civilis dignitati atque utilitati magnâ specie impenduntur, caussæ potius tuendæ, quam explicando rerum pretio servire apparet. Quantulam enim scientiæ partem constituebat in *Servio Sulpitio* illud artifi-

artificium, ob cujus exilitatem *Lucio Murænæ* tantopere illum posthabendum Tullius contendit? quod nimirum in literis atque interpunctionibus formularum, in syllabarum notarumque aucupatione, in conceptione ac subtilitate actionum occupabatur. Nonne cogitandum erat, de illo viro sermonem institui, cujus, præter vulgarem fori Romani atque rerum eo pertinentium peritiam, admirabilis quædam & incredibilis, & pene divina erat in legibus interpretandis, æquitate explicandâ, scientia? cum quo omnes ex omni ætate, qui in Romanâ civitate intelligentiam juris habuerunt, si in unum locum conferrentur, comparandi tamen non essent: qui non magis Juris-Consultus quam justitiæ fuisset; neque constituere litium actiones magis calluisset, quàm controversias tollere. Hujusne scientiam tenuem, hujusne inanem prudentiam dicemus nusquam extra forum Romanum, neque Romæ rebus prolatis quicquam valuisse? Huncne implevisse munus aut nomen Jureconsulti arbitrabimur, postquam dies solennis actionis clienti suo denuntiaverit; Oratorem, cautionis; judicem sententiæ formulis instruxerit? Constabat equidem perquàmmultis fictis atque commentitiis rebus, illa judiciarii processus ex tenore vetustarum legum instruendi formandique notitia. Verùm in eâ ignobilior atque minima, licet necessaria Juris Civilis portio reposita erat. quod utique etiam quâ Privatum erat, longe tamen latius quàm forensium actionum formulæ patebat. Maxime vero jam inde à primis legislationis Romanæ incunabulis, loco atque æstimio illustri Jus Publicum illi accesserat. Multa primi Reges ad ordinum Regni statum, rerumque sacrarum atque profanarum administrationem constituerant; atque inter eos Servius ipsam quoque Regiæ potestatis formulam jure descripserat: auctor quippe legum, quibus & Reges obtemperarent. Subinde vero mutato Regiminis habitu, omnis eò Senatus Populique diligentia conversa est, ut authoritas Patrum, Civium libertas, Populi ac Plebis jura, dignitas & discrimina Ordinum, majestas denique Reipublicæ, præscriptis accuratissime legibus sanciretur. Ipsæ *Duodecim Tabulæ* quàm nobile juris publici monumentum complectebantur? quàm infinita præterea de Judiciis, quàm præclara de magistratibus,

quàm

quàm gravia de ipsa legum ferendarum ratione, de indicendorum habendorumque comitiorum modo, de sanciendis fœderibus, de suscipiendis finiendisque bellis, de omni vectigalium ac proventuum publicorum jure fuerant promulgata? quorum omnium profecto sanctiones memoriâ comprehendere, sententiam atque interpretationem intellectu eruere, fontes atque rationes judicio complecti, id demum erat splendidum illud atque magnificum veri Jureconsulti elogium mereri. Crevit cum magnitudine Imperii hujus quoque scientiæ amplitudo, & quò latius fœderibus vel dominatu potentiam suam porrigebat Populus Romanus, eò etiam augustiores nobilissimæ cognitionis limites efficiebantur: eâ præcipue parte, quá in fœderibus, pactionibus, conditionibus Populorum, Regum, exterarum nationum, in universo denique belli ac pacis jure consistebat. Nam quâ Rei Romanæ statum spectabat, exortâ subinde Cæsarum Monarchiâ in perbreve sane compendium contracta, Regiisque fere & Majestatis Legibus coarctata est. Et tum tamen magna gloria erat, *Juris Divini* atque Humani, Privati & Publici peritia censeri; quibus veluti solennibus elogiis TACITO, *Attejus Capito* & *Coccejus Nerva*, PLINIO Juniori, *Titus Aristo*, aliis alii celebrantur. Postquam imperii moles in partes & tot pene regna dissiliit, quot antea provinciis constabat: Jus etiam Publicum in prolixiorem variumque magis habitum conformari necesse fuit. Longum esset, & à loci hujus atque temporis instituto alienum, exponere, per quàm multiplices vices, per quàm insignes mutationes casusque in præsentem publici status faciem, distractæ compositæque sint provinciæ, quæ vel olim Romani Imperii finibus atque ditione comprehensæ, vel postea successione & reliquiis æstimatæ sunt: Id tamen in confesso esse arbitror, totidem hodie Jurisprudentiæ Publicæ partes esse, quot distinctas Civitates atque Regna orbis terrarum complectitur. Neque inde turbatum iri quenquam confido, quod acceptam à Veteribus illis Jureconsultis, atque ad eam, quam dixi, Romanæ Reipublicæ eminentiam amplitudinemque accommodatam Juris Publici descriptionem, solius *Romanæ rei statu* terminare, plerisque hujus argumenti Scriptoribus usitatum est. Quin apud omnes rerum civilium cogni-

cognitione vel uſu imbutos exiſtimo expeditum eſſe; cùm nulla hodie gens, civilis regiminis adeoque publici ſtatus expers plane degat; ſubſiſtere autem vel regimen vel ſtatus regiminis publicus nequeat, niſi propriis cuique civitati legibus inſtitutis moribus, ſit fundatus: proinde non id ſolum Juris Publici æſtimium mereri, quod Romanam aut Germanicam, ſed quod ullam cujuſcunque populi rem, atque rei ſtatum contingit. Ne barbaras quidem nationes exceptas velim; in quibus licet pleraque privatæ vitæ conſuetudo minus culta, publica tamen civilis regiminis formula ſæpe minime barbara eſt. Inprimis tamen illæ leges, quæ cultioris in Europa orbis imperia continent, nobile iſtud & ad noſtræ diſquiſitionis inſtitutum præcipue pertinens Juriſprudentiæ Publicæ corpus conficiunt. quod non unius quidem voluminis, communis tamen diſciplinæ contextu cohæret: &, licet ſanctionibus rationibuſque maxime diſcrepet, unius tamen connectitur vinculo doctrinæ: cujus expoſitio cum Jureconſultis propria ſit, dignitas quoque non debebit ad aliarum artium diſciplinas referri. Conſiſtere *Jus Publicum* dixit Ulpianus *in ſacris, in ſacerdotibus, in magiſtratibus.* Si quid video, particulas quaſdam Juris Publici, ſpeciminis cauſſâ, nominare voluit; non argumentum definitione pleniore complecti. Brevitatem tamen ſectantibus, non inhabile philoſophandi compendium commonſtravit. Itaque ut de ſacris quædam attingam; habent ſane Divina Oracula ſuos interpretes: neque Fidei dogmata aut Religioſi cultus decreta è Juriſprudentiæ ſuæ diſciplinâ, principiis, formulâ profiteri vel aſſerere Jureconſultus volet: Idem tamen non verebitur ut alienæ meſſi judicetur falcem immittere, ſi jura Eccleſiarum, ſi dignitatem Sacerdotiorum, ſi ſacrarum ceremoniarum ritum, quatenus humanis legibus formatus eſt, deſcribat vel illuſtret. Amplæ noſtrâ iſthac tempeſtate atque præſtabilis ſcientiæ argumentum! ſi quis per Europam circumferat oculos, perquirat leges, expendat pactiones, jura ſanctioneſque rimetur, quibus aliarum Eccleſiarum Libertas, aliquarum ſervitium præmunitur: quibus alibi Sacerdotium Imperio, alibi Imperium ſacerdotio jugum minatur, vel imponit: alibi

utrumque genuinâ inter ſe & ſalubri concordiâ conſpirant. Hîc æternis præſtantiſſimorum ingeniorum monumentis, *Eccleſiæ Gallicanæ Libertates*, alibi *Romani Imperij Monarchia* vaſtis & laborioſis voluminibus aſſerta, cordatioris doctrinæ profeſſione, faſtidia longæ & inveteratæ dominationis ulciſcitur. eſt, ubi cum conſcientiarum libertate, labefactata gravibus atque diuturnis motibus Reipublicæ tranquillitas, *Pacis* alicujus *Paſſavienſis*, & ſubinde *Auguſtanæ*, ac denique *Weſtphalicæ* tabulis conſtituitur, vindicatur, exponitur. Huc accedant immenſa Publicorum Actorum volumina, ut ex innumeris contentionum memoriis, ex infinitis Curiarum ac Tribunalium decretis pateſcat, per quam intricatos caſus, per quam diverſas viciſſitudines, per quam periculoſos eventus, per quam dubia fata, ad eum, in quo nunc eſt, ſtatum, religionis in Europâ diſpoſitio ſit deducta. Latius magiſtratuum denominatio porrigitur, & ad Jureconſulti curam propius pertinet. Neque abſonè judicarunt Interpretes, qui ſub iſthoc vocabulo cenſuerunt ULPIANUM omnia Reipublicæ pace belloque adminiſtrandæ munia complecti decreviſſe. Jure igitur Publico docebitur, quibus per Europæas provincias Legibus ſuprema imperantium majeſtas circumſcribatur: quibus libertas populorum juribus Privilegiiſque muniatur: quo more quâve conſuetudine iſthîc regnantium ſucceſſio, alibi electio ſtabiliatur: quibus limitibus provinciarum fines diſterminentur, quibus titulis officiorum dignitates ſecernantur, quibus momentis principatuum controverſiæ definiantur. Non abnuerim equidem, ampliſſimâ exemplorum copiâ Annales cujuſque gentis, converſas Rerumpublicarum formas, extinctas pridem vel recens ſubortas familias, Principes naturali ſuccedendi ordine vel libero eligentium arbitrio mutatos, bella vindicando vel recuperando Regno ſumpta exhibere: & ſi Pragmaticæ Hiſtoriæ laudem aſſequuntur, additis quoque factorum rationibus, conſiliorumque cauſis, per omnia publici actus momenta & ſpecimina eruditum lectorem inſtruere. Sed & Civilis Prudentia quomodo ad paratum elegan-

elegantioris eruditionis ex abditis circumſtantiarum negotiorumque penetralibus erui & ad ſalutis utilitatiſque publicæ vigorem ſive conſervandum ſive inſtaurandum adhiberi debeant, viam rationemque commonſtrabit. Tota interim juris diſceptatio legitimæ Scientiæ propriora manet. niſi quod ad illos interdum transfertur, qui Jureconſultorum ſi non munus aut nomen, ſapientiam tamen atque diſciplinam profitentur. Atque hîc iterum mihi quiſpiam Europæa regna cogitatione percenſeat. Oſtentabit in extremo occidentis ſolis limite avulſam Hiſpanicis Dominatibus Luſitaniam recentior hujus ſeculi Hiſtoria; quemadmodum vero iiſdem adjuncta olim fuerit, ævi ſuperioris monumenta, Conestaggii præſertim atque Thuani vigiliis immortalibus concinnanata, docebunt. Diſcetur è Regnatricis Prudentiæ dictatis, multa & cum connecteretur Hiſpaniæ, & priuſquam avelleretur circumſpectius, multa prudentius, multa fortius geri atque adminiſtrari potuiſſe, quam geſta ſunt & adminiſtrata: Sed cum judicandum erit, utrum meliori jure olim Philippus Caſtellanis id Regnum pepererit, an Joannes nuper recuperaverit Bragantinis? ab illis Doctoribus judicandi præſidia repetenda erunt, in quorum Scholis ſucceſſionum agnationumque jura, prærogativæ graduum, diſcrimina ſexuum, ſanguinis & repræſentationis uſus & efficacia traduntur. Ab alio latere Belgicarum Provinciarum alias in libertatem vindicatas, alias Francico Regno additas, reliquas ſub Hiſpanico imperio nutantes aſpicies: quove potiſſimum modo Burgundicæ Auſtriacæque Domui quæſitum in iis ac poſtea labefactatum regimen fuerit, Haræo aliquo, Heutero, Strada, Meterano Grotio indicibus percipies. quæque propioribus annis geſta ſunt, haud ita difficili negotio è recentiori rerum adjicies memoriâ. Sed quàmmulta & cum acquirerentur, & cum amitterentur, diſputata ſunt, quæ nec expedire niſi Juriſprudentiæ ope nec intelligere ullatenus pronum eſt. Vel ſola de quibus noviſſime diſceptatum eſt, devolutionum, renuntiationum, dotium jura explicare utique fruſtra conabi-

 tur,

tur, niſi qui cum jure privato ac communi, publicas & fundamentales illarum regionum leges noverit comparare. Luxemburgenſis inter eas provincias Ducatus, quâ primum viâ à propriis Principibus ad Burgundos, atque ab his deinceps ad Auſtriacos Hiſpanoſque migraverit; proclive equidem erit, BERTELII, VIGNIERII, BROVVERI aliorumque diligentiâ literis conſignatum cognoſcere. Sed cùm totam rei uti geſta eſt ſeriem percenſebis, cum dotales Antonii Brabantiæ Ducis cum Eliſabethâ Gorlitiâ tabulas, atque in his oppigneratum à Wenceſlao & Jodoco Luxemburgenſibus Principibus in promiſſæ dotis ſecuritatem, Ducatum, cernes; cùm ad Guilelmi Saxoniæ Ducis atque Caſimiri Poloniæ regis ſucceſſorum in Ducatu Luxemburgico legitimorum prætenſiones pervenies; cum ceſſionem & jura ab Eliſabetha in Philippum Burgundum, à Guilelmo in Carolum Francorum Regem collata deprehendes, cum prolixas ſubtileſque de eâ re CHIFLETII & BLONDELLI concertationes inſpicies: nonne cæcutire paſſim & obhæreſcere neceſſe erit, niſi univerſum de dotibus, de oppignerationibus, de ceſſionibus, de alienationibus, de pactis denique ac conventis, locum non ut inter privatos modo inſtruitur, ſed ut inter Principes Regeſque viget, conjunctis Publici ac Privati Juris luminibus percolueris. Qui Germanicæ Hiſtoriæ uſu atque notitiâ pollent, illis conceſſerim minime fore arduum, vel enumerare tempora, vel temporum momenta comparare, quibus Imperatorum poteſtas adſtringi, Ordinum libertas laxari, utrorumque jura communis imperii nexu adductiore vel ſolutiore contineri, præſentis denique ſtatus vel duci lineamenta cœperint, vel plena conformatio acciderit. Iidem recenſere ac deſcribere provincias, referre familiarum ſucceſſiones, membrorum atque univerſi corporis utilitates librare, pacis belique negotia expendere domeſticis præſidiis poterunt. Sed innumera illis in Legum fundamentalium diſpoſitione, in uſu judiciorum, in tractatu cauſarum, in omni actuum publicorum varietate occurrent, quibus nullum aliunde quàm à Privati Publicique Juris conſortio lumen vel ſperari vel affulgere

fulgere poteſt. Quæ omnia non eo certe animo à me relata ſunt, aut accipi à Vobis debent, Commilitones, ut, Juriſprudentiæ, cui operam navatis vel navaturi eſtis, amplitudine ſublimitateve, ab ejuſdem tractatione deterreamini: Sed ut nobilitate ejus fructuque perſpecto, genuinam inde ſerii ſolidique profectus regulam, ad uſum atque incrementum decori publici transferatis. Quid ni enim reputetis vobiſcum, quando elementa Legitimæ Scientiæ perdiſcitis, Vos ædificii longe auguſtiſſimi fundamenta jacere: quod cum ſtrenuo labore aliquando perfeceritis, non ad vilium liticularum dijudicationem, ſed ad cauſarum ex omnis ævi, omnium gentium memoriis graviſſimarum maximarumque arbitria vos evehet. Poſtquam enim à principibus Civilis Sapientiæ, non ad diſpoſitionem tantum atque ordinem commodiorem, ſed plane inter fundamenta ſolidioris doctrinæ prodita eſt regula, eoſdem publicarum inter Reges diſceptationum fontes eſſe, quibus ex tenore Romanæ Legiſlationis privatorum controverſiæ in judicium deducuntur; nemini obſcurum eſſe poteſt, cùm perſonarum diſcrimina ſtatuſque, rerum atque acquiſitionum varia jura, pactionum & contractuum formulæ addiſcuntur, non ſingularis ſaltem & privatæ, ſed Univerſalis quoque & Publicæ Juriſprudentiæ præſidia præſtrui. Quæ magnâ & irrefragabili ratione ad Romani juris principia parteſque revocanda eſſe prudentes decreverunt. *Eo enim potiſſimum jure*, ut ait Tullius, *de omnibus fere rebus actionum petitionumq; formulæ conſtitutæ ſunt; ne quis aut in genere injuriæ aut in ratione perſecutionis errare poſſet. Expreſſæ ſunt enim ex uniuſcujuſq; damno, dolore, incommodo, calamitate, injuria.* atque ad eas tanto juſtitiæ æquitatiſque cultu privata lis accommodata eſt, ut ſimul in publicis diſceptationibus pronum apertumque ad ſinceri judicii ſententiæque rectitudinem iter oſtendant. Quare in illis percolendis ſummum Vos adhibere ſtudium atque ſedulitatem par eſt, ſi in hiſce aliquando cum laude ac operæ Veſtræ pretio verſari deſideratis. Ego me vobis tam proficui laboris ſive ſocium ſive ducem eâ lege fore profiteor, ut Vos im-

posterum potius exemplo; quàm nunc hortatu, aut sermone sim incitaturus. DEUS hoc nostrarum occupationum exordium ita Sibi, Regi, Patriæ gratum & acceptum, Vobis mihique faustum esse velit; ut per successus publice privatimque prosperos ac salutares, in felicem quandoque desinat exitum, & ad venturas etiam ætates copiosis fructibus redundet.

PROGRAM-

PROGRAM-
MATA.



PROGRAMMA PRIMUM.

Ad funus

DN. INNOCENTII SIGEFRIDI à LÜTTICHAU &c.

d. 25. Nov. 1676.

CUm die abhinc quarto & decimo, in conſpectu Veſtro Rector Academiæ hujus renunciatus, ſolennia vota nuncuparem, pleniſſimis equidem anxiæ ſolicitudinis formulis coërcuit illorum pietatem fati publici facies: & provectam tamen ſic quoque ultra ſortem præſentium, ominandi lætiora ſperandique audaciam, ſubortus, ecce! velut ad ulciſcendam ſecuritatem caſus, funeſtiſſimo vix initi muneris auſpicio, maximeque inſperato lugubris ad Vos alloquii argumento caſtigat. Indicendum enim eſt Vobis funus Generoſi Nobiliſſimique Viri INNOCENTII SIGEFRIDI à LÜTTICHAU, Domini in ZSCHORN & BASLIZ &c. qui MAXIMUM in has oras PRINCIPEM comitatus, cum tentatam aëris itinerisque inclementia valetudinem refocillaturus in Urbem noſtram veniſſet, poſt tranſactam inter malignæ febris ardores octidui vix integri moram, ſuperante acerrimi affectus impetu, die dominica, quæ fuit Novembris 19. hora inter XI. & XII. veſpertinâ, letho datus eſt. Hoſpiti tam illuſtri ut exequias frequentes eatis, cum is die craſtino è Tribu, cui ſpeculi ſphærici inſigne nomen fecit, hora pomeridiana XII. efferetur, ſi Vos nulla Defuncti notitia vel familiaritas, at debita ſplendidiſſimæ Familiæ cultui veneratio ſatis atque abunde incitabit. Quanquam Academia quidem noſtra pro extraneo aut ignoto funus iſtud neutiquam æſtimat. Quæ neceſſitudinis cum hoc Cive & Alumno ſuo, ante ſex & amplius annos contractæ recordationem, ita ſibi cum dolore, quem in Patriam ejus, triſtiſſimis nuntiis tranſmittit, judicat miſcendam: ut nihil ex eo quicquam vel officii vel pietatis heic omittere fas eſſe cenſeat, quod uſpiam domeſtici luctus vel neceſſitas imperare, vel exigere celebritas

lebritas posset. Jamque hoc ipso in loco, quò minus proposito pariter isti morique suo, & incitatæ ad colendam, Piorum Manium veneratione, meritorum illustrium memoriam pietati satisfaciat; non temporis adeo spacio vel interpretis ingenio, quanquam hæc utraque perexigua sunt, quam idoneorum monumentorum destituitur subsidio: è quibus dignissimam, si quæ alia, seculi luce, generis vitæque seriem recenseri oportebat. Quod illorum quidem desideria fortasse frustrabitur, qui in hoc officii genere præter ostentationem & pompam nihil docti sunt spectare: nobis sicut hinc ab ingenui cultus sinceritate nihil decedit; ita si celebritas exempli spectatur, satis grande superat splendoris & gloriæ argumentum. Et sane nihil minus necesse fuerit, quam privatorum scriniorum fidem implorare, ubi de LÜTTICHAVIÆ gentis antiquitate quæritur. quam publica Annalium monumenta jam à CC. & ultra annis, non in Misnia tantum sua illustribus imaginibus, sed in Aula præsertim Saxonica gloriosis ministeriis celebravere. Sed & maternam Nostri originem, æmulum avitæ nobilitatis præstantiâ BOLENZIORUM nomen in tam conspicuum generosæ prosapiæ decus vindicat, ut hac quoque parte ad genuinum fulgorem non magis nostro præconio, quam mutuatitio lumine dies censendus sit indigere. Nisi quod in universum sufficere Illi poterat, quatenus majorum tituli spectantur, Magni Parentis splendor WOLFFGANGI SIGEFRIDI à LÜTTICHAU. Qui collectam velut in compendium heroici sanguinis gloriam, sublimi, in S. ROM. IMPERIO THESAURARII, & apud SERENISSIMUM SAXONIÆ ELECTOREM CANCELLARII, ac in SANCTIORE CONSILIO ADSESSORIS nec non CAMERARII dignatione complevit. In Filii utique laudibus eo clarioribus radiis præfulgent hæc decora: quod Is felicissimam indolem, non ad Paternæ tantum virtutis imitationem in omni laudis studio concitavit, sed ad Paternæ fortunæ exemplum, in gratia & judicio SAPIENTISSIMI PRINCIPIS evexit: ne transacta quidem penitus adolescentia (nam nec universe annum ætatis XXV. vivendo excessit) ob maturitatem dotium præstantissimarum in CAMERARIORUM ordinem adlectus. Vetusto inter Palatinas Romanæ, Francicæque, sed & ELECTORALIS Saxonicæ Aulæ, dignitates aucto-

Vid. Fabricius & ex eo Albin. Chrō. Misn. tit. 25. Peccenstein. p. 109.

ramento: ut qui ſanctioribus Principum conſiliis admoti deſtinative erant, CUBICULI, aut, ut ſequior ætas loqui maluit, CAMERÆ, tanquam Principalium curarum penetralis & arcanioris ſacrarii ſolennius interiuſque commercium, honorum cæterorum ſive auſpicium ſive complementum munere vel titulo præferrent. Et exercuerat Noſter, inde jam à tenerrimis annis, capaciſſimum magnæ fortunæ animum iis artibus, quibus nulli denique gradui civilis occupationis decoriſve impar habebatur. quod tum maxime luculentis ſpeciminibus cognitum eſt, cum erepto è vivis Patre, ſoli tuendum in Principali gratia ſeculique celebritate nominis & familiæ decus incubuit. Fuerat autem Argentinæ noſtræ à Parente Optimo hæc dignatio habita, ut formandis Filii moribus eam magiſtram deligeret. quam Anno computi Chriſtiani cIↄ Iↄc Lxx. comite & rectore ſtudiorum Nobiliſſimo Conſultiſſimoque Viro DN. ANDREA LEONE, gratiſſimus Civis, omnigena politiſſimæ indolis elegantia comitateque frequentavit. Hæc iterum poſtea ab Italica peregrinatione reducem lætiſſimo plauſu amplexata; unum & extremum, quod nunc exſolvit, nollet, tertiâ vice adventanti, officium debuiſſe. Poſtquam verò huc quoque ſapientiſſima ſupernæ providentiæ diſpoſitione ſe compulſam ſentit, triſte Illi ſed ingenuum veriſſimumque laudabiliter pieque apud ſe tranſactæ vitæ teſtimonium coram orbe literato, & in ſeræ poſteritatis venerationem, publice, hac meâ voce acclamat. Quod, ſi opus ſit, declarare amplius graviſſimi ſuffragii ſui authoritate Viri ex Profeſſorio ordine Ampliſſimi JOANNES ALBERTUS SEBIZIUS & MARCUS MAPPUS non dedignabuntur, quibus quotidiana convictus vel hoſpitii conſuetudine, & interioris familiaritatis conſortio propius innotuit. Quin & excipient officioſo certamine Italia, Gallia, Anglia, Belgium; ac quam nobiliſſimo Peregrinatori cultus eruditioniſque præſtantiam ſingulæ commodarunt, quamque gratulari & repræſentare Patriæ mallent, longo & duraturo præconio, univerſæ interpretabuntur. Quin & viciſſim, quæ hoc decus produxerunt, genitales terræ, quo id volent elogio in externis nationibus uberius eniteſcere, decoris Popularium ingeniis peragendum commendabunt. Qui & ILLUSTRISSIMÆ AULÆ luctum,

& in

& in desolata domo unicæ SORORIS orbitatem, cujus momenta propius introspiciunt, efficacioribus delinimentis solabuntur. Nam nostri quidem officii partes, sola, quod & ab initio præfati sumus, pietas luctuosissimaque gravissimi casus oportunitas gubernat. Quas ut tandem penitus expleamus, supremas voces & ultima suspiria, non composito sermone adornabimus, sed ingenuo affectu & inconditis gemitibus Tumulo affundemus. Igitur

VALE Beata Anima & SALVE
Et in æterno PACIS cœlestis flore
QUIESCE!

Imò vales, imò salva es, imò quiescis, & id quanto lætius, quam apud nos valuisti; quanto beatius, quam apud nos floruisti; quanto constantius, quam apud nos quievisti; imò quàm nos, qui Te valere, qui Te salvere, qui Te jubemus quiescere, ipsi valemus, vivimus, quiescimus.

Iterum Vale Beata Anima!

Supremi morborum & fati domitoris gratiâ eo eluctata, ubi, dum nos hic id, quod in vita extremum est, horrore, Te, quod in vita primum est, beatitudine complet.

Qui sic valet ut Tu vivis,
qui, ut Tu vales, sic vivit;
Ille valet, ille vivit.
At nos hîc dolor terrore,
Vel premit terror dolore,
Hoc non vivere, sed mori est.
Iterum salve Beata Anima!

Grandi reparatæ Salutis auctoramento, dum nos seculi mala, & graviores malis, seculi deliciæ vexant, æternis purissimisque cœlestis Aulæ gaudiis & honoribus initiata.

Qui ſalutem ut Tu amavit,
quem ſalus ut Te amavit,
Illum ſalus vere amavit.
Nobis hoc mari jactatis,
Adhuc diræ tempeſtatis
Imminet naufragium.
Iterum quieſce beata Anima!

Pretioſo Servatoris Tui ſanguine præclariſſimum non fidei tantum Tuæ, ſed etiam nominis complementum, perfectam INNOCENTIAM, & vere VICTORIOSAM PACEM adepta.

Qui quieſcit, ut Tu flores,
qui ut Tu quieſcis, floret,
Is dulci quiete floret.
Noſtra pax, quies in pace,
Fides in tranquillitate,
Pax, an perturbatio eſt?

Iterum vale, iterum ſalve, iterum quieſce! Nos ſuo quiſque loco & ordine, Tua, quæ interim venerabimur, veſtigia ſequemur. Perſcriptum Argentorati die XXV. Novembris A. C. cIɔ Iɔc LXXVI.



PROGRAMMA SECUNDUM.

Ad funus

DOMINI

PHILIPPI JACOBI WURMSSERI, à Vendenheim,

Reip. Patriæ Prætoris ac TredecimViri.

d. 14. Dec. 1676. SI id unum ſolenni clarorum funerum indictione ſpectaretur, ut quam latiſſime publici luctus, vel erga defunctos venerationis irritamenta diderentur; facile carere tam flebilis

bilis officii honore potuiſſet obitus nullis ſatis deflendus lacrymis, nullo ſatis cultu apparatuque venerandus Viri Generoſi admodum Strenui Nobiliſſimique DN. PHILIPPI JACOBI WURMSSERI à VENDENHEIM, Argentinenſis Reipublicæ Prætoris ac Tredecimviri Inclyti. Nam cum aliâs graviores etiam caſus, ut noſcantur, indicio; ut celebrentur, hortamento indigeant: hujus tàm publica, tàm ſingularis acerbitas eſt, ut nec ignorari hactenus à quoquam Veſtrûm, ſine ſtupore; nec audiri ſine perturbatione potuiſſe prorſus exiſtimem. Fuerint enim, quos claritudo viventis tam inuſitato ſplendore non adverterit: nemo tàm averſos à publica rerum luce poteſt oculos gerere, ut fulgore morientis, quo magis ſubito, eo acriore perſtricti non ſint ac everberati. Quàm vero indignum fuerit, illorum animos verbis ac ſermone aggredi, ſi qui orbitati deſolatiſſimæ Familiæ, vel Patriæ mœſtiſſimæ imagini duros atque inexpugnabiles affectus oppoſuiſſent. Ne dolorem Curiæ nunc loquar; non parietum equidem ſqualore, ſed Procerum vultu habituque, & altius animis, dominantem: cujus lugubri ſilentio neque parem efficaciam diſertiſſimorum quorumque polliceatur facundia; & auctoritatem impari gravitate laceſſere cordatiſſimus quiſque non immerito verecundetur. Nimirum proprio quodam æſtimio judicandum fuerit hoc qualecunque officii genus, quo jacturam Patroni Optimi ſolari conſtituit Academia. quæ exemptam juſtis funebribus memoriam duntaxat Ejus ac vitam ſibi vindicavit; non ad laudes & elogium, cui ſe minorem lubenter agnoſcit; ſed in admirationem exempli, atque diſciplinam: iſthoc veluti extremo fatiſcentium virtutum complexu ſeſe erectura. Argumento nihil minus quam ſterili aut infœcundo. Exuberante præſertim pervetuſto WURMSSERIÆ Gentis ſplendore. quæ Equeſtri dignitate ante remotiſſimam memoriam præcellens; Reipublicæ Argentoratenſi à tribus & ultra ſæculis Senatores, à duobus, quantum edita monumenta demonſtrant, Prætores dedit. In amplitudinem præcipuam vel provexit illam vel diffudit Nicolaus Wurmſſerus. Cujus Filii Jacobus & Volzius, duas diſtinctas lineas, Ille Schaffolzemiam, hic Vendenhemiam Seculo poſt Chriſtum Natum XV. medio condiderunt. Nam Bernhardi

Wurmſeri, quem in deſcribenda Friderici III. coronatione, præcipua apud Cæſarem dignatione floruiſſe tradunt Scriptores Itali, citò admodum ſtirps exaruit. E Vendenhemiis origo eſt Noſtri. cujus Avus JACOBUS WURMSSERUS Ordini Equitum *ſanctiſſimi Sepulchri Domini Noſtri JEſu Chriſti in Jeruſalem, Sanctaque Catharinæ ad montem Sinai* vetuſtiſſimo ritu initiatus, Pater NICOLAUS LUDOVICUS WURMSSERUS Prætor & Tredecimvir fuit. Neque maternam proſapiam minus illuſtrem nactus eſt. Matre MARIA STREIFFIA à LAVVENSTEIN editus: Aviam maternam habuit SUSANNAM DE PLESSIS TELLIERE nobiliſſimo inter Gallicas familias genere oriundam. Pueritiam primamque juventam hîc in Patria domeſticis Doctoribus, Pater, partim Bockenhemii Avunculus PHILIPPUS STREIFFIUS, Vir maximorum quorumque negotiorum tractatu notiſſimus, moderati ſunt. donec in Aula Bipontina primo inter *Ephebos*, mox digniori miniſterio Filio Principis natu majori FRIDERICO induſtriam ſuam approbavit. Cui & in Gallicam peregrinationem comes datus, perluſtrato Belgio atque Aulis Germanicis præcipuis in Patriam revertenti adhæſit. Dehinc quæſitam foris induſtriam, bellicarum artium experimentis continuaturus, prima ſtipendia fecit contubernio JOH. LUDOVICI HORNBERGII pedeſtris ſub GUSTAVI HORNII ductu Legionis Legati: à quo & poſtea Signiferi honore locove eſt æſtimatus. Habuit autem militiam uti ſtrenuam & exercitatam, ita minus proſperam: nutante partium fortuna: quæ cum graviſſima ad Nordlingam clade procubuiſſent, Ipſe quoque ducis ſui fata ſecutus trimeſtrem captivitatem ſenſit. Neque levius paulo poſt periculum adiit, Legione in qua merebat, Manhemii cui præſidio erat, ſimulatis pactionibus hoſtium circumventâ, prædæque ac direptui habita. quod Parenti Optimo, ut maturius Filium revocaret, Noſtro & promptius reverteretur, incitamento fuit. Neque Patria longiorem annuâ vacationem à reditu Ejus paſſa eſt intercedere, quin exactiſſimis quibuſve muniorum occupationiſve publicæ honoribus tam præclari Civis obſequia ſibi pigneraret. Poſtquam enim Anno hujus ſeculi XLIV. in Minorem Senatum, ac biennio interpoſito in Majorem adlectus eſſet, omnes dehinc, qui ad vitæ uſque finem proceſſe-

Vid. Franciſc. Mennen. delic. Equeſtr. p. 73. & 172. & ſeq.

ceſſerunt, annos, novis dignitatum incrementis illuſtravit continuavitque. maximè cum è Quindecimvirali Collegio, cui Anno LI. fuerat adſcriptus, & in quo Anno LIII. ſolenni Directoris vel Magiſtri elogio dignationeve præſederat, in Tredecimvirorum Ordinem Anno LV. tranſlatus, omnium in Republica adminiſtranda graduum, per quos feliciſſima celeritate non tam proceſſerat, quam cucurrerat, faſtigium vel complementum obtinuit. Præfecturas ſacras curavit in Collegio S. Stephani, in quo & tandem ſupremi Præſidis, ſive, ut vocant, Sculteti munus eſt indeptus, in cœnobio S. Margarethæ, in Æde B. Virginis, denique Carthuſianam. Præturam primum Anno LII. inde iteratis vicibus decies & quinquies geſſit. E Provincialibus functionibus, Præfectura Barrenſis, ex urbanis nulla non obtigit Illi, quæ quidem natalium ſplendori conveniret. Stabuli enim, regendo civium cenſui, Ephoriam Anno LI. Ædilitatem Anno LIII. ſortitus eſt, quo & Ærarii militaris curam adminiſtravit. Armamentarii Moderatoribus Anno LV. ſequenti vero Excubiarum & LIX. Munitionum, ac eodem Equilis Publici Præfectis eſt adſcriptus. nam inter Tabularii ſive Cancellorum Ephoros Anno demum LXIII. aſſedit. Ita nobilitatam domi induſtriam, foris haud minus oſtendit, duabus pro Republica ſolennioribus Legationibus obitis: quarum alterâ Glorioſiſſimo Imperatori LEOPOLDO I. Anno LIIX. Francofurti ſacrum Capiti decus auſpicanti gratulationem S. P. Q. Argentoratenſis detulit: altera erga Chriſtianiſſimum Galliarum Regem LUDOVICUM XIV. officioſa ſalutatione Civitatis nomine Anno LVII. Metis eſt defunctus. Sed & alias perſonam Patriæ ſuſtinuit, ſuſceptis Ejus nomine *geſtiſq; Curatoris* charactere, quibuſdam *Feudis, quæ ab Imp. Reſpubl. Argent. recognoſcit.* In vita privata diuturnum domeſticæ felicitatis tenorem quæ interdum tempeſtates intercurrere, non tam interrupiſſe, quam commendaſſe ſunt cenſendæ. Bis viduitatem pertulit; toties feliciſſimum matrimonium fuerat expertus: Quinque liberos, turbato mortalitatis ordine, extulit; at totidem ſibi ſuperſtites reliquit. Priorem conjugem habuit AGATHAM ELISABETHAM, GEORGII ALBERTI BERNHOLTI in Hanoico Comitatu præter Conſiliarii dignationem, trium Præfectu-

fecturarum, Buxovillanæ, Ingovillanæ, & Neovillanæ administratione clari, & ELISABETHÆ à WESTHAUSEN Filiam: cum qua cœptum die V. Septemb. Anni XLIV. matrimonium, dies X. Septembr. Anni LV. abrupit. Altera Uxorum fuit ÆMILIA Patre nata JOHANNE JACOBO WURMSSERO à VENDENHEIM, Montisbelgardensis Aulæ Magistro, Matre VERONICA BOCKIA à GERSTHEIM: Qua ad diem XIV. Jan. An. LXXV. à XXIIX. Oct. An. LVI. est potitus. Utroque horum matrimoniorum usus est prospero, ac virtute, concordia, fæcunditate Conjugum læto. Ex illa Filios amisit tres primâ infantiâ, ex Hac duos, alterum duorum, alterum quatuor annorum. Utrinque superstites Filiæ quatuor, non formæ minus, quam selectissimarum dotium decoribus, generis sexusve sui ornamentum; Filius autem unicus, avitæ stirpis paternorumque meritorum splendorem præclarissima indole luculentissimisque optimarum artium ac studiorum incrementis tuentur. De quibus MARIA FELICITAS Viro Generoso & perquam Strenuo DN. JOH. PHILIPPO JOHAM à MUNDOLSHEIM Senatus Majoris Adsessori in matrimonium collocata, & ELISABETHA, *Bernholtiam*: Filius autem JACOBUS FRIDERICUS ut & MARIA VERONICA atque ANNA CLARA *Wurmsseriam* matrem habent. Horum sicut in memoria & desiderio, ita in imaginibus vivit ac spirat Beatissimus Prætor. Cui de cætero vivendi inter nos finem diei Solis, proximè elapsi (erat Decembris X.) hora circiter decima vespertina Supremus vitæ Arbiter immisit: eadem die inter matutinas sacri cultus cæremonias *Apoplexiâ fortissimâ,* quam humana quidem ope solvi impossibilem, notissima *Coi Senis* sententia tradit, correpto. cum in eo jam esset, ut Natalem diem LIX. proximè obiret celebraretque. Primum quippe nactus IX. Januarii anni æræ Christianæ cIↃ IↃc XIIX. Quod vitæ spatium si cum meritis Viri compares, perexiguum, Ipse in amore civium, popularitate comitateque; in æstimatione Senatus, prudentia atque gravitate; in veneratione posteritatis, virtute integritateque longissimum fecit; in æternitate beatitudinis obitu sanctissimo perenne jam est auspicatus. BEATUM TRANSITUM! Quem necdum in Ecclesia cœtus Piorum dimittit; jam Angelorum cohortes recipiunt in cœlo. FELIX

COM-

COMPENDIUM! Servatoris ſui adventum adhuc audit, adhuc ſperat, & jam Servatorem ſuum amplectitur. ADMIRABILEM DISCIPLINAM! Cœlitum gaudia diſcit, & jam guſtat; ſcrutatur, & jam videt; optat, & jam percipit. O MILITEM IPSA MISSIONE, IPSA MISSIONIS OPPORTUNITATE GLORIOSUM! ſive ſtatio ſpectetur, in qua dimiſſus eſt; ſive triumphus, ad quem exaltatus eſt; ſive nova militia, ad quam auctoratus. Quod ſupereſt, digniſſimum quondam veneranda ſingularis decoris majeſtate Heroici ſpiritus domicilium, nunc exanime corpus, die craſtina quæ m.h. erit 15. hora pomeridiana 1. conditorio publicis exſequiis inferetur. inter quas Veſtrum erit, Cives Academici, contra fati publici ruinas, vitæ mortiſve tam raræ exemplo animum firmare. Valete! Perſcriptum Argentorati die 14. Decemb. 1676.



PROGRAMMA TERTIUM.

Ad funus

DN. PHILIPPI ALBERTI BERNHOLTI,

Reip. Argent. Prætoris & Tredecim Viri.

MEnſem hæc ipſa dies alterum claudit, & quartum jam valvas Academicas Edictum feralis indicio caſus fu- neſtat: nulli priorum, utcunque omnia primarios minimeque vulgares luctus fuerunt complexa, argumenti acerbitate ceſſurum. Si caſum tamen acerbum, ac non atrociſſimam potius cladem convenit nominare lethum inopinatiſſimum Generoſiſſimi in hac Inclyta Republica Prætoris ac Tredecimviri PHILIPPI ALBERTI BERNHOLTI, Viri in tantum æſtimandi, in quantum generis, virtutis, ſapientiæ nobilitas intelligi poteſt. Verba certè conſternationi publicæ paria mihi deeſſe, neque ego ſi dixero, difficulter fidem inveniam, &

die 25. Jan. 1677.

Veſtrûm quemque ultro apud animum ſuum credo præſumere. Poterat, illa jam eripere homini non ſecure tempora cogitanti, ipſe temporum habitus, triſtis undequaque, funeſtus, calamitoſus: cujus tamen caliginem & tenebras, apud nos ſubinde intercurrentia caſuum graviorum fulmina in majorem inſuper terrorem, jam aliquandiu ſueverunt aſperare. Idque tam violentis, tam continuis ictibus, ut nec adverſus imminentem ruinam firmare animum, nec à præterita erigere concedatur. Idem ecce dies præſidiis publicæ felicitatis eminentioribus frui nos plena ſecuritate patitur, & inconſolabili dolore jubet carere. Eadem hora metu, ſpem; idem momentum fiduciam horrore permutat. Talis utique fati celeritate quanto altius nuper adactum fuerat Wurmſerianum vulnus; tanto id nunc recrudeſcit vehementius, quando obfirmata in pœnas noſtras Divina manus & prioris plagæ medelam revellit, & geminato ictu ad ipſa Reipublicæ vitalia lethale ferrum immergit. quo minus interprete opus habet publica jactura. quam ſi quis aſſequi pari æſtimio nondum edoctus eſt, inſpiciat Civitatis tot periculis ereptæ atque in ſtatu ſuo conſervatæ fortunam, &, poſtquam ſanctioris diſciplinæ decreta ſecutus, divinæ Providentiæ ſuum opus adſcripſerit, credat Romano Sapienti, *Paucorum civium egregiam virtutem cuncta patraviſſe.* *Salluſt. Cat. c. 23.* Nam Argentina quidem quam eximio inter *paucos* iſtos loco *Bernholtum* ſuum habuerit, ipſa neminem facile vel ignorare hactenus ſivit, vel fruſtra deinceps quærere unquam patietur. Sed ut viri ſuæ ſaluti nati ac devoti vitam præclaris honoribus ornavit, & ſinceris mortem lacrymis, imò (tam acris dolor eſt) attonitæ prorſus mentis ſtupore deflet; ita memoriam æternis conſecrabit annalium monumentis. de quibus minimum eſt, quod extemporalibus hiſce pagellis, velut ſepulcrali indice, imus decerptum. Igitur ut gerendis aliquando ſuſtinendiſque publicis negotiis tantus fieret B. Prætor noſter, quantum illum Reſpublica experta eſt, primum ex generoſo ſtemmate ſemen, & præcipua exempla accepit. In paterna proſapia majores nactus, ſi vetuſtiorem originem ſpectes, ante aliquot ſecula in Franconica nobilitate claros, atque ultra hominum memoriam primariâ dignatione in Equeſtri Alſatiæ Inferioris Ordine, ac

Hanoico

Hanoico inprimis Comitatu præfulgentes. In quo & Pater PHILIPPUS JACOBUS BERNHOLT Ingovillanam, & Avus JOANNES GEORGIUS uti & Proavus GEORGIUS, SIGEFRIDI Filius, Hattenſem præfecturam, quæ equeſtris dignitas eſt, adminiſtraverunt. Per Matrem vero SUSANNAM, JACOBI ZORNII à PLOP HEIM Filiam, ejus familiæ particeps redditus, quæ antiquitatis & rerum geſtarum ſplendore, non Alſaticarum dicam, aut Germanicarum, ſed ne Europæarum quidem ulli concedit. Ne nativitas quidem ac prima ætas minus negotioſæ vitæ omina habuere: ſiquidem Ingovillæ primario præfecturæ paternæ loco editus Anno ſæculi hujus XXXI. die Augusti IX. rebus mox in vicinia hoſtili irruptione turbatis, vix trimeſtris infans, cum Parentibus Argentoratum eſt compulſus; unde poſt triennium Colmariam, & mox Rhinfeldiam patrem comitatus, qui utrobique Præſidiario militi regendo præpoſitus fuerat; in graviſſimo rerum temporumque motu primis tamen literarum elementis ad annum uſque ſeculi XLII. ætatem exercuit. Effulſerat jam in puero ac adoleſcentulo illa præclariſſimæ indolis alacritas, illa emicantis lætiſſimo vigore ingenii vis: idque Patri incitamento fuit, ut deprehenſas in Filio dotes bonarum artium ſtudiis in ſolidum conſecraret. quæ uti tum quidem in Montisbelgardenſi Gymnaſio luculentis profectibus publice *Petri Tuefferdi*, privatim *Jacobi Stoffelij* induſtria in capaciſſimo pectore fœcundabat; ſic ad profuturam aliquando vitæ luciſque publicæ uſibus maturitatem evexit Viri prudentiæ doctrinæque laudibus hac ætate eminentiſſimi *Christophori Forſtneri* contubernium. ubi collectos verè nobili triennio fructus, inſtituta anno XLVII. & ſequenti ſtatim repetita Genevam peregrinatio multiplici acceſſione locupletavit. Ut jam deinceps & quod hic denuo in convictu florentiſſimi JCti *Johannis Rebhanij*, & quod ſubinde perluſtrandis præcipuis Galliæ & Belgii regionibus, urbibuſque ad Julium uſque menſem anni LI. explevit ſpatium, non tam parandæ, quàm perficiendæ virtuti ſapientiæque impenderit. Ex quo tempore cætera quoque adoleſcentia opere potius ſtrenuiſſimo atque exercitatione tantarum dotium, quam profectu cenſenda eſt. Anno enim eodem, quem ſignavi, inter Sereniſſimi Ducis Mon-

tisbelgardensis LEOPOLDI FRIDERICI cubicularios primi ordinis adlectus, plerisque per Germaniam Electoralibus Principalibusque aulis coram innotuit: altera denuo vice Principi in Belgium comes. Quo clarius incomparabilis genii vigor enituit, quando (annus erat sæc. LVI.) Serenissimo Marchioni Byrutho-Brandenburgico CHRISTIANO ERNESTO Ephori dignatione Moderator datus, splendore Principis, non stirpe magis celsissima, quam eminentissima doctrina gloriosi, tum in itinere, per Saxonicas Universitates, tum hîc Argentorati in Academico secessu, denique & Francofurti inter solennia Cæsareæ inaugurationis, ad orbis cultioris notitiam admirationemque effulsit. Ut mirandum minime sit, si Argentoratus nostra oblatam sibi tam præclari Civis accessione felicitatem strenue cupideque amplexa est, primosque honorum gradus ab ipso prope fastigio jussit auspicari, anno statim LX. Quindecimvirali dignitate ornatum. Junxerat ille sibi paulo antea, eodem certè anno, lectissimam conjugem ANNAM ELEONORAM, WOLFFGANGI DIETERICI ZORNII à PLOPSHEIM Prætoris Filiam, ordinataque hic in Urbe familia, grandis exempli authoritate refutaverat importunam quorundam Philosophiam, qui, urbana habitatione Ordini Equestri contendunt neque dignitatem integram constare, quoniam rusticorum privilegiis non utatur; neque libertatem, quia cum securitate conjuncta sit; neque authoritatem, quod non villicorum reguli nominentur. nescio quàm politicarum, quas jactant, rationum, nostræ certè Civitatis parum periti. in qua illibato *Nobilitatis Immediatæ* statu ac honore, Noster tot fere deinceps civilium dignitatum incrementa, quot vitæ annos numeravit. Anno sæc. LXI. Assessuræ in Senatu majori, quæ deinceps annis LXIV. LXVII. LXX. LXXIII. LXXVI. repetita est, & Præfecturæ ad S. Nicolaum in undis, accessit Prætura. Annus LXII. Deputatorum collegio & Præfectis Xenodochii minoris, quod miserabilium peregrinantium hospitium vocant, adscriptum, Ædilitate insuper & Ærarii militaris cura auxit. LXIV. verò Censorii, uti LXVII. matrimonialis judicii Præsidem vidit. Ut jam consummandis non tam illius honoribus, quam Patriæ utilitatibus solum Tredecimvirale collegium superesset.

Speidel. in Notabil. p. 27.

peresset. in quod tandem anno LXXVI. est adscitus; obitis antea Reipublicæ nomine duabus Ann. LXXIII. ad Christianissimum Galliarum Regem LUDOVICUM XIV. iteratisque sæpius An. LXXV. ad supremos Cæsarei Gallicique exercitus duces Legationibus. Auctus inter hæc lætissima quinque liberorum sobole, duas Filias, *Susannam Magdalenam & Sophiam Eleonoram*, unumque Filiolum *Joh. Georgium* citò amisit; superstitibus in subsidium pariter & solatium PHILIPPO DIETERICO & SIGEFRIDO: quorum Ille Calendas Febr. An. sæc. LXI. hic ejusd. mens. d. 23. An. LXV. natales habent. Et erant sane in privatis laribus, quæ non parum publicæ vel occupationis fastidia lenirent, vel felicitatis ac gloriæ cumulum augerent; Uxor elegantia, comitate, prudentia, omnibus denique nobilitatis ornamentis eminentissimas sexus sui dotes, fide verò charitateque, ipsa etiam mariti vota præcurrens: Filius natu major *Philippus Diedericus* nondum primæ juventæ spatium, jam primarias Europæ regiones, luculenta peregrinatione, jam præcipuas paternæ adolescentiæ laudes, præclaris artibus, studiis, profectibus emensus. Sed post pietatem in DEUM, omnes affectus studium & charitas Reipublicæ superabat. Huic concessas divinitus ingenii dotes, huic quæsitas multo labore animi artes, huic excultam felici experientiâ vitæ disciplinam unicè sacram esse volebat. Idque tanto præsentiore in communem salutem profectu, quanto eminentius in Illo supra naturæ præstantiam & vivacissimæ magnitudinem mentis, admirabilis consiliorum promtitudo ac inusitatæ efficaciæ strenuitas cognatum cœlo spiritum approbabat. Comis inter cætera, moderatus, civilis; ubi patriæ negotium agebatur, sublimitate cogitationum acerrimis æmulus. *Nec enim*, ut aptissima huc verba accommodem, quibus Heroum characterem Prudentium non nemo designat, *una alterave dote eminebat, ut pleriq; excellentes Viri, sed plurimis: & quocunq; se intenderat, admirabili actus sui efficacia pertendebat: & splendorem suæ magnitudinis, non cum apparatu ostentationis, sed per venerationem operis, humani generis conscientiæ infundebat.* Quam felicitatem breve tandem momentum & Ipsi consummavit, & Reipublicæ intervertit: cum die Lunæ præterito (XXII. Januarii erat, à sacris matutinis, ac deinceps

curis publicis domum reverſum, ſignandiſque literis occupatum, horâ circiter XI. ingruens ſubito apoplexia, ſtatim corporis, mox ſenſuum, & horâ veſpertinâ VII. vitæ penitus uſu privavit. Atque Ille quidem ſanctitate vitæ ſerioque pietatis cultu, quo non dirigebat modo actiones ſuas, ſed inſtruebat prorſus perficiebatque, meritus, ut ignoratis diuturnis dolorum morborumque languoribus, valens vigenſque ad cœleſtium gaudiorum beatitudinem perveniret; toto inſuper ætatis decurſu ſic inceſſerat, ut tali clauſula deſiiſſe, favor propitii Numinis poſſit videri, & vera demum illa, ac ſapientiſſimo cuique Gentilium fruſtra deſiderata ἀϑανασία. Sed Argentinæ noſtræ citò profecto nimis, (graſſantem ubique pari, nuſpiam modico dolore luctum teſtor) nimis celeriter eſt ſubtractus. Facile intelligas, verum PATRIÆ PATREM occubuiſſe, adeo nihil afflictiſſimæ Conjugis lamentis, nihil conjunctiſſimarum neceſſitudinum gemitibus publica Civium ſuſpiria concedunt; & perinde frequentibus, perinde acerbis limina Curiæ ac deſolatæ domus lacrymis natant. Non animi mollitie: ſed quia, quod alibi multorum millium clades poteſt, idem ipſa metuit à jactura Virorum, non minus ſtrenue conſiliis, quam validiſſimi exercitus manibus atque armis, pro ſe militantium. Idem prorſus Academiæ ſenſus eſt: quæ mecum in extremum Patroni meritiſſimi cultum, non fortitudine aut conſtantia, ſed officii neceſſitate duravit. quod & Vobis interim, Cives Academici, pia Optimi Mœcenatis recordatione peragendum commendat. Exequiæ Publicæ celebrabuntur die craſtino, hora pomeridiana 12. Perſcriptum Argentorati 25. Januar. 1677.

PROGRAM-

Programma Quartum.

Ad funus

DN. JOH. ULRICI MEYGERI,

Judicii Tutelaris Actuarii.

MUlta sunt ad comprimendam cognatorum funerum mœstitiam ingeniose à Sapientibus reperta, & disputata subtiliter: Sed præsentissimam in humanos affectus vim habet disciplina, ad quam, non extenuatione adeo, quam dispositione casuum, ab ipsa casuum pariter & affectuum regnatrice Providentiâ erudimur. Non vicissitudinem jam loquor, quam habet conditio mortalium, ut nata ex secundis adversa, ex adversis secunda, vel temperent se invicem, vel, ut turbines tempestatesque, maris ac cœli serenitatem solent, commendent. utcunque aliâs non ingrata; aliena est tamen hæc Philosophia, & parum apta temporibus hisce nostris. præterquam quod sera ejus & lenta nimium efficacia suspendit potius, quam dissipat solicitudinem ex quacunque jactura subortam; neque adversus amissorum desiderium repræsentat constantiam, sed pro amittendis cumulat metum ex spe in longinquum porrectâ. Fortius contra privatorum vulnerum sensum assurgit animus, graviorum eventuum, atque publicorum inprimis detrimentorum concursu præparatus. sive quod distractæ communium damnorum amplitudine curæ, non recipiunt propiores ac veluti familiares fatorum plagas; sive quod assiduitate malorum induratæ, repellunt. Facilius certe ignoscimus fortunæ contra nos exercenti potentiam, quam in altioribus antea fastigiis probavit; minorique cum horrore excipimus Mortem ad nostros penates porrigentem manus, adhuc ab illustrium & publicorum funerum clade cruentas. quanquam eæ quidem jam tempestates grassantur, ut fragilitatis communis, non hominum, sed urbium regionumque interitu admoneamur. Eat aliquis & singulas comploret animas; cum ruentes

d. 31. Jan. 1677.

tes in ultimam vaſtitatem terras videat: eat, & parentum fratrumque, vel ſi quid charius cecidit, cineres lamentetur; in quos tot ſubſidentium audit civitatum fragorem. Quid ruinam privatæ domus, quid exilis corpuſculi caſum attonitus adſpicis; in cujus oculis tam bene fundata vetuſtiſſimarum Urbium mœnia procumbunt? Scio quam injucunda ſolatia ſint, quæ ex ipſis calamitatibus petuntur; ſed falli me tamen non puto, ſi exiſtimem, ſimili quadam publicorum fatorum æſtimatione arctari nonnihil luctum, quem late aliâs, & per ſplendidiſſimas neceſſitudines amicitiaſque fuerat ſparſurus obitus *Viri Nobiliſſimi Conſultiſſimiq;* JOHANNIS ULRICI MEYGERI, *Tutelaris in hac Urbe Judicij Actuarij, Adſinis & Fautoris noſtri cum cultu & obſervantia memorandi.* Cujus tamen ne privatam duntaxat jacturam arbitremur, experientia Viri longo negotiorum uſu tractatuque exercitati, probataque Patriæ, pro ratione concrediti muneris, laborioſo ſeptendecim annorum miniſterio, fides atque dexteritas facile inducit. Et jam tum quidem Ille præclariſſimum ac vere publicum, Inclyti Senatus judicio, fidei atque induſtriæ teſtimonium tulit, quando talium cauſarum tractationi curæque admota eſt ejus opera, quas præcipuâ induſtriâ fideque curandas, ſapientiſſimi legiſlatores ſemper cenſuêre: Attamen aſſiduâ inſuper ſtudioſâque Academiam propenſione affectuque ita ſibi devinxit, ut qualemcunque hunc extremi elogii honorem, quo defuncti memoriam proſequitur, non ſuæ tantum conſuetudini, ſed grati præterea animi officio impendere ſit credenda. Licet autem propriis quoque meritis haud parum poſtea enituerit MEYGERUS noſter, principium tamen claritudinis in hac inclyta Republica dedit Pater JOHANNES ULRICUS MEYGERUS curandis *Fiſci cenſualis*, ſive *Stabuli* actis nobilitatus. qui ſuſceptum ex ANNA BABELIA d. XIIX. Auguſti Anni Chriſtiani M DC XXIII. Filium, ut primum ætatis teneritudo permiſit, liberalibus ſtudiis ac Patrii præſertim Gymnaſii diſciplina imbuendum curavit. In quod Anno ſeculi XXXI. deductus, tranſacto per conſuetos laborum promotionumque claſſicarum profectus decennii ſpatio, Anno XLII. vitam Academicam impetratâ ſolenni ritu primâ Philoſophiæ laureâ, eſt auſpicatus. Atque hic quoque nitentem ad ulte-

ulteriora diligentiæ constantiam electi felici judicio Doctores, in Historia BOECLERUS noster, in Dialectica *Bachius* Gymnasiarcha, in Politica Doctrina *Schillius* JCtus provexêre. donec præparatum ad solidam scientiam pectus, Juris Legumque Romanarum arte BICCIUS & REBHANIUS imbuerunt: Familiaribus uterque, atque Iste quidem *Paratitlorum Wesembecianorum*, Ille *Aureorum* sive *Rerum Quotidianarum* (è quibus & septima disputatio *de Obligationibus in genere* Anno M DC XLIII. publicè Nostro propugnanda obtigit) & *Enucleati Collegij Juridici Argentoratensis* prælectionibus. Quinquennium istis laboribus hic expleverat, transactis insuper Genevæ pari industriæ contentione, ann. sec. XLVII. & XLIIX. cum suffragio meritissimi senis MELCHIORIS SEBIZII Illustrissimo Rheni Comiti BERNHARDO LUDOVICO commendatus, Metis apud Illum ad ann. usque L. splendididissimum Ephori munus administravit. Hinc perquam honorifico judicio dimissum, Lutetia excepit. Unde intercurrente Matris obitu post brevem admodum moram in Patriam est retractus. quæ & labores fructibus, & præmiis vigilias non distulit coronare. Viderat ille Academias Basileensem, Friburgensem, Tubingensem, Heidelbergensem; sed studiorum testimonia par erat Argentinam nostram, quæ nutriverat alueratque, decernere: in hac itaque Juridicis Examinibus ab Amplissimo Ordine probatus, satis habuit inauguralis disputationis liberam facultatem impetrasse: cum votis ad ulteriora tendentibus, intricatiora civilibus pariter ac familiaribus curis occupationibusve tempora intercessissent. Et pigneratum sibi auspiciis dignitatum haud pœnitendis Respublica, aliis Illum, quam quibus postea admovit ministeriis, in usum atque obsequium suum videbatur vindicatura. Vix *Textorum* sive *Fullonum* tribui anno M DC LIII. adscriptus, sequenti statim anno *judicandis collegij causis Assessor*, neque longa interposita morâ, anno sc. LXII. *curandis Ejusdem negotiis Magister*, interim anno LVI. *Scabinus* atque anno LIIX. in Senatum minorem allectus, egregia prudentiæ ac integritatis documenta reliquit. Verum cum tractandis inter hæc causis industrii fidique Patroni laude non hîc tantum in Urbe, sed per Aulas insuper Trevirensem, Durlacensem, Stutgardiensem, atque in ipso etiam

 Came-

Cameralis quod Spiræ eſt Judicii Tribunali innotuiſſet; Suffragiis Auguſti Senatus Viginti-unum-viralis, in graviſſimo quod *diſtrahendis Tutelæ rationibus* deſtinatum eſt judicio anno M DC LX. juſſus eſt *Acta curare*. In qua etiam ſtatione, Illum, ne poſt afflictiſſimas quidem corporis animique vires ſolita munia deſerentem, extrema tandem hora deprehendit. Cœlibem vitam anno demum M DC LXVII. die Octobris XIII. reliquit: ducta in matrimonium Matrona honeſtiſſima CATHARINA KOCHIA, quam pridem antea obitus *Viri perquam Reverendi atq; Clariſſimi Dn.* M. JOHANNIS SCHMIDII *Diaconi ad D. Petrum Seniorem fideliſſimi* in viduitatem conjecerat. Ex hac trium liberorum pater ſuperſtitem in APOLLONIA & JOHANNE ULRICO florentiſſimam ſubolem, præclariſſimamque Illi comitatis pietatiſque erga Maritum prolixe atque indeſinenter exhibitæ conſcientiam gloriamque reliquit. Et apparebat ſane, DEUM velut in præſidium profligatæ valetudinis tam fidæ Uxoris auxilium diſpoſuiſſe. Maxime poſtquam ante triennium quodque excurrit, gravioribus & apoplexiæ proximis diſtillationibus, linguæ pariter officium, mentiſque ſimul ac corporis totius vigor ultra modum eſt debilitatus. Unde contracta infirmitas non niſi fatalibus demum languoribus commutata deſiit: qui & ipſi tandem in omnimodam ἀνορεξίαν reſoluti, præterito denique Solis die, qui m. Jan. erat XIIX. circa horam IV. matutinam vitæ inter tot tamque graves morborum inſultus jam parum lætæ moleſtias abruperunt. Funus efferetur è Tribu *ſpeculo ſphærico* inſignita. In quo ut frequentibus exſequiis debitam defuncti Beatis Manibus humanitatem, relictiſque Neceſſitudinibus obſervantiam, prompte ac lubenter declaretis, ipſa vos pietatis & officii ratio abſque commendatione mea debet incitare. Perſcriptum Argentorati die XXXI. Januarij CIↃ IↃC LXXVII.

PROGRAM-



Programma Quintum.

Ad funus

DN. JOH. JACOBI FRIDII, JC. Reip. Patriæ Syndici & Consiliarii.

ERgo in ventos abierunt vota, quæ pro ARGENTORATENSI MOECENATE, ante unum alterumve mensem Respublica & Academia, incredibili omnium Ordinum studio nuncupavit. Jacet enim denique, jacet, tristibusque exanimati corporis reliquiis non magis feralem urnam; quam acerbis lacrymis ora civium implet, qui tam egregiis hucusque laudibus Orbem, tam præclaris meritis Patriam, tam illustribus exemplis seculum implevit, verum atque præcipuum togæ Decus JOHANNES JACOBUS FRIDIUS: neque ad aliud redditam ab extremo confinio mortis valetudinem EJUS modo nobis gratificatum est NUMEN velut exoratum, quam ut nunc quasi iterum ereptum acrius doleamus. Non sum ambitiosus in malis, nec augere doloris causas volo; quas utinam esset ratio minuendi! Sed quod tandem fatum esse Rectoratus mei dicam? quem tot casuum, universæ quidem Civitati, sed Academiæ præsertim luctuosissimorum non tam frequentia distinguit; quam unum veluti ac perpetuum justitium, & non interrupta primariorum funerum conclamatio connectit. Et quis imbecillitatis me damnet; si in civitate tot luctibus funesta, dum illorum etiam gemitus ipsa dolendi assiduitas exhaurit, quibus permissum est abstrusa intra pectus mœstitia defungi; ego sustinendæ voci publicæ non sermonem mihi profitear, non animum superesse? in quo si firmitudini locum tristitia de amissis relinqueret; cura prorsus & sollicitudo futurorum vel sola idonea esset, omnem non securæ mentis constantiam profligare. Esto enim: amplectamur pro jacturæ remedio ipsa damna nostra; & lamentis hinc statuamus finem; ut, non cessantibus, ac ne intermittentibus quidem doloris causis,

d. 12. Mart. 1677.

ipſa tandem dolendi facultas conſumpta exiſtimetur: an cum periculis publicis eâdem efficaciâ decidet ſtupor; atque ſicut in molliores affectus, ita in præſentiſſimos imminentium malorum terrores dominabitur? Scio equidem à multis probari Principis prave callidi ſententiam: *Præclariſſimos quoq; viros mortales, Rempublicam æternam eſſe.* Sed nec ignoro Sapientiſſimi viri de Thebanis & Athenienſibus judicium: quos à diſquiſitione ſua removet διὰ τὸ ὥσπερ ἐκ περιπετείας τινὸς τύχης σὺν καιρῷ λάμψαντας τὸ δὴ λεγόμενον, ἔτι δοκοῦντας ἀκμὴν καὶ μέλλοντας εὐτυχεῖν τῆς ἐναντίας πεῖραν εἰληφέναι μεταβολῆς. Θηβαῖοι μὲν γὰρ διὰ τὴν ἑνὸς ἀνδρὸς ἀρετὴν, ἢ καὶ δευτέρου, περιεποιήσαντο παρὰ τοῖς Ἕλλησι τὴν ἐπ᾽ ἀρετῇ φήμην. ὅτι γὰρ οὐχ ἡ τῆς πολιτείας σύστασις αἰτία τότ᾽ ἐγένετο Θηβαίοις τῶν εὐτυχημάτων, ἀλλ᾽ ἡ τῶν προεστώτων ἀνδρῶν ἀρετὴ· παρὰ πόδας ἡ τύχη τοῦτο πᾶσιν ἐποίησε δῆλον. καὶ γὰρ συνηυξήθη, καὶ συνήκμασε, καὶ συγκατελύθη τὰ Θηβαίων ἔργα τῷ τε Ἐπαμινώνδου καὶ τῷ Πελοπίδου βίῳ προφανῶς. ἐξ ὧν οὐ τὴν πολιτείαν αἰτίαν, ἀλλὰ τοὺς ἄνδρας ἡγητέον τῆς τότε γενομένης περὶ τὴν Θηβαίων πόλιν ἐπιφανείας. κτλ. *Quia ubi* (hi populi) *repentina quadam fortuna fulſiſſent, quod dici ſolet, dum adhuc crederentur ſplendorem ſuum cum maxime obtinere, & in poſterum obtenturi, mutationem in contrarium ſunt experti. Nam Thebani quidem virtute unius atq; alterius viri, virtutis opinionem ac famam apud Græcos ſibi pepererunt. quod enim rebus feliciter tum geſtis non ipſa reip. conſtitutio cauſam præbuerit, ſed eorum virtus, qui rebus adminiſtrandis erant præpoſiti, è veſtigio fortuna manifeſtum omnibus fecit. palam enim eſt, & incrementum, & florem ſuum, & finem res Thebanorum habuiſſe intra illud ſpatium temporis, quo Epaminondas & Pelopidas vixerunt. Itaq; ſplendorem illum ac decus, quo enituere tum Thebani, non civitati ipſorum, ſed illis viris par eſt adſcribere. Idem & de Republica Athenienſium eſt exiſtimandum, quæ ſæpius quidem fortaſſe, verum excellenter tum floruit, quamdiu Themiſtoclis virtute ſuſtentabatur: mox propter mores diſſimiles, contrariam & ipſa fortunam adiit.* Similes quidem eventus, & triſtiora quævis auguria Soſpitator Status noſtri DEUS ab hac Republica avertet: ſed niſi publicæ conſcientiæ gratique animi dictamini vim inferre conſtituimus; an diffiteri poſſumus, hanc Urbem in WURMSERIS, BERNHOLTIS, FRIDIIS, haud minus, quam EPAMINONDAS, PELOPIDAS, THEMISTOCLES amiſiſſe?

Tac. 3. A. 6.

Polyb. VI. 41.

ſiſſe? Nam de cætero ne vulgus quidem interprete indiget, ut intelligat, quid cœlum minetur, cum in faciem illius temporis revolvitur, quo GRAVESCENTIBUS IN DIES MALIS, SUBSIDIA MINUEBANTUR. Tac. 14. A. 51, 1. Quo minus à me quoque, hoc præſertim temporis mei ac proſtratæ valetudinis articulo, digna MAXIMI VIRI dotibus laudatio debet expectari. Et neſcio, ſi vel ampliſſimi ornatus facultas mihi contingeret, an illius uſum in hoc officio obeundo admiſſura ſit vel fortuna Academiæ, tot Patronis ſuperſtitis; vel ipſa COELITIS noſtri vita. cujus ſimplex commemoratio, qualeſcunque magnificentiſſimi cujuſque elogii conatus vel æquat, vel ſuperat. Ne pueritiam quidem EJUS atque adoleſcentiam exemerim: in qua tot laudum, minime certe puerilium, decora, quot ætatis momenta, numeravit. Et contigerant Parentes, eniſuram ad altiſſima quæque Filii indolem non conſiliis, non ſumptibus, &, quod maximum eſt, non exempli ſanctitate deſtituturi. Cujus uberrimam copiam nactus in Patre JOHANNE ULRICO FRIDIO Ampliſſimæ dignationis viro, & præter merita, quibus Rempublicam, functus ARCHIGRAMMATEI munere, devinxit, Academiæ quoque in hunc diem ob prolixum aſſiduumque erga omne honeſtorum ſtudiorum genus favorem, inter præcipua ævi ſui ornamenta æſtimato, poſtquam in medio ſtudiorum curſu, anno ætatis XIIX. Illo eſt orbatus; conſtantia atque animoſitate Matris URSULÆ HEUSSIÆ effectum eſt, ne quid vel incitamenti vel præſidii, proficientem pleno gradu ad eruditionis ſapientiæque perfectionem, præmaturo Patris fato videretur deſtituiſſe. Accendebat ardorem imitandi, tum Paternæ ſtirpis ſeries, multis egregiis nominibus fœcunda, tum Avus præcipue maternus JOHANNES MICHAEL HEUSSIUS XIIIVir; quodque in illa tempora ætas literis diſcendis idonea inciderat, quibus Argentinam noſtram ad ſummam doctrinæ ſapientiæque gloriam celeberrimorum Virorum quidam veluti confluxus extulerat. Natus enim XXVI. D. Novembr. A.C. M DC XXIII. poſtquam decem Curiarum (totidem enim adhuc Gymnaſium Argentoratenſe conſtabat) faſtigia, primario quippe ſemper vel ſecundo loco æſtimatus, felici pariter ac ſtrenuo profectu eſſet emenſus; Publicos doctores cœpit non venerari modo & colere, ſed in

ſua quemque arte frequentare MATTHIAM BERNEGGERUM, ANDREAM SCHILLINGIUM, VALENTINUM ESPICHIUM, JACOBUM SCHALLERUM; quibus privata inſtitutio acceſſit *M. Georgij Ritſchelij* Philoſophi, ex Ipſius BEATI noſtri elogio, acutiſſimi. Inprimis vero locupletes fructus ad omnia civilis vitæ actuſque publici momenta prædicat in *enarratione vitæ ſuæ* ſe percepiſſe ex contubernio ſeſquiannali B. BOECLERI noſtri: cujus familiariori diſciplina imbutus, & veluti manu quadam ad ſubliniorem celeberrimorum JCtorum TABORIS, BICCII, REBHANII ſcholam deductus eſt. indeque ab his laborioſo nobilique quadriennio, in verum æquitatis & juſtitiæ Sacerdotem formatus. Etenim quantum naturæ atque ingenii excellentiſſimi præſtantia omnibus præcellebat; tantum ſe removerat ab illorum ſecta, qui deſcriptos *Plinio* adoleſcentes imitati, *non ætati cujuſquam alterius, non authoritati, ut minores cedunt: Statim ſapiunt; ſtatim ſciunt omnia: neminem verentur, imitantur neminem; atq; ipſi ſibi exempla ſunt.* Neque deerat tamen pignus excitatæ generoſæque indolis & fomes, fiducia ac honeſtæ laudis cupido. cui non ambitione neque ſuperbiâ; ſed per egregios labores conatuſque litabat: publicatis aliquoties ſtudiis. quorum ſpecimina etiamnum in præcipua celebritate verſantur. *Oratio* præſertim, qua *Secularem Gymnaſii Argentoratenſis feſtivitatem* celebravit: & diſſertatio *de Formis Rerumpublicarum, earum naturali orbe, ac præcipue de Romanæ forma & præſtantia in Polybianum ἀποσπασμάτιον è lib. VI. Hiſtor.* auſpiciis SCHALLERIANIS. A. C. MDCXL. propugnata. Nam alterâ, *de Aula & Amicis Principum*, BOECLERO; tertiaque *de Contractibus* TABORE moderante habitâ, defenſoris duntaxat induſtriam demonſtravit. Et erant hæc magnifica ſane & ſpecioſa præludia *certaminis inauguralis*, quod poſt *Examinum* ſolennia, non cathedræ minori, quam ſuo ornamento A. ſæc. XLV. depugnavit. Conſcripta *de Jure Vidui* diſſertatione: poſtquam delectum tractatumque Patronorum conſilio argumentum, eorundem hortatu alterâ vice mutaſſet. Poterat diſcendi equidem laboribus atque moleſtiæ hîc finem, vel inducias certe indicere; ſi ſibi magis, quam publico egregio proficere, & vaſtiſſimam eruditionem, propter ipſam duntaxat, tot vigiliis ſibi comparare inſtituiſſet. Sed enim

Ep. IIX. 23.

enim propoſuerat ILLE pro fine ſtudiorum eos ſibi potius imitandos, qui civilis vitæ negotioſis actionibus occupati, eam literariæ laudis partem, quam publicorum negotiorum tractatus ſplendidiorem reddit, omiſſa rerum contemplatione, conſectantur. Nec anguſtiorem huic meditationi palæſtram credidit eligendam, quam quæ nobilioribus totius Europæ regionibus terminaretur. Auſpicium itaque peregrinandi ſaluberrimo conſilio à Germania factum. Cujus pacandæ ſtudium, cum ex omnibus Europæis gentibus conſpicuos maxime prudentia rerumque tractandarum uſu Viros Monaſterium collegiſſet; eò velut ad concilium quoddam Civilis ſapientiæ iter convertit. Volvebatur annus ſæculi XLV. quo cum per impeditiores adhuc eoque lentiores progreſſus ad maturitatem tenderet Pacis negotium; Animus otioſioris induſtriæ impatiens, proſequi per celeberrimas inferioris Saxoniæ Urbes iter adegit. cui ad aliquot menſes, petita per Belgium Gallia, moram juſſit interponere: Diuturnius mox ex Patriâ reduci hoſpitium præbitura. Conſiliis enim amicorum domum revocatus, ubi eventu optato deſtitui illa vidit, A. XLVI. Legato Reipublicæ ad Regem Chriſtianiſſimum CASPARO BERNEGGERO ampliſſimæ dignitatis meritique viro, comitem ſe addidit; annoque demum ſec. XLIIX. in Germaniam eſt reverſus. Et IPSE quidem vitæ ſuæ inſtitutum certa propoſiti lege limitaturus, Auguſto quod Spiræ eſt Imperialis Judicii Tribunali deſtinatum trituræ forenſi diligentiam adſtrinxit. ſed fama, cui nulla unquam quantumvis modeſta virtus terminos poſuit, nomen EJUS pretiumque per exteras nationes jam late diffuderat. ut jam & alibi paſſim expediendis maximi cujuſvis ponderis occupationibus par æſtimaretur: atque ab elegantiſſimo juxta ſagaciſſimoque ingeniorum morumque arbitro MAGNO GABRIELE DE LA GARDIE &c. Suecicarum tum per Germaniam copiarum Duce, tractandis Ejus expediendiſque *ſecretioribus curis* atque *negotiis* admoveretur. Cujus miniſterio ad annum uſque ſæc. LI. adhæſit: variis interim terris, omnibuſque Saxoniæ ac pleriſque Septentrionis provinciis, quâ publico, quâ privato nomine perluſtratis. Nec erat ſane tam incurioſa vel negligens felicitatis ſuæ Suecia, quin tam rari hoſpitis dotes lau-

tiſſimis

tiſſimis conditionibus in utilitates ſuas auctorare niteretur: Si qua ullis illecebris in pectore Patriæ ſaluti unice devoto Patriæ vel charitas vel auctoritas cedere potuiſſet. Solo igitur nutu Argentina noſtra pariter cum externis blanditiis, & interjecti itineris difficultatibus tranſegit: dum anno ſæc. LI. d. V. Auguſti redditam ſibi aſſertamque tam egregii Civis operam, *expediendis negotiis Gallicis, publiciſq; ac Cameralis Judicij actis digerendis* ſtatim; Anno vero LIII. *curæ geſtorum in Secretiori Deputatorum Collegio* applicavit: anno denique LVII. *Syndici* atque *Conſiliarij*; & triennio elapſo *Archigrammatei* munere dignationeve cohoneſtavit. Quàm proſpero exinde ac florente ſucceſſu Fortuna publica ſe commoverit extuleritque, commemoratu non arduum modo amplitudo operum, quæ conſiliis ejus patrata ſunt; ſed triſte & injucundum, jacturæ, quam deflemus, acerbitas facit. Et quid vero mirandum, ſi ad ejus conſilia velut ad ſacram anchoram confugiebat Reſpublica, quæ jam inde à primo miniſterii EJUS momento, luculentiſſimis omnium dierum, imo horarum experimentis, ILLIUS in dubiis fidem, in arduis conſtantiam, in abſtruſis ſolertiam, in omnibus dexteritatem, penitus, & haud aliter, quàm quæ oculis cernuntur, fuerat edocta? Nec facile tamen decernas, domi copioſiores, an foris ab ILLIUS virtutibus perceperit fructus? adeo paribus momentis & authoritatem ſuam ILLIUS gravitate; & incolumitatem, prudentiâ; & celebritatem, facundiâ tuebatur. Sæpius cum Chriſtianiſſimo Galliarum Rege LUDOVICO XIV. atque inprimis in viciniâ A. Sec. LXXIII. bis ILLIUS ore locuta: Germaniæ Electorum & Principum non alio frequentius interprete vel gratiam ſibi conciliavit, vel fovit amicitiam: Civitatum quoque Imperialium tum aliis, tum nobiliſſimo præſertim Anni LXX. Ulmenſi conventu per EUNDEM pro parte, venerandum conſilii publici inſtar ſuſtentavit. Atque quid ego de promptiſſimi gratioſiſſimique calami miraculis jam loquar? cujus ſubtili & penetrabili efficaciæ, non minorem fortaſſe incolumitatis noſtræ partem, quam munimentorum terrori, aut fragori tormentorum debemus. Neque interim obeundis civilibus muniis induſtria ejus ceſſabat, vel fatigabatur vigilantia; ſive in *Cathedrali Eccleſia Præfectus*, ſive in *Schenckbecheriano*

Collegio

rum tabularum ſpecimen producit Merula *Cosmogr. Part. 2. lib. 4. cap. 18. pag. 201.* qui planè ſe hîc ignarum profitetur. Schrieckii quidem ego conjecturas audaces non omnino probo, ſed Celticæ veteris veſtigia ſubeſſe eſt veroſimillimum. Rheticam, quæ illi ſubeſt, è Germanica multa traxiſſe credibile eſt, arguitque ipſum Tuſcorum nomen, gentem eſſe Germanam atque è Germanis oriundam.

Poſtquam Romani cum Italiæ populis & vicinioribus Latinis arctiora inſtituerent commercia, factum eſt, ut veteres illæ lingvæ longa conſvetudine paulatim tollerentur, iisque Romana ſuccederet, remanentibus tamen quibusdam apud omnes populos veterum lingvarum reliquiis inter ruſticos ac plebejos homines, ipſaque lingva jam communior facta Litina diceretur. Hinc tot apud Grammaticos antiquos leguntur voces, quas ut minus Latinas & Romanas, vel ſaltem ut plebejas, abjecerunt. Tuſculanæ voces notantur: *Triatrus*, *Quinquatrus*, *Sexatrus*, *&c. Struppus.* Prænestinæ, *Nefrones*, id eſt, Teſticuli, *Tongitio*, id eſt, Notio, *Conia*, id eſt, Ciconia. Græcæ voces innumeræ Latinitate ſunt donatæ. E Sicilia quoque & Tarento quædam ſemigræcæ voces in illam illatæ. Japiges antiquiſſimi Italiæ Orientalis incolæ, inter quos principes Salentini, lingvam etiam antiquis temporibus peculiarem literasque habuere, cujus aliquod fragmentum extare Joannes Pontanus, Hermolaus Barbarus, aliique teſtantur. Sabinâ lingvâ *Nerones* fortes dicebantur, Mars *Mamers*. *Sol* Sabinum eſſe vocabulum, teſtatur Varro. *Talus* prænomen Sabinum, *Catus* pro acutus, *Curis* Haſta, *Auſum* pro Auro, *februum* purgamentum, &c. Oſcum ſermonem à Latino diverſum fuiſſe hic Titinnii verſus teſtatur:

Oſcè & Volſcè *fabulantur: nam Latinè neſciunt.*

Oſca ſunt *Meddix* Magiſtratus, *Sollum* Solidum, *Famel* Servus; unde poſtea *famulus* vox Latina; *Ungulus* Annulus, *Dalivus*, Inſanus, *Petora* Quatuor, *Caſnar* Senex &c. Huic linguæ inſultare ſoliti fuere Romani: nam *Oſca Ludicra*, quæ vocabant, celebrabant, quorum etiam Strabo lib. IV. meminit.

Quando itaque voces ex his gentibus ſuperfuerunt omnino credibile eſt, phraſes quoque inſolitas ad genium vernaculum formatas in Romanam linguam illatas fuiſſe, quas ſtatim ſubolfecerint emunctioris naris homines Romani. Quintilianus de iis diſertè ait: *Verba aut Latina aut peregrina ſunt: Peregrina ex omnibus prope dixerim gentibus, ut homines & inſtituta etiam multa venerunt. Taceo de Thuſcis & Sabinis & Præneſtinis quoque: nam eorum ſermone utentem Vectium Lucilius inſectatur.* Fuerunt tamen etiam inter Romanos, qui ut ſæpe fieri ſolet, etiam cum minime peregrina

 eſſent,

essent, suspecta tamen quâdam censendi prurigine multa habuerunt. Nota sane sunt Urbana erga Provinciales in omni gente fastidia. Coaluerant jam ita Latini & Itali omnes cum Romanis, ut non tam immane inter illos discrimen circa extrema hæc tempora quis deprehenderet. Laudat sanè è Latinis, qui sua têmpora præcesserunt, Cicero in lib. de Oratoribus, Q. Vectium Vectianum è Marsis prudentem virum & in dicendo brevem, Q. & D. Valerios Soranos, C. Rusticellum Bononiensem, & omnium eloquentissimum T. Betulium Barrum Asculanum, & apud majores suos disertissimum, ex Latio L. Papirium Fregellanum. Ac fuerunt qui Romæ ab ineunte ætate commorati Scriptores omnes elegantias imbiberunt. Patavinitatem tantum abest, ut in Livio deprehenderit acerrimus Latinitatis Censor Quintilianus, ut potius pronunciatâ decretoriâ quasi sententiâ, omnia Italica suo tempore pro Romanis agnoverit.

CAP. XII.

Urbani fastidiosi erga provinciales. Plures Provinciales eloquentiâ latinâ floruerunt quam Romani. Ciceronis Arpinitas. Terentius Afer. Plautus Umber. De præstantia Plautinæ dictionis adversus Asulanum & Naugerium. Cornelius Nepos non fuit Romanus. Virgilius Mantuanus. In illo à Pollione notata Mantuanitas. Carbilii pictoris Æneidomastix. Catullus Veronensis. Propertius Umber. Ovidius Sulmonensis. Defensus adversus Marullum & alios. Horatius Venusinus: in veteres iniquior. Vitruvius, Manilius non fuere Romani. Salustius Sabinus, Livius Patavinus. Lucretius & Cæsar Romani. Ille malæ latinitatis autor male à Lambino habitus. Cæsaris dictio nitida. Varro alter Romanus, alter Gallus. Curtii, Cornelii Celsi, Velleii Paterculi Patria incerta. De hoc ridiculum Asulani judicium. Phædrus Thrax purissimæ latinitatis scriptor. Marquardi Gudii in illum animadversiones ineditæ laudantur. Barbaries & Thracismus illi objectus discutitur. Intempestivæ Criticorum Censuræ notantur. Columella Gaditanus. Plinius alter Veronensis: alter Novocomensis: Quintilianus Hispanus. Petronius Romanus. Alii scriptores Neapolitani, Campani, Hispani &c. Martialis Bilbilitanus. Ejus uxor urbanam dictionem affectabat. Si in tot Provincialibus nulla peregrinitas adverti potuit, qui Pollio potuit in Livio? I. L. Vivis de Pollione judicium.

Vidimus Romanos tum provinciis exteris, tum Italiæ & Latio litem de peregrinitate linguæ suæ infusâ litem moventes, ut pateret eò clarius, quo jure objici Livio Patavinitas possit; ac deprehendimus

mus Urbanos noſtros homines, in intentato illo crimine, ſi verum fateri velimus, nimis interdum querulos, faſtidioſos, ſuperclilioſos, addo & invidos. Ut enim domeſtica amare plerumque conſvevimus, ita & hic nonnunquam fit, ut peregrina, licet optima noſtriſque meliora, quacunque etiam ſpecie, contemnamus. Ac ſanè ſi nomina illuſtrium virorum, quorum fama literarum monumentis celebrata eſt, conferamus, majorem eorum numerum, qui è Provinciis & Latio oriundi, diuque Romæ commorati vel in ipſis provinciis libros reliquerunt, quam Romanorum hominum inveniemus. Ipſe Cicero Arpinas, homo novus, annon præ tot Romanis claruit? cum tamen inventi fuerint ſcioli, qui ſermonem ejus è patriâ aliquid trahere Arpinitatis calumniarentur. Quis Terentius? Afer. Sed illo urbanius fieri nil poteſt. Plautus annon Umber eſt? Et tamen hunc Gellius, optimus certè cenſor, vocat verborum Latinorum conſervatorem diligentisſimum & linguæ atque elegantiæ in verbis latinæ principem. Et rectè quidem: Nam ſi pauca priſca, obſoleta, ſemigræca, jocoſa exceperis, quæ Comœdiæ indulgenda videbantur, reliqua omnia elegantisſima ſunt. Contemnendæ enim ſunt Aſulani in Plautum calumniæ, quas ſolidè diſcusſit Florid. Sabinus Apologiâ in linguæ latinæ calumniatores. Niſi forte verus earum autor fuit Naugerius, homo quidem doctus, ſed mire ſuperclilioſus & neſcio qua ῥωμαιομανία laborans, ut qui Martialis quædam exempla quotannis in Manium Catullianorum honorem Vulcano offerre ſolebat. Quid vero? pluriſne æſtimanda eſt alicujus Naugerii, quam ipſius Ciceronis autoritas. Is enim lib. 3. de Oratore Plautum in exemplum poſuit, ad quod ſui temporis, quæ minus ipſi placebat, latinitatem exigeret. *Equidem*, inquit ille, *cum audio ſocrum meam Læliam, eam ſic audio, ut Plautum mihi aut Nævium videar audire.* Addo his magnificum Varronis, at cujus Cenſoris? judicium, qui, ex ſententia Stolonis, Plautino ſermone ipſas Muſas locuturas ajebat.

Cornelium Nepotem, quo nil venuſtius Romanus ſcribere calamus poteſt, Padi accolam Plinius, Catullus Italum, Auſonius Gallum, Merula Veronenſem facit: Romanus certe non fuit. Virgilius, ille Poëtarum Latinorum Princeps, Mantuanus fuit, & in hoc Lynceus noſter Romanus Pollio, ſcilicet ut gratiam Eclogam IVtam inſcribenti referret, Mantuanitatem, ſi Diis placet, obſervaſſe ſibi viſus eſt. Id enim de eo notavit Scaliger *Poëtic. lib. 4. cap.* 17. quo autore incertum: Fr. Floridus illud Hieronymo tribuit. Sed ſuperant tamen divina Virgilii Carmina, cum Pollionis illæ Tragœdiæ, de quibus Horat. *lib. 1. ſat. 10.* modicè, ut videtur, ſentit, dudum oblivione ſepultæ fuerint. Hunc quoque Carbilius

pictor aggressus, à quo Æneidomastix liber in illum scriptus, & Macrobius furti illum arguit, ipse fur plusquam manifestus, qui libros Gellianos compilavit. Catulli, Poëtæ, si quis alius, lepidissimi & latinissimi, patria Verona est. Propertius Umber inter principes aureæ ætatis poëtas omnium suffragiis reponitur. Primus enim Italorum Elegiam Latio donavit. Blandi oris Ovidius illum vocat & jure sodalitii sibi junctum fatetur. Ipse Ovidius omnium deliciarum & elegantiarum pater, annon Sulmonensis fuit? & hunc tamen ineptissimus Marullus non è Poëtarum solum ordine deturbare ausus est, sed & in Latinitate ejus nescio quid desideravit. Dignus certe, ut Floridus Sabinus in Apologiâ sua ait, quem facto impetu apud inferos Poëtæ excarnificent & in crucem agant. *Tantæ omnibus*, ait porrò Floridus, *admirationi semper fuit Ovidius, ut non ingeniosus, sed ipsum ingenium, non Latinus, sed ipsa Latinitas, non Musarum Sacerdos, sed ipsum Musarum numen sit habitus. Quod autem ad Latinam linguam attinet, eruditi omnes uno ore fatentur, si illa funditus periisset, uniusque Ovidii scripta superessent, ex iis facillimè eam restitui posse.* Nolo nunc de iis dicere, qui declamatorias in illo argutias notarunt. Victorium hominem maximè sibi sapientem, qui in oratione & versibus enervatum ausus est dicere, jam alii contuderunt. Romanæ fidicen lyræ Horatius, qui primus lyrico carmine celebratur, an forte is Romæ natus ac illo urbanitatis lacte primum enutritus est? Minimè quidem; sed ut ipse de se Od. 9. lib. 4.

Longè sonantem natus ad Aufidum

& Sat. 1. lib. 2.

——— Lucanus an Appulus, anceps.
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus.

Nec fuit, quod ego memini, qui vel levissimum in ipso peregrinitatis vitium notaret, neque hostes habuit, nisi obscuros quosdam homunciones, quos passim in Satyris suis insectatur. Ipse vero in antiquiores, præsertim Comicos & Satyricos acerbior est, ut Plautum & Lucilium, quorum ille tamen omnium judiciis effertur, hic à Quintiliano ita laudatur, ut totus ab Horatiano illo judicio dissentiat. Supersunt in aureæ illâ ætatis classe Vitruvius & Manilius, quorum etsi Patria incerta est, Romanos tamen non esse constat. Et ille quidem barbarè non loquitur, judicio Scaligeri, sed inconditè: Hunc peregrinum esse judicat Gyraldus, quod inquinatè loquatur, reprehensus in eo à Scaligero, qui idiotismos quosdam & incondita agnoscit, non vero sordes, quas ipsi affricare voluit Gyraldus. Subjicimus his Historicos, Salustium & Livium nostrum, quorum ille in agro Sabino natus primam historiæ Romanæ laudem reportavit, cujus ora-

tione atque brevitate Quintilianus judicabat fieri nihil posse perfectius, atque adeo Thucydidi illum è Latinis opponere non dubitabat. Hic noster Patavio oriundus, Salustii virtutes aliis &, ut ego quidem arbitror, majoribus superavit. Uterque hostem & calumniatorem Pollionem habuit: nam ut in Livio Patavinitatem, ita in Salustio singulari libro, nimiam antiquitatis affectationem reprehendit.

Ecquos ergo in tota hâc aureæ ætatis classe, quâ potissimum hæc censeri debebat Urbanitas, Romanos habebimus, præter duos forte, Lucretium & J. Cæsarem, ambos quidem latinissimos, quorum ille tamen, si Quintiliani non spernendum judicium sequimur, legendus quidem, sed non ut phrasin, id est corpus eloquentiæ faciat: forte quod ex argumento Scholastico civilis dictio formari nequeat. Quò respexit forte Dionysius Lambinus, cum Lucretium malum Latinitatis autorem vocat, quâ tamen cum sententiâ ille minimè audiendus est; potest enim latinitas bona esse in autore, quem necessitas adigit, ut in argumento novo voces & phrases aliquas populo inauditas fingat. Julius Cæsar, etsi ipsi latina, nitida, sine affectatione fluens oratio, lineamenta potius Historiæ duxit, quam corpus concinnavit. Ideoque Livius ipsi in imitatione præferendus. Quam ob causam, ut puto, strigosum ejus stylum vocavit Masenius: Qui eam ob causam reprehendendus omninò est. Licet enim characterismos illos perfectæ historiæ in illo non deprehendas: mira tamen est in illo sermonis castitas, & qualis erat in priscâ Romanâ nobilitate; Quod enim parum diligenter, nec integrâ veritate scripsisse judicavit Pollio, hujus quoque insectator, ad nos nunc non pertinet. M. Terentius Varro & ipse Romanus, cum de Re Rusticâ & linguâ Latina tantum scripserit, non adeo ad Auctores, è quibus phrasis ac eloquentiæ corpus formatur, referri debet. P. Terentii Varronis Atacini è Narbonensi Galliâ oriundi scripta interierunt.

Ubi ad argenteam ætatem processerimus, plures inveniemus peregrinos, quam Romanos. Curtius, Vellejus Paterculus, Cornelius Celsus, patriæ incertæ, sed non mali, quod ad latinitatem attinet, scriptores: ubi de Vellejo hoc ridiculum notandum est; notante Gronovio in præfatione Livii, Asulanum, eum sc. cujus modo mentionem fecimus, insimulare Basilienses, quod historiam rerum Romanarum sub nomine Paterculi ediderint, in quo nihil fere latinum legatur, quod Augusti tempora redoleat, quibus eum floruisse velint. Quo sanè nil dici potest putidius & insulsius. Phædrus Augusti vel Tiberii libertus, gente Thrax, Æsopi fabulas latinis versiculis descripsit adeò nitidis & limatis, ut nil Romanius dici scribique possit. Vavassor *de ludicr. dict. pag. 206.* e-

jus dictionem ab omni peregrinitate & insolentiâ remotam judicat, narratque accepisse se à Jacobo Sirmondo, cum Petrus Pithœus primum misisset Romam hos libros Lutetiæ editos, Romanos, ut emunctæ naris homines, novitate voluminis percussos, non dubitasse, quin ætatem redoleret Augusti, ac summam illam facilitatem styli & scripuræ repræsentaret. Id autem non immeritò miratur Vavassor, quî factum; quod Seneca Æsopios logos intentatum Romanis ingeniis opus dixerit, cum Phædrum hunc haberet, quem opponere possit toti Græciæ. Nec putat tamen ille, quod Petrus Pithœus & Lipsius judicabant, ideò hoc ab ipso dictum: quod Phædrus non genere Romanus, sed Thrax fuerit, ab omni enim malignâ invidiâ alienum fuisse Senecam existimat. Verum quoniam Tiberii, Caligulæ & Neronis tempora non admitterent vel cogitationes liberas, ideoque ob apologos, quibus illius seculi tyrannis notatur, silentio suppressum hunc libellum credit. Quâ de re integrum esto cuique judicium. Id certum est, libellum hunc Urbanum illum & Romanum nitorem servare incorruptum; modò à mendis omnibus repurgatus esset, quæ infinita in eo restare, docebit nos aliquando incomparabilis in his literis MARQUARDUS GUDIUS, si exorari possit, ut suas in illum animadversiones luci publicæ exponat. Ut sit autem in hoc opusculo nitidissima latinitas, non defuerunt tamen inter Criticos etiam magni nominis viri, qui longè aliter judicarint. Scriverius animadvers. in Martial. *lib. 3. Epigr. 20.* nugari ait, qui hunc Phædrum ad tempora Augusti & Tiberii referant, quo ille ævo minimè dignus sit. Causas hujus sententiæ suæ se ostensurum promittit, ubi animus otiumque ista frivola pertractandi fuerit. Neque satis mirari Scioppii indignum in hoc autore supercilium possum, qui in Infamiâ Famiani, hunc scriptorem, *velut domo barbarum & sermone non parum sæpe plebejum* vocat, inque eo nescio quid Thracici subodoratur. Quam ob causam reprehendit illum Cl. Schefferus Phædri commentator, qui tantum abest, ut tale quid in illo invenerit, ut potius in plerisque Virgilium, in cæteris Plautum, Terentium, Ovidium imitatum fuisse judicet, hocque convicium pari jure cum Livianâ illâ Patavinitate censet. Hos quoque tam delicatulos censores meritò vellicat Barthius, cum *Adver. lib. 48. c. 10.* hujus ipsius Phædri quædam emendaturus, præfationis loco invehitur in *genus quoddam hominum miræ*, ut vocat, *ambitionis, quod ut sapere videatur profundius ceteris omnibus, non jam exponere veteres scriptores, sed censere & in ordinem redigere incipit, idque adeò vecordi animo, ut Latinos autores illatinitatis damnare non jam pudori habeat, sed gloriæ loco censeat, barbariæ eos damnare, qui vigente flore linguæ Latialis cumprimis clari fuerunt.*

Nolo

Nolo operosè in cæteros inquirere, qui vel eâdem ætate, vel latinitate jam declinante vixere. Columellam Gaditanum novimus, qui tamen sermonis svavitate, politiâ, vi quoque & eruditione principibus latinæ linguæ scriptoribus accensetur, teste Barthio *lib.37. cap.* 7. imo Varrone illo Romano tersior est. Plinii duo sunt, alter Veronensis, qui universam rerum naturam, pari linguæ elegantia descripsit; alter Novocomensis, cujus epistola & oratio Attici quid spirant: & quibusdam præ Ciceronianis, quo tamen falluntur, sunt in pretio. Quintilianus, quo nemo artem oratoriam inter latinos elegantius adornavit, annon Hispanus? Et hunc tamen, si Ciceronem exceperis, omnibus præferre non dubitant nonnulli, etsi Philelphus in illo Hispanitatem invenisse sibi visus est. In hâc tamen ætate unus præ cæteris laudari meretur eques Romanus, Petronius, purâ quidem latinitate, sed impuro argumento laudabilis, ne quid de Neroniani temporis phrasi, de quâ suprà, hic dicam. Seneca uterque, Lucanus, Mela, Hispani, Statius Neapolitanus, Valerius Flaccus Campanus, Juvenalis Aquinas, Claudianus Alexandrinus eâ eloquentiæ laude claruerunt, quam ista tulerunt secula, in quibus tamen alii aliis puriores & elegantiam primæ ætatis propius contingunt. Martialis Bilbilitanus, etsi ob peregrinitatem Hispanicam nonnullis, sed maledicis censoribus, vapulat: laude tamen elegantiarum latinarum minimè privandus est. Ipse sanè affectavit quam maximè, adeò ut & uxorem suam ob elegantias Romanas magnopere laudet lib. 12. Epigr. 21.

Municipem rigidi, quis Te, Marcella, Salonis
Et genitam nostris, quis putet esse locis?
Tam rarum tam dulce sapis, Pallatia, dicent,
Audierint si Te vel semel esse suam.
Nulla neque in media certabit nata Suburra,
Nec Capitolini collis alumna tibi.
Nec cito ridebit peregrini gloria partus,
Romanam dicat quam magis esse nurum
Tu desiderium dominæ mihi mitius urbis
Esse jubes. Romam Tu mihi sola facis.

Verum sufficiat, in tot scriptoribus enarrandis nos fatigasse, quos ideo adduxi, ut demonstrarem, eloquentiam Romanam plus debere ipsis exteris, quam Romanis. Et est sanè prodigio similis res, tam paucos fuisse Romanos, qui literis quid consignarint, & si qui fuerint, unà cum illo argutulo

gutulo Pollione pessum ivisse: cum contra omnes immortalem illam nominis sui & Romani gloriam, tum Provinciales, tum Itali & Latini tueantur. An hoc ignaviæ tam pauca scribentium, an fato iniquiori imputabimus? Jam tuam itaque fidem testor Pollio! quid est, quod unum inter tot provinciales Livium huic Patavinitatis culpæ affinem facit? cum reliqui nihil hujus gentilis labis contraxerint. An potuerunt cæteri omnes hanc eluere peregrinitatis maculam: solus Livius & tamen Romæ vivens non potuit. Vel itaque leve aliquid & nugatorium, in quo illa Patavinitas consistit, vel quod potius duxerim, mera aliqua calumnia est, à supercilio & invido Pollionis animo profecta. Imo vero, ego Joannis Ludovici Vivis judicium, quod ex his, quæ hactenus dissertavimus, deduci videtur, probaverim: qui lib. 2. de causis corruptarum artium, in municipalibus autoribus majorem interdum eloquentiam, quam in ipsis Romanis agnoscit. De Livio ille: *Livius sermone illo, quem Pollio Patavinitatem, dixit sapere, eloquentior fuit multis Romæ natis, & fortassis illo ipso Pollione.* Et in de tradendis Disciplinis libro 3. idem: *Livii Patavinitatem, quam gustabat Pollio Asinius, nos non gustamus: Scilicet non habemus jam palatum usque adeò eruditum, aut certè morosum.*

CAP. XIII.

Peregrinitatis censura ægrè institui potest. Censuræ recentiorum reprehenduntur. Scaligeri in Erasmum Invectiva, quod Livii Patavinitatem cum Pollione probarit. Ejus de Pollione judicium. Urbanitatis incertum judicium. Cicero ipse in illâ dignoscendâ fluctuans. Feminæ optimæ urbanitatis custodès. Etiam indocti. Facere contumeliam Plautino seculo probatum, Tulliano rejectum. Livius non male à Tanaq. Fabro notatus, quod sensum vocis latinæ Classis *non rectè ceperit. Tilemanni ineptum de Patavinitate & voce majestatis judicium. Urbanitas an ad Ciceronis tempora restringenda. Censuræ nonnullorum in antiquos autores. Solœcismi, Archaismi, Singularia in Cicerone.* Νεωτερισμοὶ *ex Analogia vitandi. Q. Mar. Corrad. notatus. Scioppii audacia in censendis Metelli verbis. Peregrinitates aliæ à Scioppio & Francisco Sanctio notatæ. Non temerè de his judicandum. Pollionis nonnullæ voces à Manutio damnatæ. Palmari. In Cœlio & Cicerone filio duriora notata. Criticorum depravationes generant voces & phrases barbaras. Nizolius è corruptis exemplaribus multas collegit. Exempla earum. Lambinus & Manutius notati.*

CUm plurima hactenus inquisiverimus, ut tandem pateret, quâ in re Patavinitas Livio objecta consisteret, parum tamen isto conatu

tu noſtro profecimus: aliæ enim ex aliis oriuntur difficultates, quæ ejus inveſtigationem, ſi qua illa fuerit, remorentur. Nam etſi quidam Urbanitatis color fuit, etſi & peregrinitas quædam à nonnullis illata, tamen ejus à nobis cenſura nulla inſtitui poteſt; præſertim, cum & ipſo illo perfectisſimæ latinitatis tempore non ſatis ea diverſitas ab ipſis urbanis hominibus dijudicata fuerit, ac provinciales in urbe Româ educati in totam ſe urbanitatem ita induerint, ut omnis latinæ linguæ gloria penes illos ſteterit, quemadmodum præcedenti Capite oſtendimus.

Quare intolerabiles videntur recentiorum hominum de antiquis autoribus cenſuræ, qui latinitatis nullam aliam, quam ex lectione & obſervatione inſtituere poſſunt. Meritò itaque Eraſmum reprehendit Scaliger in Oratione, quam adverſus Ciceronianum ejus ſcripſit: nam & Eraſmus Pollionis illam de Patavinitate calumniam ſuam fecerat. *Aliud*, inquit, *ſonat auribus tuis improbo nunc verbo adſuetis, Eraſme, aliud Romano viro, qui tamen Aſinianæ calumniæ Patavinitatem Livio objectare auſus es, quam tu quo loco, quo tempore cognoſcere, quo modulo Batavus metiri potes? Quâ ratione Teutonicus vitium illud conflari, quo judicio dignoſci dices? Si omnes voces Romanæ ſunt, ſi univerſa ſtructura ex veterum cementis lapidibus redivivis, incorruptâ materiâ conſtat, ſi candor ille illam feliciſſimam ætatem etiam ſuperat, ſi omni invidiâ, omni calumniâ major eſt, quam in lacteo illo flumine labem labes deprehendas? Cum tamen illius ſententia ne his quidem qui objecerat cæteros Romanos habuerit adſertores.* Acris hæc in Eraſmum invectiva J. C. Scaligeri eſt, quam iisdem pene verbis Scaligeri disſimulato nomine Scheurlius *in Stat. Merc. ſect. 2. part. 2. cap. 9.* in Eraſmum iteravit: ſed à tanto viro profecta, cujus judicio & cenſuræ plus quam ſexcentis aliis tribuendum. Nam nec ille hanc in Livio Patavinitatem perſpicere potuit, cumque cum Livianis ille Pollionis fragmenta conferret, Poetic. lib. 4. cap. 17. hæc de ipſo pronunciare veritus non eſt: *Quod ſi Pollio ſibi ſolus Romanè vel loqui vel ſcribere viſus eſt, cui Livius olet Patavinitatem, Virgilius Mantuanitatem, Ciceronis dictio parum ſapit, ſanè ſi iis, quæ illius exſtant, non dixit meliora: malim profecto cum hiſce minus Romanè loqui, quam cum illo eum ad modum, quem legimus ex fragmentis.*

Quid ergo illius Patavinitatis alii notent, quam Scaliger tantus & Cenſor & Grammaticus deprehendere non potuit? imò quam ipſi Livii tempore Romani dignoſcere non potuerunt, cum, notante Strebæo comm. in Cic. librum 3. de Oratore, ante Livium Urbani ab antiquitate longè deviarint. Mira enim eſt ejus urbanitatis fluctuatio, neque certa ejus tempora conſtitui poſſunt. Nam cum ab uſu hominum in urbe viventium illa penderet, placuit alio tempore, quod alio diſplicuit, ut ſunt varii ho-

minum animi & in annos mutabiles, ipsaque lingua & pronunciatio quotidie gliscit. Ciceronem ipsum multa sui temporis offendebant, magisque priorum temporum dictione capiebatur: nam delectabatur cum audiret socrum suam Læliam, & eam sic audiebat, ut Plautum sibi ac Nævium videretur audire: *Facilius enim*, inquit, *mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper quæ prima didicerunt.* Quo fit etiam, ut homines sine literis eleganti tamen dictioni adsvescant, ut Curio ille, qui literarum nihil sciebat, de quo Cicero in Oratore, *quod splendidioribus verbis uteretur usu aliquo domestico: cum magni interfit, quos quisque audiat quotidie domi, quibuscum loquatur à puerô, quemadmodum patres, pædagogi, matres etiam loquantur.* Quo tacito sensu, sine ulla arte aut ratione, tota theatra olim reclamarunt, si quid in sermone offendisset. Rursus idem Cicero sui temporis quædam improbat, quæ tamen ante ipsum bonæ notæ habebantur. *Facere contumeliam* Plautino seculo rectè dicebatur: nam usus est hâc phrasi Plautus in Asinaria & Terentius in Eunucho & Phormione. At Ciceronis seculo in desvetudinem hæc loquendi ratio iverat. Cum enim Antonius ita in edicto scripserat: *An ulla contumelia est, quam facit dignus?* Cicero Philippic. III. sic animadvertit: *Quid est porrò facere contumeliam? quis ita loquitur?* pro quo nunc fortasis rectius afficere contumeliâ diceremus. Exagitat ille alia quoque Antonii verba, qui tamen Romanus, & quem tamen benè Latinè loqui ipse judicaverat. Quale itaque nostrum de vocibus Latinis judicium erit, si in eo ipse Cicero fluctuat? Imo Vives in libro de Disciplinis puritatem linguæ majorem & castigatiorem in C. Cæsare, in M. Bruto & aliis Romanis principibus, quam in M. Tullio fuisse autumat; nec phrasin ejus omnibus placuisse, non Bruto, non Calvo, nec ipsi Pomponio Attico amicissimis.

Fuere nonnunquam voces non adeò antiquæ ipsis scriptoribus optimis ignoratæ, vel illas sibi in memoriam non revocarunt. Quod de Livio probat Tanaquil Faber. Observavit enim in epistolis suis; Livium, cum verba hæc in Annalibus, *Classibus ad Fidenas pugnatum*, legeret, non intellexisse, per classes in plurali numero significari equestres copias, cum & Virgilius eodem sensu hâc voce usus sit, immeritò ob hanc censuram ab Ephemeridum Gallicarum scriptoribus notatus, quibus peculiari libello respondit, suamque censuram defendit: nam non insolitum esse ait, phrases quasdam ab ipsis autoribus latinis non satis intelligi, præcipuè si ad artem non omnibus notam referantur. Quemadmodum Cicero *lib. 3. Epist. 21. ad Atticum* ingenuè fatetur, se diu non intellexisse, quid esset *inhibere remos*, usque dum ipse tandem à nautis hoc didicerit. Erudita

hæc

hæc Tanaquilis Fabri censura est: sed inficeta & inepta Tilemanni in Discursu Philologico de Historicorum delectu, cum pag. 219. in Livio reprehendit, quod quia ambitiosus fuerit, sibique magis quam aliis scripserit, (in eo enim Patavinitatem Livii consistere autumat) non uno in loco maluerit terminis politicis abuti atque elegantius scribere, quam integrius, improprius quam verius, cum censoribus, decemviris, consulibus majestatem attribuerit. Nunquam enim majestatis vox politico illo & hodie usitato sensu antiquis accepta, sed recentiorum scholis eo sensu usurpari cœpit. Majestas vero antiquis quemcunque externum splendorem, & magnitudinem, qualis negari Magistratibus Romanis non poterat, denotabat. Patavinitate vero ambitionem ejus notari nescio quomodo putidum est, neque cuiquam ante ipsum in mentem venit.

Videmus itaque in ipsâ urbe discrepasse à se ipsâ urbanitatem, quæ è judicio illorum, qui Ciceronis ætatem secuti sunt, ut Quintiliani ac aliorum ad Tulliana tempora hominesque tum scribentes restringebatur. Quam sententiam etiam nos amplecti ipsa ratio jubet: cum ab hoc quasi puncto & apice nitor ille sensim labi cœperit. Etsi non defuerunt ingenia obstinatiora & morosiora, qui antiquiora tempora præferrent. Quemadmodum Hadrianus Ennium Virgilio, Catonem Ciceroni prætulit, quod antiquum scribendi genus amaret, utque tam præposteri ingenii aliquod urbi monumentum relinqueret, Catacrianos libros obscurissimos composuit. Neque tamen cum in Ciceronis ætatem urbanitatem compingo, illo solo illam censeri volo. Stultus enim est Doletus meritoque à Fr. Florido Sabino exagitatur, qui alios autores omnes præter Ciceronem stercus appellavit. Suæ etiam cæteris Veneres sunt, in quibus si dissimilitudo quædam apparet, ea tamen ita delectat, ut non dissimiles esse nolis. Ut vultuum, ita eloquentiæ varietas est, ita Oratorum & scriptorum, qui tamen suam sibi svavitatem, quamquam in diverso genere servant, & eodem tamen Urbanitatis colore orationem pingunt.

Ut vero non defuernt olim putidi Grammatici, qui Ciceronem, Virgiliumque sub censuram vocarint: ita & hodie, quod mireris, inventi, qui heroibus illis omnem invidiam supergressis malæ latinitatis dicam scribere non verentur. Quo nomine Richardum Pacæum Britannum Fr. Floridus Sabinus in eleganti illâ Apologia suâ reprehendit, ejusque calumnias contundit. Cui addi potuisset stultissimus ille veterum & recentiorum autorum Censor Verdierius, qui ut in omnibus aliqua, ita in Virgilio barbarismos sibi notasse visus est. In Ciceronem nostro quoque tempore ferociter adeò debacchati fuerunt inepti rhetorculi, non digni qui matulam illi porrigerent, imò ad triremes damnandi. Doctissimam

in illos invectivam vide apud Inchoferum Hist. Sacr. latinit. lib. 2. cap. 15. In hoc tamen solœcismos quidam deprehendere sibi visi sunt. Notavit id Erasmus lib. 28. Epist. 8. pag. 1646. lit. F. edit. Londin. Manutius quoque in Cicerone ferendum esse solœcismum ait, si vetera exemplaria consentiant. Sed veros Henricus Stephani in *suo Pseudo-Cicerone* solœcismos Ciceronis non admittit, nisi forte ubi is vehementi dicendi vel scribendi impetu præter opinionem abreptus: imo multis ostendit exemplis, archaismos, solœcismos vel insolentes loquendi modos non inveniri in Cicerone, nisi qui per Criticorum & librariorum negligentiam & audaciam eò irrepserint. Occurrunt tamen apud illum voces minus usitatæ. Jampridem Statilius singularem de singularibus Ciceronis librum conscripserat, & ostendit ille Index Grammaticus, quem Gruterus operi Ciceroniano subjecit, quam multis ille usus fuerit vocibus & phrasibus, quas apud alios non facile invenias, quibus uti nunc non adeò conveniat. Budæus, sed ille mirè ἑλληνομανὴς, & ut omnium Latinorum ita & Ciceronis contemptor, Ciceroni νεωτερισμοὺς objecit in Comm. Gr. Ling. pag. 1019. cujus tamen ipsius ob crebras verborum conversiones minime Romana dictio est, ut jam supra diximus. Non est ingenio in his indulgendum, adeòque quod antiquis non licuit, multò minus licet recentioribus, qui Analogiam secuti licentiam sibi sæpe sumunt nova formandi vocabula. Quâ in re supra modum facilis est Q. Marius Corradus, qui in libro *de Copia latini sermonis lib. 2. pag. 52. & seqq.* indiculum verborum nectit, quibus nos sine vitio uti posse autumat, Vir alioquin puræ satis latinitatis. Verum illius neutiquam probanda est sententia, quam Vir in his literis summus Olaus Borrichius in *cogitat. de Ætat. Latinæ linguæ, in verbo Puritas*, optimis & rationibus & exemplis refutavit. Reperti sunt inter recentiores Grammaticos, qui etiam in Romanis scriptoribus peregrinitates notare voluerunt. Quanta Scioppii audacia est, qui in Scaligero pro solœcismo reprehendit: *Quam à multis jam annis capite & fortunis oppugnarat:* neminemque sic locutum ait, præter Q. Metellum Celerem, hominem & arrogantem plus satis, & in sermone non satis neque proprietatis neque elegantiæ studiosum. Sunt vero hæc verba Metelli apud Ciceronem lib. V. familiar. Epist. 1. *Nec Metellum ob dictum capite & fortunis per te oppugnatum iri.* A Scioppio igitur jam discet Metellus homo Romanus, quomodo propriè & Romanè loquatur. Quis ille stupor, imo potius, quis furor est! Vulgatissima enim loquendi ratio est, ut multis exemplis adversus Scioppium ostendit Gronovius *observat. libro 4. cap. 13.* Neque multo felicior ille est in Peregrinitatis Exemplis, quæ judicio de stylo Historico inseruit: in quibus, ut cætera prætercam, Græcismum hunc Casauboni, ut

nullo

nullo autore dictum, damnat: *desine querelarum*; cum eadem verba apud Horatium reperiri vel pueri sciant. Recensuit & Franc. Sanctius, longè Scioppio modestior & doctior, sub finem Minervæ suæ, quasdam peregrinitates. *Habere orationem dicimus*, non facere: *verba facere*, non agere: *agere gratias*, non facere: *fer opem dicimus*, da opem *non dicimus: dare verba usitatum est*, tradere, s. præbere verba, *inauditum. Quid dicam de illis qui sibi docti videntur & passim habentur. Quidam enim ex illis scripsit*: Vigilant milites in monte: *pro speculantur de monte*: tentat frangere aciem, *pro conatur aciem perrumpere*: dimisit suos milites, pro dimisit copias seu exercitum; *impedivit* commeatum, *pro interclusit*: victu carebat Cæsar, *pro re frumentariâ*: duxit vineas, *pro egit*: primi in consilio, *pro consilii principes*: reportarunt prædas: *pro egerunt*: milites monuit, *pro hortatus est*: signum facit, *pro signum dedit*, renovavit prælium: *pro restituit vel redintegravit*: aciem ordinavit, *pro instruxit*: redierunt milites, *pro receperunt se*: misit ad succurrendum, *pro misit subsidio*: fecerunt vim *pro impetum fecerunt*: magnis viis contendit, *pro magnis itineribus*: perdidit oportunitatem, *pro amisit occasionem. Sic loquuntur qui lingvam, non stylum exercent.* Bene hæc ab illo notata, sed tamen in iis nonnulla defendi possunt. Etsi enim non negem, in actibus civilibus phrases quasdam occurrere illis planè proprias, quibus eo sensu si non utaris, imperitè & impropriè loqueris: tamen temperandum hic est à decretoriâ sententiâ. Non enim omnia notari ab omnibus possunt.

Illud quoque lepidum est, illum Romanissimum Hypercriticum nostrum Pollionem à nonnullis sub Virgulam Censoriam vocari, & de verbis minus Romanis vel saltem asperis & novis reum peragi. Manutius ille est, qui Pollionis Epistolam, quæ XXXI. est lib. X. famil. interpretans, primum hæc verba: *Nam de legione trigesima tradenda quantas conciones habuerim* (ita enim legitur in antiquissimis Codicibus) *quid ego scribam!* reprehendit. Vox enim Conciones, qua hic utitur, quæque significare deberet vehementes literas, minus illi commoda videtur. Deinde in XXXIII. ejusdem libri epistola, vox PALMARER inaudita apud alios, Manutio reprehenditur. Locus ille est: *Neque ego non videbam, quanto usui Reipublicæ essem futurus, si ad Lepidum venissem: sed scribenti ad me ejusmodi literas, quas leges, & concionibus videlicet, quas Narbone habuisse dicitur, similes PALMARER necesse erat, si vellem commeatum, per ejus provincias iter faciens, habere.* Ita in omnibus antiquis libris scriptum fuit. Putat vero Manutius Palmari hîc idem esse quod Palpari, id est adulari, palmâ enim blandimur, item ut palpo. Henricus Stephani *in Pseudo Cicerone* suo à Pollione potius *palparer*, quam *palmarer* scriptum fuisse autumat, quod verbi *palmare* aliæ sint signi-

ficationes, quæ nihil cum illa verbi *palpari* significatione commune habent: quod vox composita *depalmare* arguit. Ridiculè, itaque ut putat, Φιλόκαινος fuerit Pollio, si cum usitatam vocem *palpari* in promptu haberet, unicâ literâ mutatâ longè petitam vocem afferre maluisset. Ideòque Victorius vocem *palparer* in editione retinuit, eamque suo calculo nuper probavit Cl. Grevius. In Cœlio quoque, cujus epistolæ Tullianis mixtæ, Manutius multa notavit non dura solum, sed durissima, quæ vix pro latino habere videtur, è quibus unum hoc, ut cætera prætereàm, *objurgatus* est pro *objurgavit*, quem tamen adversus ipsum defendit Henricus Stephani. Idem Manutius de Ciceronis filio judicat, non modo ab elegantiâ & copiâ, sed interdum etiam à proprietate paterni sermonis longè distare, è quibus forte illud est; lib. XVI. fam. *Cum omnia mea causa velles mihi successa, tum etiam tua.* Nec desunt è Criticis, qui verba illa *mihi successa* audacter tollunt: fortassis eodem modo vox *successa, a, um*, usurpata fuit, quo *defectus, a, um.* Sed caute iis vocibus utendum est, cum metus de exemplaribus corruptis cohibere nos debeat, neque insolens vocabulum, quod olim tanquam scopulum vitandum judicabant eloquentiæ magistri, etsi Ciceronianum, nos contra tanquam pretiosam gemmam consectabimur.

Accedit etiam, quod multa in Autoribus, ut jam supra monui, corrupit librariorum imperitia ac Grammaticorum & Criticorum audacia; ut non adeò firmum de singulis judicium institui possit. Sæpè in Codicibus occurrunt, è quibus nullus elici sensus possit, vocabula ita depravata, ut quid sibi velint ignores. Hic cum lectiones illæ qualescunque retinendæ essent, illi, ubi occurrit insolitum quid, statim hærere, verba mutare pro libitu, primò margini notare alia, quæ paulatim in sermonem ipsum irrepunt. Quod infinitis Ciceronis locis evenisse, demonstrat Henricus Stephani, ut è Cicerone demum factus sit Pseudo-Cicero. Atque ex his locis eorumque corruptione vocabula quæpiam, ceu vermes ex putredine, nata. Ex his lacunis hausit infelix Nizolius, qui tot barbara & illatina è corruptis Ciceronis exemplaribus collegit, quibus magnâ cum audaciâ Ciceroniani illi usi sunt, ut non exiguam illorum sylvam idem Henricus Stephani in suo Nizolio-Didascalo collegerit. Hujus farinæ sunt; *Facetosus*, *Multissimus*, *Complices*, *Capitulum*. Synonyma, antitheta, phrases ipsi sine judicio colliguntur, ut cum inter Synonyma vocis Magni ponit *Bonus* & *Insanus*, acsi sine discrimine illis uti possim: Ut, cum Cicero dixit insanas substructiones, ego *insanum hominem*, *insanam urbem*, pro magnis dicere me posse credam: Vel cum *bonam partem* pro magna dixerit Cicero, ego similiter in quacunque re magnâ hoc uti epi-

theto

theto possim. In hâc corrigendi audaciâ non Henrico Stephani tantum, sed & aliis Dionysius Lambinus male audit. Huic idem jungit Manutium ipso Lambino periculosiorem, qui multò plura loca correctionibus suis depravaverit, & minorem in Latinitate diligentiam ipso Manutio adhibuerit, cujus plurima illic adducuntur exempla. E quibus omnibus patet, qam difficile sit, de urbanitate vel peregrinitate alicujus autoris ferre judicium, cum non idem sit Autoribus in delectu verborum judicium, & pulchra nonnullis videantur, quæ aliis minus apta & decora. Ut vanus itaque labor omninò futurus sit, si esset in Liviô quicquam Patavinitatis, illam nunc nostro tempore à nasutissimis Sanctiis & Scioppiis, totâque Grammaticorum & Criticorum tribu, saltem quantum illa à Grammaticis dependet, indagari.

CAP. XIV.

Patavinitas Livii à recentioribus Latinis deprehendi non potest. Balzaci lusus in Barbonem Patavinitatem demonstraturum. Cl. Sarravio Patavinitas contemta. In urbe interdum plus peregrinitatis, & in provincialibus plus urbanitatis. Urbanitatis inepta affectatio. Theophrastus ex affectatione verbi Attici pro hospite habitus. Græci magni Atticarum vocum affectatores. Sophistæ ob eam causam irrisi. Apud Romanos quoque intempestivi verborum Romanorum antiquorum affectatores. Italorum recentiorum latinè scribentium Ρωμαιομανία. *Eorum erga Gallos & Italos fastidium. Inde orta illa Ciceronianorum* κακοζηλία. *Illi à viris doctis passim explosi. Itali vulgari linguâ scribentes mirè Florentinitatem affectant. Alberici Gentilis de illa censura.*

Cum adeò difficilis & incerta sit, inprimis si inter veteres autores comparatio instituatur, urbanitatis in verbis & phrasibus indagatio: quid est, quod Patavinitati amplius immoremur? Quæ si nec antiquis, præterquam maledico illi Pollioni, notari potuit, frustra nos erimus eâ de re solliciti, cum certi simus, nodum in scirpo quærere, qui istam in Livio venantur. Quare facetissimus Balzacus, Vir omnium elegantiarum, in lepidissimâ illâ Satyrâ Gallicâ suâ, quam in Rhetorculum & Magistellum Barbonem lusit, cum multos ejus χειμερινοὺς ὀνείρους salse exagitasset, inducit gloriantem: se monstraturum in Livio Patavinitatem illam, quam reprehendebat Pollio, & in quibusdam Senecæ Tragœdiis pingve illud Cordubensium Poëtarum, de quo olim

olim Cicero, & in Cicerone ipſo vitia illa quæ in eo Brutus animadvertit. Oſtendit & Cl. Sarravus Senator Pariſienſis, Vir ſummus, quam ille hanc Patavinitatem contemnat, in epiſtola qua J. Fr. Gronovio de edito Livio gratulatur, pag. 188. *Præcipuus tibi*, ait, *quanquam non ſolus ſcopus in textu emaculando, quod ſi quid video, ita magnificè præſtitiſti, ut jam Livium legamus. Livium, inquam, non autem inficetorum correctorum hariolationes: adeò penitisſime omnem ejus, quæcunque illa ſit,* Patavinitatem *imbibiſti & exhibuiſti.*

Ut itaque tandem hanc de Patavinitate commentationem abſolvamus, ac porrò declaremus, quam futiliter illa objiciatur Livio, ipſam urbanitatem, quæ in certis vocibus, & phraſibus conſiſtit, ejusque affectationem non eſſe ſine vitio, & olim plus urbanitatis extra urbem atque in provinciis ſæpe fuiſſe, quam in ipſa urbe oſtendemus. Quæ ſi vera ſunt, ut certe verisſima eſſe probabimus, Pollio cum ſua illa Patavinitate exſibilandus eſt. Eſt hæc urbanitatis affectatio & Urbanis & provincialibus propria. Hi enim cum familiare ſibi & gentile vitium objici ſciant, eò ſollicitiores in exuendo illo ſunt. Quare fit interdum, ut ipſos urbanos elegantia ſuperent, qui melius ſæpe & accuratius velut advenæ characteriſmos illos ſermonis obſervant; ut interdum nimiâ urbanitatis affectatione ſe prodant. Illi urbani, cum provinciales contemnant, ac ſibi in omnibus plaudant, ſuos ſæpe ſenſus ſequuntur, quæcunque etiam plebeja & exilia optimè dicta interpretabuntur: provincialium autem curam & induſtriam nitori ſermonis additam, ut ornatum aliquem peregrinum repudiabunt. Utrique in ipsâ urbanitatis affectatione plus peregrinitatis habent, quam qui ſui ſucci & ſaporis ſermonem formant. Theophraſto id accidiſſe meminimus, qui cum diu vixiſſet Athenis, atque ita loqueretur, ut à divinitate in dicendo nomen inveniſſet, Aniculæ tamen Athenienſi hoſpes viſus eſt, quod ut Quintilianus teſtatur, nimis loqueretur Atticè, etſi Cicero illum minus Atticè locutum dicat. Erat verò apud Græcos magna Atticarum vocum affectatio, quas ideo ſingularibus quibusdam Lexicis colligebant, ut eorum uſus promptior eſſet. Hinc Philoſtr. lib. de vit. Sophiſt. Critiæ ſtylum laudans ait: *ὥσπερ ἀκτίνων αὐγαὶ, τὰ Ἀττικὰ ὀνόματα διαφαίνεται τοῦ λόγου. Sicut radiorum fulgores, ſic Attica verba in oratione relucent.* Platonis eloquentiam laudat Lucianus, cum vocat *καλλιφωνίαν δεινῶς ἀττικὴν, καὶ τὸ κεχαρισμένον, καὶ πειθοῦς μεστόν.* Quoniam vero Sophiſtæ tum demum pulchrè ſe dicere putarent, ſi Atticas voces ſermoni immiſcerent, factum eſt, ut à prudentioribus riderentur. Hinc Plutarchus vocat hoc *νόσημα* lib. de audit: & Philoſtratus barbarum, intemperanter & nimium uti Atticis. Lucianus vero, ut pro more ſuo

ſannis

ſannis quibusdam exagitaret, in Ῥητ. διδασκ. Sophiſtis ſuis ſvadet, ut ſibi verba quædam Attica ſeligant, ac ſemper in ore habeant: ἔπειτα πέντε καὶ δεκά πȣ ἢ ȣ̓ πλείωγε τ̃ εἴκοσιν ἄτλικα ὀνόματα συλλέξας, τὸ ἄτλα, καὶ κᾆτλα, καὶ μῶν, καὶ λῷστε, καὶ ἀμεγέπῃ. Extat elegans Ammiani ſuper hos Atticiſſantes Rhetorculos Epigramma lib. 2. Epigrammatum Græcorum à Brodæo collectorum pag. 237. ubi illa verba recenſet:

Καὶ ταυτὶ καὶ μῶν, καὶ πετλερᾷκοντα, καὶ ἄτλα
σκεψάμενος καὶ τοι νὴ δία, καὶ μά δία.

& aliud Anthol. lib. 2. cap. 51.

Ὠ'γαθὲ, καὶ μῶν ȣ̓ν, καὶ πεῖ δὴ, καὶ πόθεν ὦ τᾶν,
καὶ θαμά, καὶ φέρε δὴ, καὶ κομιδῆ, καὶ ἴθι,
καὶ ςόλιον, μάλιον, πωγώνιον, ὤμιταμ ἔξω,
ἐκ τȣ́των ἡ νῦν εὐδοκιμεῖ σοφία.

Fuiſſe & apud Romanos intempeſtivos tales veterum Romanarum vocum ad ipſam usque ruſticitatem affectatores, jam ſupra diximus. Saluſtium imprimis ideo exagitavit Pollio, quod antiquiores voces ſeligeret. E M. Catonis commentariis verba excerpſit, & velut breviarium ad uſum proprium habuit. Hinc Lenæus Pompeii M. Libertus priſcorum & Catonis verborum furem ineruditisſimum appellavit. Idem quoque in Antonio Octavius Auguſtus reprehendit, quem inſanientem vocat, quod ea ſcribere vellet, quæ mirarentur potius homines, quam quæ intelligerent. Ciceronis æquales antiqua omnia laudabant, & Cicero, ut erat æquius, ſui temporis eloquentiam anteponebat, ut ait Aut. Dial. de Oratoribus. Idem cum nonnulla reprehenderet in Cicerone, ſubjicit: *Sola mirantur atque exprimunt hi, qui ſe antiquos oratores vocant. Verſantur vobis ob oculos, qui Lucilium pro Horatio & Lucretium pro Virgilio legunt, quibus eloquentia tui Aufidii Baſſi, aut Servilii Noviani, ex comparatione Siſennæ aut Varronis, ſordet.* Major tamen fuit Italorum literis renaſcentibus Ῥωμαιομανία. Quippe qui, ubi primi ad literas Latinas reſuſcitandas manus admoviſſent, neminem mortalium in hujus gloriæ ſocietatem admittere voluerunt. Tanto enim faſtidio omnia transalpina & peregrina exceperunt, ut optima quæque, & Italicis cultiora, ipſis ſorderent. Queruntur de illo Italorum faſtidio & ſupercilio pasſim Galli. Ac Germani quoque iniquè ab illis habiti, de quibus nunc prolixius diſſerendi locus non eſt, cum peculiari Diſſertationi de Germanorum meritis literariis hæc reſervemus. Illud ſanè lepidum eſt, quod Georgio Fabricio Patavii eximiam latine loquendi peritiam in Melanchthone dilaudanti Lazarus Bonamicus reſpondit: *Profecto*

ille homo incipit loqui : quasi Melanchthon, si cum Italis conferatur, tantum balbutiat, cujus tamen latinitas adeo nitida & pura est, ut majorem, quam illa Italorum dictio, ingenuitatem & ἀφέλειαν spiret. Quare & Galli Italos, ob hunc fastum ridiculos, non raro exagitant, ut Henr. Stephani in suo Pseudo-Cicerone pag. 85. Victorium, qui Turnebi adversaria vellicaverat. Ita enim H. Stephan: *Si fuisset ostentator Turnebus, ut ille, qui eum per contemtum Cisalpinum nescio quem appellat, & aquè verbosus, atque is Variarum Lectionum scriptor, de cujus loquacitate memini te aliquando questum esse, ita suos Adversariorum libros dilatare potuisset, ut quatuor mulos onerarent.*

Atque is ipse Victorius, quod mirere, non in sui tantum temporis scriptores, sed & in vetustos arrogantissimam sibi censuram arrogavit : nam teste Balzaco *Opusculis Gall. diversis Diss. 6. cui titulus, les Passages defendus* in quodam super Aristotelis librum commentario, Virgilium reprehendit, quod proprietatem verborum non observarit, quodque minus purè & Latine scribat, quam Lucretius, de quo tamen Quintilianus judicarat, ex illo formari non posse phrasin seu corpus eloquentiæ. Itaque de illo Balzacus: *Ce commentateur chagrin intente une procés contre un possession de seize cens ans, & ne considere ny la faveur d' Auguste, ny l' amitié de Mecenas, ny les applaudissemens de tous les siecles, ny toutes les voix de la Renommée, qui donnent gaigné à sa partie.* Refert eodem in loco Balzacus alium quendam ejus loci delicatulum, cum existimaret primam linguæ corruptionem incepisse in Ovidio, lib. Metamorphoseon, ut fabulas tamen sciret, in vernaculam linguam convertendos curasse, ne aliquod è latinitate Ovidianâ contagium contraheret filius. Narrat & eandem historiolam Hercules Ciofanius præf. in Metam. Ovid. Fuit & Academicus quidam Romanus, eodem Balzaco teste, qui in Barclaji Argenide ostendere voluit, ut ipse loquitur, *quinze cens Improprietés de conte fait, & je nesçay combien de pechés originels, & de locutions estrangeres.* Ex hâc Italorum superstitione Balzacus adeò se anxium in Gallico sermone factum scribit, ut pene omnia, quæ legeret, Gasconisinis infecta crederet. *En François* (inquit) *tout m' estoit suspect. Sur chaque mot d' un Escrivain de Province je consultois l' oreille d' un habitant de Paris.*

Ex hâc Ῥωμαιομανίᾳ & fastu Italorum, qui linguam latinam non virili judicio, sed nescio qua puerili imitatione æstimarent, in verbis solis hærentes, at in rebus jejuni, orti sunt illi, qui se Ciceronianos nominabant, & nulla nisi Ciceronis verba, cujus tamen eloquentiæ vim non capiebant, in oratione admittere volebant. Qui cum maximè Urbani haberi cupiebant, facti sunt plusquam oppidani & planè lutulenti. Nam & de Ciceronianis

nianis vocibus & phrasibus non rectum formabant judicium, ut qui corruptis uterentur exemplaribus & lacinias quasdam formularum è Cicerone contexebant, cum Ciceronem illo divinæ eloquentiæ vigore & spiritu exprimere deberent. Hinc menses in unam epistolam scribendam impendebant; nisi cavillantur Erasmus & Scioppius. Commovit illa res Erasmum, ut Ciceronianum suum scriberet, quo nomine præter meritum ille à Scaligero exagitatus. Infinitos eorum errores, ut jam suprà diximus, Henricus Stephani in *Pseudo-Cicerone* suo & *Nizoliodidascalo*, ostendit. Eosdem, ut multos nunc alios prætermittam, Taubmannus in tractatu de linguâ latinâ dignè excepit: inter quos tamen aliqui, non satis idonei judices, ita adversus Ciceronianos pugnant, ut Ciceronis ipsius causam prodant.

Non minus hic in vulgari suâ linguâ insaniunt Itali, in quâ & ipsi Florentinas voces singulari curâ infarcire sermoni suo, atque in iis velut in mustaceo laureolam quærere consveverunt, ut jam supra cap. 7. docuimus. Idem de iis testatur Albericus Gentilis libro de actoribus fabular. cap. 17. eoque nomine eos quam maxime reprehendit. *Tantum abest ut probare Florentinos aliquos nunc possis, qui nolunt Italum loqui, nisi quod Boccacius & Petrarcha, & unus præterea atque alter locuti sunt olim. Stulti! An quia lingua eorum est Attica, cæteris nobilior, non propterea aut Umbra, aut Picena, aut alia est Italica? Thuscus, Sabinus, Prænestinus sermo reprehensus, & Patavinitas; ego omnia Italica pro Romanis habeo. Sic Quintilianus, qui sapit aliquantum supra nuperos Florentinos. Sermonis nostri oculos Virgilium & Ciceronem dicit Petrarcha, & nos si cum his oculis cernimus, non ultra Florentinum horizontem cernamus? Etiam in epico carmine (epicum Tassi poëma, cui invident, hos commovit in tam absurdam opinionem) non licet loqui nisi Thuscè, & quemadmodum seniores illi locuti sunt? Diversum Aristoteles de epico habet in poëticis. Et sic igitur Attica nostra lingua Thusca & singulis collata præstet. Sed & Jonica & Dorica & Æolica & aliæ Græcæ sunt, quibus uti scriptores optimi possint, & communis itaque ipsique Atticæ antistet, & Italica communis antistet Thuscæ.* Hæc de Italis Gentilis. Ac pene Germanos nostros similis aliquando hæresis occupavit, qui vel unius gentis idiotismos sibi exprimendos proposuerunt, vel obsoletas aliquas aut novas voces assumpserunt. De quibus alibi prolixius.

Cap. XV.

Utrum in Urbe, an extra urbem peregrinitati occasio data, quæsitum. In urbem confluxerunt omnia peregrina. Ergo & in urbe peregrinitas. Provinciales

ciales sæpe sono magis quam Idiotiſmo à Romanis diſcrepabant. Provincialibus etiam cultiſſimi ſermonis uſus fuit. Familiæ Romanæ per totum orbem Romanum diſperſæ. Galli magno latinitatis ſtudio ducebantur. Hiſpani Romanam linguam cum oblivione ſuæ recipiebant. Latinus ſermo in Hiſpanâ etiam plebe publicus. Conciones latinæ ad populum Hiſpanum habitæ. Inſcriptio Emporitana de receptione linguæ latinæ. Quintilianus, Antonius Julianus præclari ex Hiſpanis eloquentiæ magiſtri. Juliani lepidem pro Latinitate cum Græculis certamen. Columella, Latro Porcius, Hiſpani, in linguâ cultisſimi. Noſtrorum temporum aliqua monumenta cum Romanâ latinitate certare poſſunt. Luxus, faſtidium & ignavia Romanorum inducta peregrinitatis potiores cauſæ.

NOn eſt porro ita intra Romanos carceres iſta coërcenda urbanitas, ut nec extra Urbem illa locum invenerit: vel illic ſolum quâdam velut peſte afflata fuerit: extra Romam omnia corrupta & barbara, intra illam omnia ſincera, genuina & nitida olim extiterint. Minimè profecto:

Romanos intra muros peccatur & extra,

ac fortasſis citius illa intra urbem corruptela orta fuit, quam in provinciis. Cum enim Romam velut ad ſcopum quendam omnes gentes tenderent, quo frequentior illic omnium populorum confluxus fuit, eò plus ſordium intra Romam receptum fuiſſe credibile eſt. Quemadmodum cum in unum aliquem alveum multis canalibus impuri latices derivantur, alveum ipſum magis inquinatum eſſe neceſſe eſt, quam cæteri latices. Innuit certè hoc Dionyſ. lib. 1. Antiq. cum ait: *Mirum videri posſit, quomodo ea civitas penitus non barbara fuerit reddita.* Cui conſonat illud Iſidori lib. 1. Orig. cap. de Barbariſm. *Una quæque gens facta Romanorum, cum ſuis opibus, vitia quoque & verborum & morum Romam transmiſit.* Ut itaque hic de illis quodam modo liceat dicere, quod de aliis vitiis Aut. Dial. de Oratoribus. *Hæc mala primum in urbe nata, mox per Italiam fuſa, jam in provincias manant.* In urbe primum civitate donata, quæ è provinciis in urbem pervenerant. Nam cum provinciales plerumque id operam dare ſoleant, ut ad urbanorum linguam & eloquentiam, quoad ejus fieri poteſt, ſua componant, & præterea omnis ille urbis cultus & nitor, illi mores urbani amplâ ſplendidâque agendi dignitate compoſiti, aliaque ſenſim in orationem irrepunt: non illi ſoli onerandi hoc crimine ſunt, cum in partem & fortasſis maximam plebs urbana veniat, Patricii verò & homines principes facilè ſuâ autoritate hoſpites in ordinem redigant. Neque enim nunc ideo Lutetiæ Pariſiorum minus nitidus eſt ſermo Gallicus, quod tot provincialium illic confluxus ſit. Voces Oratorum publicæ, & librorum monumenta facile

le illam integritatem conſervant, atque ipſis illis oppidanis exemplo ſunt. Neque adeò ſolet linguæ diverſitate hic, quam vocis ſono peccari, qui cuique genti quaſi à natura inſitus. Et hunc interdum magis formidant delicatæ urbanorum aures, quam voces ipſas inconditas. Atque ita ſono diſcrepaſſe provinciales, Ciceroni aliisque notatum eſt, & nos jam ſupra oſtendimus. Quâ inductus ratione Pignorius Patavinitatem, alicujus ſoni à Ramana diſcrepantiam, definire volebat, Quintiliani quodam loco invitatus, qui è Pediano cognoverat, Livium lit. E pro literà I uſum. Cujus ſententiæ vanitatem ſatis deduximus. Nam non Patavinis tantum ſed & quibusvis aliis, etiam Romanis, illa literarum mutatio in uſu fuit. Teſtaturque ipſe Cicero 3. de Oratore, Sulpicium Cottam imitatum jota literam tollere, & E plenisſimum dicere.

Quis porrò non crediderit, illo tempore, quo regnabat maximè Romæ urbanitas, provincias omnes etiam ſermone fuiſſe cultisſimas. Propagarunt illum coloniæ. Ludi apud illos plurimi & quidem magnâ cum curâ inſtituti. Gallia, Hiſpania, Græcia, Illyricum, totus Imperii Romani orbis, conſitus fuit gentibus Romanis. Nulla, dicere auſim, gens nominis Latini in toto Romano imperio fuit, quæ non ex urbanis oriunda ſit per clientelas in provincias & exteras nationes propagata. Teſtabitur in Inſcriptionum corpore Index nominum propriorum, ubi multas gentes cum agnominibus ſuis in Galliâ, Hiſpaniâ, Græciâ invenimus. Etſi è tam vaſto numero earum, quæ perierunt, paucarum tantum ſupereſt memoria. Quis neſcit, quam magnus ſaltem in Galliâ & Hiſpania Inſcriptionum numerus ſit, quarum aliquæ in lucem erutæ, longè plures temporum injuriâ periere? Ideòque non omnia ſtatim peregrina, quæ è provinciis, habenda.

De Gallia nemini ſupereſſe dubium poteſt. Nam Ciſalpina, quæ Togatæ nomine venit, & diu Latinâ lingvâ uſa eſt, præclaros Oratores dedit, Italiæ legibus ac inſtitutis formata, ut Dionyſius ſcribit. De Gallis Braccatis, qui Narbonenſes dicuntur, Strabo teſtis eſt libro 4. *non eſſe barbaros, ſed plerosq; jam omnes Romanam formam lingvamq; & vitæ rationom & civitatem adeptos*. E Gallia comata primores Romanam civitatem aſſecuti, teſte Tacito *Annal. lib. 11.* & ex illo tempore, moribus, artibus, affinitatibus Romanis mixti. Martialis quoque *lib. 7. Epigr. 87.* ſibi gratulatur, quod in Vienna, Galliæ Narbonenſis urbe, Romanorum coloniâ, ſua ab omnibus Carmina legantur:

Fertur habere meos, ſi vera eſt fama, libellos
Inter delicias pulchra Vienna ſuas.

Me-

Me legit omnis ibi senior juvenisque puerque
Et coram tetrico casta puella Viro.
Hoc ego maluerim, quam si mea Carmina cantant,
Qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt,
Quam meus Hispano si me Tagus impleat auro,
Pascat & Hybla meas, pascat Hymettus opes.
Non nihil ergo sumus, nec blandæ murmure lingvæ
Decipimur. Credam jam puto, Lause, tibi.

Jam supra etiam ostendimus, fuisse vel ante Ciceronis tempora insignes in Latinitate viros Gallos, qui publicos Romæ ludos aperuerint, è quibus omnibus patet, usum lingvæ Latinæ Gallis æque fuisse vernaculum, ac fuit Romæ, ac plures, viros quidem principes, urbanitatis studiosos, quam peregrinitate vernaculâ oblitos.

Ad Hispanos Latinæ lingvæ usum mature satis propagatum, ex Historia patet, quam adeò illic pervulgatam fuisse Strabo testis est, *ut nec sermonis quidem vernaculi memores fuerint*, illi maximè, qui ad Bætim habitarunt. Non sine causâ Horatius de Hispanis & Gallis Carminum suorum lectoribus gloriatur, cum suo tempore illa non solum Romæ, sed in provinciis cupide legerentur, è quibus monumentis illi lingvam urbanam etiam extra urbem perdiscere poterant. Ita verò ille *lib. 2. Od. 20.*

——— ——— *Me peritus*
Discet Iber, Rhodanique potor:

ubi Hispanos singulari epitheto *peritos* vocat, ut qui præ cæteris provincialibus, Romanis artibus & lingvâ imbuti. Vulgarem Hispanis lingvam Latinam fuisse vel ex eo patet, quod Cæsar, ut *lib. 2. de bello civili* refert, *habitâ concione Cordubæ omnibus gratias egerit, Civibus Romanis, quod oppidum in sua potestate studuissent habere: Hispanis, quod præsidia expulissent: Gaditanis, quod conatus adversariorum infregissent seseque in libertatem vindicassent.* Audita ergò & intellecta Hispanis Cæsaris oratio, qua latinius nil dici poterat. Testatur & Pollio epistolâ ad Ciceronem, quæ est in familiarium libro decimo trigesima prima, se Cordubæ conciones ad populum habuisse: *Illud me Cordubæ pro concione dixisse, nemo vocabit in dubium: Provinciam me nulli, nisi qui à Senatu missus fuisset, traditurum.* Lingvæ Romanæ apud Hispanos receptæ testimonium illustre est in quodam Lapide Emporitano. Urbs enim à Massiliensibus in Hispania condita Emporiæ, cujus meminit Strabo *lib. 3.* quæ partim Græcis, partim Hispanis, partim Romanis constitit. Ita verò habet Inscriptio:

EMPO-

EMPORITANI POPULI GRÆCI
HOC TEMPLUM SUB NOMINE
DIANÆ EPHESIÆ EO SECULO
CONDIDERE, QUO NEC RE-
LICTA GRÆCORUM LINGUA
NEC IDIOMATE PATRIÆ IBE-
RÆ RECEPTO IN MORES IN
LINGUAM IN JURA IN DITIO-
NEM CESSERE ROMANAM
M. CETEGO ET L. APRONIO
COSS.

Novi equidem, non genuinam hanc Inſcriptionem haberi: ſed ad probandum illud, quod volums, ſatis autoritatis habet. Licet enim non ſit antiquisſima, ſcripta tamen ab iis fuit, qui antiquitatis notitiam habuere, & ad quos rei hiſtoria per manus tradita, præſertim cum conſonent Hiſtorici. Nam Strabo teſtatur, Emporiis Dianam Epheſiam cultam, & Livius *lib. 34.* ſatis accuratè deſcribit, *quomodo in corpus unum confuſi omnes, Hiſpanis prius, poſtremo Græcis in civitatem Romanam adſcitis.* Non fuit porrò ex ulla gente felicior & eloquentior poſt Ciceronem eloquentiæ Magiſter, quam ex gente Hiſpanâ Quintilianus, qui Romæ publico ſtipendio eam artem profeſſus eſt: Meminit & Gellius Antonii Juliani, Hiſpani, qui Rhetor Romæ erat eumque *lib. 1. cap. 4.* ita deſcribit, *quod fuerit honeſti atq; amœni ingenii, doctrina quoque iſta utiliore ac delectabili, veterumq; elegantiarum cura & memoria multa, ſcriptaq; omnia antiquiora tam curioſè ſpectarit, aut virtutes penſitarit, ut judicium factum eſſe ad amusſim diceres.* Hujus ille Hiſpani certamen eruditum cum Aſiatico juvene aliisque Græculis, Latinis & Hiſpanis illudentibus *lib. 19. cap. 9.* recenſet. Poſtquam ille multa Sapphica & Anacreontica ceciniſſet, & Græculi Julianum tanquam barbarum & agreſtem, qui ortus terrâ Hiſpaniâ foret, laceſſerent, tum, ait Gellius, illum, pro lingvâ patriâ (ita Latinam vocat) tanquam pro aris & focis animo irritato indignabundum ita reſpondiſſe: *Ne Nos, id eſt, nomen Latinum, tanquam profeſtos quosdam & inſubidos ἀναφροδισίας condemnetis, permittite mihi, quæſo, operiri pallio caput, quod in parum pudica oratione Socratem feciſſe ajunt, & audite ac diſcite, noſtros quoque antiquiores ante eos, quos nominaſtis Poëtas, amaſios ac venereos fuiſſe.* Tum reſupinum capite velato, voce admodum quam ſvavi verſus

ait

ait ceciniſſe Valerii Æditui veteris Poëtæ, item Porcii Licinii, & Quinti Catulli, quibus mundius, venuſtius, limatius, presſius Græcum Latinumque nihil quicquam reperiatur. Videre ex illis exemplis licet, domeſticam Hiſpanis & patriam fuiſſe lingvam Latinam habitam, pro qua in acerrimam illam contentionem venire veritus non eſt Julianus, dignisſimus etiam ſuo tempore elegantiarum Romanarum præco & defenſor: nam urbanitati & nitori illum ſtuduiſſe ex autoribus illis, quorum carmina recitavit, notat. Annon & ex Hiſpanis Columella, etſi ætate poſterior, purisſimam & Romanam Latinitatem ſectatur in Ruſticis ſuis, ut præ ipſo Varro durus & ruſticus videatur? annon multa ille vocabula adducit latina, quibus populares ſui res ruſticas efferant? quod manifeſtum eſt indicium, etiam ruſticos Hiſpanos non aliam, quam lingvam Latinam locutos. Neque Latronis Portii Hiſpani Eloquentia hic ſilentio prætermittenda, quam Seneca in Procemio controverſiarum multis laudibus effert.

Denique, an non iis temporibus idem factum eſſe credi poteſt, quod nunc noſtro ſeculo contigiſſe videmus; Sunt Itali, Galli, Hiſpani, Germani, Scoti, Belgæ, qui adeò exquiſitam in monumentis ſuis Latinitatem oſtendunt, ut ipſa Roma antiqua nihil elegantius ſcribere potuerit, domeſticæ peregrinitatis nemo quicquam, licet oculatisſimus deprehendat. Ejus perquam multa poſſent exempla proferri, ſi eâ de re dubitare quis posſit. Quare non ſine cauſa Barthius judicat, eſſe inter recentiores noſtros, qui cum Romanis ipſis certare posſint, Romam autem jam declinantem multis paranſangis antecedant. Quod ſi id hodiè fit, cur non idem in Romanis fieri provinciis potuit, ut quos ſollicitiores in eo fuiſſe veroſimile eſt, ut ad faſtigium Romanæ eloquentiæ gradu proximo accederent.

Non ſola itaque Provincialium peregrinitas cauſa corruptæ eloquentiæ fuit, ſed domeſtica quædam urbanorum intemperies, & ut in rebus cæteris omnibus, ita & in ſermone, luxus & faſtidium imò & ignavia. Ea enim ingenii humani indoles eſt, ut optimarum etiam rerum, ſi quotidiana ſunt, nauſeam quandam concipiat, & ſemper novum aliquid, inauditum, inſolitum, admirabile, excelſum quærat. Quare ſtatim poſt Ciceronis tempora, ejus dictio minus nitida quibusdam viſa eſt, ortique fuerunt, qui ſententiarum argutiis ſe totos dederent. Tunc Cæſtii, inepti declamatoris, orationes Ciceronianis, indignante Seneca, prælatæ. Vide Procem. in lib. 3. controv. Multæ ſunt Senecæ in Procem I. Controv. ac alibi, Quintiliani in Inſtitutionibus, & in Dialogo de Oratoribus querelæ, de quâ re etiam nos pag. 547. egimus.

CAP. XVI.

Brevis eorum, quæ de Patavinitate Livii dicta sunt, Ανακεφαλαίωσις. *De Pollionis moroso ingenio nonnulla interseruntur. An Patavinitas Liviana in quibusdam idiotismis vel singularibus constiterit. Iniqui Livii censores, Erasmus, Joseph. Scaliger, Lipsius notantur. Erasmus maturiore ætate Livio æquior. Scaliger nimium ornatum in Livio reprehendit, atque in illo Patavinitatem consistere autumat. Grande dicendi genus si fuit in Livio, ornari volebat. Cæsaris Commentarii sine ornatu non implent omnia Historiæ requisita. Ciceronis judicium. An Liviani styli sublimitas oratoriam sublimitatem æquet?* περιττολογία *ineptè in Livio taxata. Brevitas & Celeritas styli historici. Patavinitas Livii in redundantia verborum nonnullis reponitur. Quintiliani de* μακρολογία *Livii judicium refellitur. Lipsii in Livium scommata retunduntur. Summa Livii virtus, ubertas. Benianæ calumniæ à Pignorio refutatæ. De versibus in Livianâ historiâ observatis judicia. An in Compositione verborum quædam reprehendenda? Censores veterum autorum denuo notati. Modestia illis commendata. Livii gloria Pollione omnibusque Censoribus superior. Finis operis.*

UT tandem manum de tabulâ tollamus, atque huic dissertationi nostræ, omni Patavinitatis suspicione discussâ, coronidem imponamus, primum quod à nobis dissertatum est, ad unam summam referemus, deinde si quid de Censuris in Livium audacioribus reliqui est, eâdem operâ discutiemus.

Non itaque vel in Pompeianarum partium studio, vel in Gallicæ nationis odio, vel in Patriarum laudum affectatione, non in Orthographiæ peregrinitate, sed in aliquo dictionis vitio, ista Pollioni Patavinitas consistere visa fuit. Qui cum ita de præstantissimo Historico judicaret, non rei veritate, sed invidia familiarique illa maledicentiâ, quâ erga omnes suos æquales usus est, ductus fuit. Qui enim Ciceroni, Salustio, Cæsari, Virgilio non pepercerat, qui teste Seneca procem. lib. 3. controvers. (illa enim superioribus nunc addimus) eâ ambitione laboravit, ut primus Romanorum advocatis hominibus sua scripta recitarit, qui naturæ adeo contumacis, ut cum fortuna etiam suâ rixaretur, quarto enim post filii obitum die declamaverat: qui Augusti ipsius amicitiam adeò vilipendebat, ut in gravissimo ejus luctu lætitiæ signa ederet: an is cum Livio humanius ageret? aut ejus gloriam æquo animo ferret? Quoniam verò occasionem huic calumniæ dederat illa, quæ inter Romanos & oppidanos notata

tata fuit ſermonis diſcrepantia; in quo Urbanitas & peregrinitas latinæ linguæ conſiſteret, diſquirendum erat. Erat vero urbani & oppidani ſermonis magna antiquis temporibus differentia, quæ cum incremento Romani imperii paulatim deſiit, exiguis remanentibus reliquiis. Urbanæ dictionis virtutes erant, quod perſpicua, morata, ſimplex, ſvavis, arguta. Peregrinitas vel è provinciis, Hiſpaniâ, Galliâ, Africa, in quibus lingua Latina præ cæteris floruit, vel è municipiis Italiæ & Latii in Romanam linguam illata. Quibus accedunt, quæ hodie è vernaculo ſermone à qualibet gente peregrinitates admitti ſolent. Fuerintne jam in Livii dictione, quæ peregrinitate aliqua Patavinâ Latinum ſermonem infuſcarint, id ut antiquis ipſis inquiſitu difficile, ita nobis longè difficillimum, qui non gentilem & domeſticum habemus, ſed lectione ſolâ linguam nobis latinam formamus. Etſi enim in Livio ſint quidam Idiotiſmi, ſcilicet ἴδια quædam, quæ apud alios non inveniantur, ita enim Patavinitatem Livianam doctiſſimus Cellarius in *Prolegomenis Curarum poſteriorum* intelligi voluit: Quo judice iſtos Idiotiſmos, quos non adeo multos eſſe arbitror, ut à purâ latinitate abhorrentes damnabimus? cum multa in ipſo Cicerone ſingularia occurrant, non temerè rejicienda, quod apud alios non legantur: quarum aliqua Andreas Schottus in *Nodis Ciceron. lib.3. cap.17.* notavit: quemadmodum & illa, quæ in Hygini Fabulis Munckerus aliique deprehenderunt, etſi primâ ſpecie inſolita videantur, non tamen ſtatim exturbanda, cum non pauca ex iis vindicarit Cl. Schefferus; neque ea ſit MStorum Codicum integritas, ut in illis ſemper acquieſcere poſſimus. Quod ſi ergo Livio aliquid Patavini adhæſit, mirum id videri poterat, quâ in ſolo Livio gentilem hanc labem notarit Pollio; cum cæteri tam aureæ, quam argenteæ ætatis ſcriptores pene omnes non Româ, ſed è provinciis oriundi, nihil hujus vitii contraxerint. Accedit adeò incertum Urbanitatis, ſi voces & phraſes ſpectes, judicium: in quâ cum veteres ipſi fluctuant, multò magis recentiores illi Cenſores fluctuabunt. Quæ urbanitas non ita intra urbem unam compingenda eſt, ut nulla ex ipsâ peregrinitas oriri potuerit: non ita provinciis in univerſum abjudicanda, quin in illis fuerint, qui ipſos urbanos urbanitate vincerent; Cum vel inter recentiores ſint, qui ſola Autorum Lectione eos in latinâ linguâ profectus fecerint, ut vel cum antiquis certare poſſint.

Faceſſat itaque hinc maledicus Pollio, & qui ipſo magis è recentioribus Criticis temerarii judices ſunt, & cenſuram ſuam ſine populi ſuffragio exercent. Equidem Viris ſummis talia nonnunquam excidiſſe doleo; ut Eraſmo, Scaligero, Lipſio. Ac Eraſmus quidem, qui primum in Ciceroniano ſuo in Pollionis partes conceſſerat, maturiore ætate, ut de Cicerone, ita

ita de Livio, rectius procul dubio sensit. Ita enim in Epistolâ ad Georgium Haloinum, quæ est libr. XII, 26. *Quod hactenus nemo tuo satisfacit animo, nec inter hos, qui scripserunt de ratione parandæ linguæ latinæ, nec ex his, qui nunc complures libris proditis testantur, quantum assecuti sint in Linguâ Latinâ, fortasse nec ipse Cicero satisfaciet animo tuo, ut non defuerunt, quibus Maro visus est solœcus, & barbarus Livius.* Josephus Scaliger suis in Manilium prolegomenis, quam à divini Parentis sui judicio discrepat! Nam cum ille se minus Romanè cum Livio, quam cum Pollione, ut is in fragmentis loquitur, loqui malle diceret; hic Pollionis sententiæ suum adjicere calculum non veretur: *Quemadmodum*, inquit, *aliud est ornatè loqui, alud purè: ita aliud est βαρβαρίζειν, aliud inconditè loqui; quod quidem multis imposuit, qui βαρβαρισμὸν vocant inconditum sermonem. Illa anus, quæ in Theophrasti sermone peregrinitatem notavit, magis Atticè, & minus ornatè, quam Theophrastus loqui potuit. Idem dicas de Livio: cujus dictio ornatior, quam Latinior illi Critico videbatur; qui Patavinitatem in eo animadvertebat.*

Sed quem ornatum hic Scaliger reprehendit, qui Romanum illum nitorem obfuscaret? An quod grande dicendi genus secutus est? hanc enim Patavinitatem interpretabatur Philelphus, *quod sc. Livius plerumque neglexerit sequi vulgare genus orationis, & se communis sensus consvetudini minus accommodaverit.* Quid Philelphus hic suâ censura velit, ipse, credo, non satis explicaret. Sed si grande in Livio dicendi genus est: an hinc ullum Latinæ linguæ vitium? Requirebat certè aliquid augusti argumenti majestas, neque satis ornabat historiam Romanam pura illa simplexque Cæsaris dictio, quæ ut Cicero ait, omni ornatu, quasi veste, detracta. Quæ etiam Fr. Florid. Sabin. lib. 1. Lect. subcisiv. cap. 2. sententia est: *Cum illos Commentariorum libros mundissimos credamus, virtutes tamen, quæ ab historico requiruntur, non exactè docent. Quid enim, si ducem apud milites concionantem exprimere cupias, an Cæsaris iter insistas? non opinor: cum nulla apud eum absoluta legatur oratio, quod est historico, ut si quid aliud, necessarium. Quid si rei difficultatem, horrorem, perturbationem & alia, quæ se scribenti offerunt, verborum structura, seu contextu ob legentis oculos ponere & facta, (ut ait Salustius,) dictis exæquare labores? an in Cæsaris commentarios intueberis? an non potius in duo historiæ Romanæ lumina Livium & Salustium?* Quare Cicero ipse, etsi præ manibus haberet Cæsaris commentarios, tamen hoc scriptionis genus apud Romanos non satis ornatum querebatur. Nam in I. de Legib. hæc ad Ciceronem ex Attici personâ dicta habentur: *Postulatur à te jam diu vel flagitatur potius historia. Sic enim putant, te illam tractante effici posse, ut in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus. Atque ut audias, quid ego ipse senti-*

sentiam, non solum mihi videris eorum studiis, qui literis delectantur, sed etiam patriæ debere hoc munus, ut ea, quæ satis per se est, per eundem te sit ornata. Potes autem tu profectò satisfacere in eâ, quippe cum sit opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc Oratorium maximè. Quod si ergo è Ciceronis sententia Oratorium maximè est, Historiam scribere, & ad orationem ornatus omnino requiratur; non potest à justo Historiæ corpore abesse ornatus. Ipsæ Ciceronis orationes annon sunt ornatissimæ? nihil tamen ille ornatus Latinæ linguæ derogat. Quare ineptè hæc tanquam contraria sibi opponit Scaliger.

Non probaverim tamen illud Andreæ Schotti, *lib. 1. Tullian. quæst. cap. 18.* qui Livium hoc grandi genere uti existimat, quo Cicero in orationibus utitur. Nam etsi Livius præ cæteris plenius rerum & factorum circumstantias recenset, variasque digressiones & descriptiones loci & temporis immiscet: ita tamen se gerit, ut historicum se esse meminerit, qui res gestas dilucidè, & quantâ fieri potest cum delectatione, enarrat; non vero omni amplificandi genere, factâ ubique morâ, exardet. Itaque in Concionibus rerum argumentis est densior, quam rerum ornamentis copiosior; ut rectè de eo judicavit Bucoldianus lib. 2. de Invent. & amplificat. orat. cap. 38. In omnibus ita se gerit Livius, ut de historico stylo præcepit Trapezunt. l. 5. Rhet. pag. 175. *Nullam, quæ ad rem pertinent, circumstantiam historicus relinquet, & cum nihil minutarum rerum etiam prætermittat, modum quoque ad unamquamq; rem adjiciet. Neq; tamen in singulis, ut oratores faciunt, immorabitur, sed singulorum expositione, non amplificatione consequetur, ut & res geri videatur, & affectus moveatur, ex quo fit, ut in hâc quoque minuta descriptione rerum ab historico genere, formâque narrationis non discedat, quam quidem descriptionem tum sc. latissimè occupabit, cum res magna acciderit.* Ita porro hoc grande dicendi genus in Livio circumscribit Trapezuntius, ut nunquam humilitate rerum demitti, nunquam magnitudine ulterius quam oporteat efferri, nunquam denique multitudine confundi judicet.

Inepti itaque sunt & nihil in eloquentiâ sapiunt, qui nescio quam in Livio πλεοσολογίαν damnant, quod etiam in Cicerone vitium à stultis hominibus reprehensum fuit, qui illam copiosè loquentem sapientiam non capiebant. Quod si quis Salustii historiam cum Livianâ conferre velit, ut erudite contulit Joannes Jovian. Pontanus in Actio Dialogo, satis quantum præ Salustiana brevitate decoris habeat Liviana copia, deprehendet. Argumento sanè differunt. Salustius flumen aliquod decurrit, Livius totum Oceanum pernavigat: Ut credam ego, Quintiliani judicium non vacare aliquo mendo, cum *lib. 2. cap. 5.* Salustium majoris historiæ autorem

torem vocat, quam Livium: ubi tamen Barthii emendatio *Adverſ. lib. 48. cap. 19.* mihi non ſatisfacit.

In illâ tamen ubertate quod mireris, non deſunt illæ Hiſtorici ſtyli virtutes, Brevitas & Celeritas, ſed ſuo dicendi generi accommodatæ. Nam etſi Saluſtius brevitate ſuperat Livium, tamen Livius in copioſâ oratione intra illos ſe fines continet, ne ultrà ubertatem hiſtorici ſtyli excurrat. Celeritas verò, γοργότης, brevitati quodammodo cognata, (nam in ipſa brevitate copiam quaſi continet, & in copia brevitatem præ ſe ferre videtur, eſtque brevis & accurata complexio, collectio ſive conglutinatio complurium ſimul rerum ac verborum & quaſi partium) adeò in Livio eſt mirabilis, ut ipſam rem ſubjicere oculis videatur, ut cum de Annibale: *Inhumana crudelitas, perfidia plusquam Punica, nihil veri, nihil ſancti; nullus deûm metus, nullum jusjurandum, nulla religio.* De hâc Celeritate pulchrè Pontanus: *Ut manus ad agendum, pedes ad inambulandum innitendumque multis pollent juncturis, ſic & ipſa celeritas ſuis articulis indefeſſa indefatigataque eſt.* Quæ ſermonis virtus cum mirificè narrationi inſerviat, cui à naturâ deſtinata videtur, cum & varietatem non ſolum, ſed & venuſtatem orationi conciliet, delirant profectò, qui inutilem hanc verborum coacervationem exiſtimant, easque ob cauſas περισσολογίαν & ſermonis redundantiam in Livio reprehendunt.

Sunt, qui in eo Patavinitatem illam conſiſtere autumant. Nam Franciſcus Motthæus Vayerus in libro Gallico de antiquis & præcipuis hiſtoricis hoc recenſet: *Quelques un penſe qu' elle conſiſtoit ſimplement en une repetion, ou plutoſt multiplicité de pluſieurs dictions ſynonymes dans une meſme periode, contre ce, qui ſe pratiquoit à Rome, ou l' on n' aimoit pas cette redondance, qui faiſoit remarquer les eſtrangeres.* Nemo non videt, ſtulta eſſe hæc & temeraria judicia, pari numero cum illa Caligulæ cenſura habenda, qui verboſum Livium vocabat, uti Virgilium tanquam nullius ingenii minimæque doctrinæ hominem arguit & de Homeri Carminibus abolendis cogitavit. Synonymorum ſanè coacervatio Romanis, Ciceroni imprimis, non inuſitata. Reprehendit & Quintilianus *lib. 3. cap. 3.* in ipſo μακρολογίαν cum ait *lib. 8.* *Legati non impetrata pace retro domum, unde venerant, abierunt;* cui non malè reſpondet Böclerus in de Eloq. Viri civilis: *longè differre interdum ſenſum ſcribentis à legente; atque ſicut magiſtris dicendi ſolenne eſt, omnia ad regulas artis usque ad minutias revocare: ita Scriptores de induſtria à præceptis, cum ratione, ad fiduciam & ſecuritatem quandam ſua ſtudia referre, denique ad venuſtatem orationis totius vix pertinere, ſi capillus non prorſus ad leges Geometricas ſit repoſitus.*

Quis ergò Lipſium, Virum quidem doctum, ſed minimè idoneum

harum rerum judicem ferat? qui *notis ad polit. lib. 1. cap. 9.* Livium supinum & frigidum, imò & ταυτόλογον, sententiis quidem bonum, sed non frequentem agnoscit. Ex Lipsii ingenio si veteres æstimari autores deberent, miram haberemus & nullius boni succi ac coloris eloquentiam. Quæ ille in Livio, ut vitia reprehendit, virtutes sunt. An ille in Livii vitiis tam acutum cernat, ut aquila aut serpens Epidaurius,

Cum sua pervideat oculis mala lippus inunctis.

Nisi enim omnia argutiis & minutis ac abruptis sententiis fracta fuerint, illi frigida erunt & ταυτόλογα: Cum nemo magis in illa brevitate frigidus & ταυτόλογος sit, quam Lipsius, & qui illum seqvuntur. Non est ineptus sententiarum ostentator Livius, sed quæ in illo latitent civilis prudentiæ oracula, abunde ostendit Machiavellus. In Lipsium, frequentiores in Livio sententias requirentem, optimè convenit, quod Cicero in Oratore suo de Thucydideis illis judicat, qui multas habent obscuras abditasque sententias, vix ut intelligantur. Quid illi in Livio laudabile videatur, qui etiam in Cæsare, scriptore purissimo, *Elect. 2. cap. 7.* multa otiosa, disjuncta, intricata, interpolata reperit, & in dictione ipsa spirare naribus suis auram illam puræ antiquitatis negat. Cujus culpam etsi in imperitos librarios confert, mirum tamen hic videri possit, adeò obesæ naris præ emunctæ naris Critico Lipsio fuisse cæteros, ut hanc ipsi auram non subolfacerent. Non malè adversus has similesque Lipsii calumnias Livium defendit Facius in Politicorum Livianorum prologo. Tantum ergò abest, ut περισσολογίας vitio notari oratio Liviana debeat, ut potius lacteam in illo ubertatem deprædicet Quintilianus, mare tranquillum vocet Cæsar Scaliger. Ubertate Quintilianus orationis amplitudinem commendat, cum lacteam vocat, candorem ac facilitatem ostendit. Mari Scaliger comparat, cum inexhaustam ejus ubertatem respicit: tranquillum appellat, ut demat vitia, quæ copiam haud rarò comitari solent.

Plura restant apud Benium in Livium scommata impune adeò à mordacissimo hoc homine sine pudore & ratione protrusa; ut vix sanæ mentis esse & furiis quibusdam agitatum credas. Quorum stultitiam dignis modis excepit Laurentius Pignorius in *Symb. Epist. epist. 44.* In quibus etiam futile hoc & nugatorium, quod in compositione verborum integris nonnunquam versibus utatur, quasi non infinita talia in omni scriptorum genere notari possint, quæ aliud agentibus exciderunt, neque tamen rectè versus vocantur, etsi pedibus certis constant. Nisi enim adsit numerus & concinnus vocum positus, vel aures accuratissimas effugiet. Eorum farrago colligitur apud *Barth. Adversarior. lib. 8. cap. 21. lib. 32. c. 4. lib. 31. cap. 17. lib. 41. cap. 22. lib. 16. cap. 14. lib. 11. cap. 16.* ac ipse non pauca exempla notavi.

Ac

Ac profecto verum est, quod Jol. Lud. Vives lib. 4. de causis corrupt. disc. ait: *Adhibeat quantamcunque operam & diligentiam quis volet, attentissimè se observet ipse custos sui, non poterit tamen versum effugere. Si quis maximorum autorum orationes excutiat, ex versibus, aut magna eorum parte, videbit omnia conflata, etiam notis, etiam sonoris magis, quam sunt trimetri jambici familiares fabulis.* Est verò multus illic in hoc argumento Vives, & plurimis tum rationibus, tum exemplis suam sententiam firmat. Frustra per hæc exempla Livius Poëtismi arguitur. Quousque Poëtæ cum Historico sit convenientia, jam supra diximus, & versus nonnunquam intermisti svavitatem sermoni conciliant, ut Hermog. *de Ideis lib. 2. cap. 4.* probat. Verum, ut ab historica abesse dictione debent, ita hi ne versuum quidem loco habendi sunt.

Exsibilandus itaque cum his suis argutatiunculis omnino est Benius, qui in primis illis Livii verbis, quæ versum Hexametrum nonnullis exprimere videntur: *Facturusne operæ pretium sim, si à primordio*, etiam phrasin illam *facere operæ pretium*, ut minus latinam reprehendit. In structura sermonis & in compositione verborum nescio quid eidem displicet: etsi enim è verborum non satis aptâ collocatione præcipuè peregrinitas inferri in sermonem possit, ut demonstrare voluit, qui de prærogativa Gallicæ lingvæ præ Latina dissertationem Gallicam ante aliquot annos scripsit: non video tamen, quibus in ordinem redigere rationibus Livium velit Benius, qui totâ suâ dissertatione id operam dat, ut cum ratione insaniat. De Livio quidem Böclerus in Eloq. Viri civilis: *Fortassis delicati oris limatique judicii politicus, etiamsi totum probet ametque Livium, non omnes periodorum structuras mensurasque interdum suo proposito existimabit conducere.* Verum hæc, ut opinor, Böclerus non ideò dicta vult, ut Livium ob malam verborum collocationem reprehendat, sed ut quædam in ipso non imitanda ostendat.

Valeant iniquissimi illi veterum Autorum censores, quales cum iis hominum monstris comparat Gellius *lib. 17. cap. 1.* qui de diis immortalibus impias opiniones prodiderunt; ac sibi illud Balzaci dictum putent: *speciem esse sacrilegii, non æstimare antiquos.* Cum enim summopere illis gratulari deberemus, quod è tam multis tempestatibus ad nos evaserint, in illos summè injurii & ingrati sumus, cum petulantissimis nostris censuris illos insectamur. Dissimulemus potius, occultemus, quoad fieri potest, errores magnorum hominum, ut Balzacus *sermon. 11. Gallico de spuriâ Criticâ* ait: vel saltem malo exemplo in publicum non proferamus. Tueamur nonnunquam illorum sententias, adversus oculorum nostrorum fidem, adversus Dialectices & Grammatices nostræ dubia, ita ut vel nullos in illis erro-

errores, vel pulchros esse ostendamus, & potius velut virtutes imperfectas veneremur, quam ut vitia damnemus. Vibrabimus in imperitos & acerbos illos censores, ut telum aliquod, Critici non solum clarissimi, sed & Viri eloquentissimi, Mureti *lib. 17. cap. 11. Var. Lect.* censuram: *Quod mihi interdum risum, interdum stomachum movet, obscuri homunciones reperiuntur, qui nobilissimos quosque scriptores, quosque tanquam in cœlo, ut ita dicam, merita collocarunt, in ordinem cogere, & de iis adversus tot seculorum sententiam judicare audeant. Alius Homerum damnat: alius in Virgilio multa reprehendit: alius præcepta Horatii de arte Poëticâ irridet: alius Ovidium ait nescisse latinè loqui: quasi nos hodie, quid sit latinè loqui, sciamus: alius alia, quorum me pudet pigetque. Miseri, quanto melius facerent, si ad res intelligendas, & ad virtutes eorum penitus cognoscendas, & quantum cujusque vires ferunt, imitando studium conferrent, quam nunc, cum canum lunam allatrantium more, ad quos aspicere non possunt, eorum famam lacerare contendunt. Neque negaverim, esse & in veteribus, quæ culpari possunt, homines enim fuerunt: sed, ut in formosis corporibus nævos notamus, non propterea totam formam despicimus: sic & in illis, si qua non placent, modestè notanda, non ipsos tribu movendos censeo. Modesta judicia fero: impudentiam & arrogantiam non fero.* Inculco denuò & repetens iterumque iterumque monebo, quod supra *cap. 2.* è Quint. *l. 10. c. 1.* adduximus: *Modestè & circumspecto judicio de magnis autoribus pronunciandum est; ne, quod plerumque accidit, damnent, quod non intelligunt. Ac si necesse est in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere, quam displicere maluerim.*

Hæc in omnes Veterum autorum immodestos Censores dicta, merito insidere omnium animis debent. Quibus enim non objurgationibus, quâ non procellâ verborum impia hæc capita obrui merentur? Nos Livii causam hâc dissertatione pro virili adversus Pollionem defendendam suscepimus. Qui etsi vivum Livium è Roma in Patavium relegare voluit; hic tamen etiam post fata perenni Romanæ Civitatis jure donatus immortales in orbe literato triumphos agit, cum Pollio, ex illa sua Roma in perpetuum pulsus exilium, inanem nominis sui & illaudatam tantum memoriam nobis reliquerit. Et hic quidem suos jamdudum passus est manes. Illustribus seculi nostri viris, si quid in Livium acerbius dixerint, condonandum arbitror. Reliquos illos Deos patellarios ac Criticastros, hesternos Livii nostri censores, cum Demetriis & Tigelliis Horatianis

Discipulorum inter jubeo plorare cathedras.

FINIS.

APPEN-

APPENDIX

Diſſertationum aliquot, quæ ab amicis, ut ederentur, ad nos pervenerunt.

AD LECTOREM.

QUas postremo hoc loco tecum communicamus, benevole Lector, Dissertatiunculas, & stylus, & rerum tractatio, & testimonia denique bonorum ac doctorum virorum, in quoram manibus hæ erant, Morhofio sine dubio asserunt. De Fragmento vero Dissert. de Merit. Germanor. ne dubitet quidem aliquis temerè, superstitibus tot ejus auditoribus: â quibus nisi, ut querebatur sæpius, fuisset, nescio quam ob rem, desertus, integram haberemus hanc Dissertationem. Plura de hac re dicere, nunc nihil attinet. Bibliopolæ hæc jam edenti, ne foliola ea perirent, subjici ista sic placuit. Laudabis, L. ejus minimum voluntatem, & hoc, quicquid est, cum reliquis boni consules. Vale.

DISSER-



DISSERTATIO
DE
QUINTA ESSENTIA CATHOLICO MORBORUM REMEDIO.

Cap. I.
Quod Morbi in Spiritibus consistant.

Quanquam disputatum toties probatumque à sagacioribus naturæ consultis sit, ad morbos rectè curandos egere nos spiritalibus quibusdam remediis, per artem chemicam, vel ex mineralium, vel vegetabilium ordine ad summam usq; & æthream quasi puritatem præparatis: Nihilominus surdo hactenus orbi narratur fabula, antiqvum obtinente Schola Galenica, ejusque sectatoribus, frustra reclamantibus iis, qui meliora docti sublimioribus præsidiis ad morbos profligandos utuntur. Adeò enim nullus vulgò remediorum delectus est, nulla puri ab impuro separatio, propinantur sexcenta inter se commista, cruda, impura, non fermentata, debili stomacho, cum tot cruditatibus infeliciter luctanti, inde citius sæpè ad mortem, quam sanitatem, via est. Meminisse verò boni illi viri debebant, morbos nostros, ut in spiritibus consistunt, ita spiritalibus egere remediis, quas QUINTAS Philosophi ESSENTIAS dixerunt: Cum illud demum, quod purum est & æthereum, in specie aliqua aptum natum sit operari in spiritus, eorumque affectiones; Impediat verò operationes illas crassa materiæ saburra, efficiatque, ut natura debilis, in extrahendo puro illo sibique applicando, occupata succumbat, quo sublevare labore eam artifex potuisset & debuisset. Huic communi pervulgatoque morbo, ut & nos ali-

quam paremus medicinam, conſtituimus de Quinta Eſſentia quædam commentari. Quod antequam facimus, demonſtrandum nobis eſt, *in ſpiritibus noſtris omne morborum genus conſiſtere*, & ab eorum prava diſpoſitione, debilitate, agitatione inordinata, corporis infirmitates, & ipſum naturæ ſenium, dependere.

Ac primum quidem ventriculus, illa concoctionis officina, vasque, ut ita loquar, corporis noſtri diſtillatorium, naturali ſuo fermento cibos ingeſtos digerit, purum ab impuro & fecibus ſeparat, & Chylum primo conficit, unde ſanguis paratur; In ipſo ſangvine maxime volatiles & ſpiritales partes alimento noſtro, ipſique vitæ calidique innati augmento impenduntur, unde omnes operationes noſtræ naturales dependent. Hinc educuntur Spiritus, qui præcipua inſtrumenta corporis, & facultatum ſedes, & vinculum ad obeundas actiones, & in cordis ſinubus, & arteriis, & ventriculis cerebri continentur, totumque adeo corpus pervadunt, movent, impellunt, vivificant. Spiritus ſunt qui nutriunt, qui homogenea attrahunt, heterogenea expellunt, qui purgant, corroborant; quoque potentiores ſunt, eò felicius expeditiusque miniſteria ſua abſoluunt. Quare quamdiu illi bene ſe habent, omnes corporis partes officium faciunt, juſtaque totius corporis temperies & ſanitas eſt: ſimul ac vero digeſtio debilis aut nimia eſt, cibi etiam in ſveti, crasſi, pingves, ſalſi, inſulſi, dulces, acidi, frigidi, calidi, flatulenti, nimii etiam & inordinati; humores generantur, putredines colliguntur, unde fætor afflat ſpiritus, & fuligine ſua luciditatem eorum tingit, quibus proin multum accedit impuri, quod ſecernere alias natura ordinariæ digeſtioni relicta conſveverat. Hinc convulſiones nervorum, dolores partium, tumores, ſtupores, torpores, ſomnolentiæ, febres, omneque morborum genus: qui eo ſunt atrociores & pertinaciores, quo illa intemperies ſpirituum per tempus aliquod continuata, novisque peccantis materiæ incrementis aucta in pejorem ſemper ſtatum deducitur. Hinc ipſæ animæ facultates impediuntur, quæ adeo connexæ ſunt ſpirituum operationibus, ut absque eorum miniſterio bonaque conſtitutione ſalvæ eſſe non posſint, unde Melancholia, furor, aliaque gravisſima animi pathemata ſæpe oriuntur. A caloris & ſpirituum debilitate ſenectus quoque, quæ ipſa morbus eſt, corpori accidit, pili caneſcunt, cutis corrugatur. Cum enim longo temporis curſu illa ætas ad frigiditatem & ſiccitatem inclinet, nutrimentum corrumpitur, ſangvis exiguus & phlegmaticus generatur, aggregantur humores multi, unde debilitantur ſpiritus. Et hæc quidem ab internis cauſis. Videmus & Spiritus ab externis cauſis affici gravisſimosque contrahere morbos, quales ſunt, qui ab afflatu venenati odoris in

in aëre corrupto, vel alia re infectâ contenti ſubito atque extempore nobis obveniunt. Nihil enim magis, quam fœtor & putridæ exhalationes, adverſatur ſpiritibus, aut vitalem illam flammam inficit. Ut enim bonus odor cibus eſt animæ, & nutrimentum quoddam & pabulum ſpirituum, cum quibus magnetiſmum quendam ſervat: ita fœtor omnis ſummè ab iis alienus, hoſtisque eorum juratus; de quo eleganter diſſerentem vide *Campanellam de ſenſu rerum lib. 6. cap. 6.* Hinc vel ſolo malignorum effluviorum odore vidimus aliquos lipothymiâ correptos, dolores capitis obortos, nauſeam, vomitus, tuſſes, ſingultus, vertiginem, epilepſiam, apoplexiam, dyſenteriam; quæ omnia ſexcentis confirmari exemplis poſſent, ſi inſtituti noſtri ratio pateretur. Sunt odores ſuffocantes, ſunt convulſivi, ſunt qui infatuant, ut in uteri affectibus ſæpe occurrit. Referre hic quoque poſſis animi pathemata: iram, invidiam, triſtitiam, metum, amorem, deſiderium, curas; quæ proverbio etiam cor edere, id eſt, ſpiritus vitales abſumere dicuntur; meditationes profundas, intenſas, continuas, item quæ ſenſibus externis adverſantur, quæ aſpectu horribilia. Sic ovem aliquando ob continuum ex lupi adſpectu metum, largè quamvis adminiſtrato pabulo, adeò emaciatam fuiſſe legimus, ut vix oſſibus hæreret. Spectant & huc labores & motus corporis continui & inſueti. Quæ omnia cum ſpiritus ſibi non ſufficientes exhauriant, vel inordinate moveant, neceſſe eſt, ſequi inde morbos & accelerari ſenectutem.

Nonnunquam è nimiâ ſpirituum copia, & eorum vehementi agitatione, ipſe furor provenit. Videmus etiam, à morſu canis rabidi, ſpirituum in cane inordinatos motus ſpiritibus corporis humani communicari, ut, niſi ſiſtatur frigidâ ſuffusâ furibundus ille motus, rabies ipſa ſequatur. Deinde quanta vis ſpirituum in morbis contrahendis ſit, abundè patet, ſi perſvaſionis vires conſideremus, de quibus omnibus fuſius nunc non differemus, cum voluminis potius, quam diſſertationis res eſſet, ſi per ſingula morborum genera vagaremur, eaque inſtituto noſtro accommodaremus.

Cap. II.

Quod Spiritalia remedia, quas Quintas Eſſentias dicimus, morbis adhibenda.

Quandoquidem ergo, ut in ſuperiori capite diximus, morbi corporum conſiſtunt in ſola ſpirituum diſpoſitione, videndum eſt,

eſt, ut talia illis remedia opponantur, quæ ſpiritalem habent potentiam & influxum, ut ita dicam, æthereum. De ſeminibus præclarè & ad rem appoſitè *Ariſtoteles de generatione animalium lib. 2. cap. 3.* Ineſt in ſemine omnium, quod facit, ut fœcunda ſint ſemina, videlicet, quod calor vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua eſt, ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur, & natura, quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondens elemento ſtellarum. Atque hæc illa natura eſt, quæ operatur, quæ in nobis *Calidum innatum* dicitur, in herbis aliiſque rebus puriſſima quædam eſſentia, per divinam chemiæ artem elicienda, ut remotis ſordibus & fecibus terreſtribus ſulphureque impuro, & purior ſit, & in operatione potentior. Cum enim nihil creet perfectum natura, ne quidem illa, quæ in nutrimentum cedere debent homini, niſi artis adjumento ad perfectionem deducantur, qualia ſunt panis, vinum, mel, & alia plura: ſimiliter facit & in medicamentis, quæ nobis cruda, indigeſta atque impura producit, à nobis ita elaboranda & ſubtilianda, ut, remotis corticibus & inutili ſaburra, purior illa & lucida pars, τὸ θεῖον, quod in unaquaque re inveſtigari debet, pro morborum curatione eliciatur. Facilè enim quivis intelligit, remedia, quo magis ad naturam ſpirituum, in quibus morbus eſt, accedunt, fortiora eſſe in operando, & eo magis morbo reſiſtere. Nam cum ex impuris ciborum elementis morbi ortum trahant, parum naturæ laboranti ſubſidii accedit, ſi impura relinquantur medicamenta, morbum potius auctura, quam ſpiritus in morbos armatura. Alchimia ſcilicet quaſi ventriculi vice fungitur, quæ corpora ſpecierum ſolvit, impura ſeparat, pura extrahit, atque adeo ad deſtinatam â natura perfectionem facillimè deducit. Quod ſi in cibis, qui ægro præparantur, illos præferimus, qui liquidi ſunt & ſpirituoſi, ne moleſta craſſiorum alimentorum concoctio ſit, cur idem in medicamentis non facimus, ut ſpirituoſas tantum partes, reliquis abjectis, propinemus? Ac videmus ſane in vulgatis etiam remediis, quæ extrinſecus corpori applicantur, ſanationem odoribus, id eſt, ſpiritalibus effluviis fieri. Videmus uteri affectus, dolores colicos, ſolis ungventis aliquando ſuperari, cum tamen non ungventum, ſed tantum ejus odor perſpiret atque intus agat. Ita quamvis Epilepticus nihil ſentiat, ſi vel ignis adhibeatur, ubi ſolis tamen odoribus cerebrum inunctum, morbus vel mitigatur, vel exaſperatur. Quin & ipſa medicamenta cruda in os adſumpta non niſi per odorem tenuiſſimoſque ſpiritus operantur. Quos ſi præparatos & perfectos quis propinet ægro, gaudebit natura, ſe multo compendio repeperiſſe illum liquorem, unde ſpiritus ſibi vitales roboret, & contra impuritates

tates circumfusas muniat. Habere ergò penè in instanti effectum medicina potest, cum alias non nisi longa mora, & sæpè frustra, ob ventriculi debilitatem cruditates admixtas non superantis, felix aliquis eventus sperari possit. Est præterea inter spiritus nostros & Quintam Essentiam tantus magnetismus tantaque similitudo, ut major esse non possit. Spiritus enim nostri sua quidem natura ætherei, puri, quanquam è putredine humorum orti fætores nebulam illis offundunt, unde morbi in corpore oriuntur, rebus incorruptibilibus, tanquam sui similibus, qualis Quinta Essentia est, servari debent, unde confirmati atque aucti majus contra morbos robur acquirant. Etenim, quoniam *mors & morbus nihil aliud est, quam corruptio vel transitus ad corruptionem*, ea præcaveri non potest, nisi per rem incorruptibilem, quæ & vitam servat & producit, & ratione similitudinis, quam habet cum spiritibus ac calore nostro, omnibus morbis contraria est. Præterea cum hæc medicina, quam describimus, sit separata ab omni materia elementali, & quasi anima è corpore suo sejuncta, facile sine impedimento vires suas exeret. Quare propter summam istam subtilitatem *Cœlum Philosophorum* à Philosophis dicta est. Quemadmodum enim cœlum & corpora cœlestia, quibus analogum vocabat spiritum *Aristoteles*, qui in seminibus rerum habitat, ut universalis causa influit in res omnes, ita hæc, ut *medicina universalis*, omnes alias incurabiles morbos sanat, & spiritibus nostris, quæ ejusdem naturæ ætheræ sunt, aggregatur. Quemadmodum etiam cœlum se habet ad quatuor elementa; ita & *hoc Cœlum Philosophorum* ad quatuor corporis humani, quod ex elementis compositum est, qualitates, *unde & Essentia Quinta dicitur:* Cujus appellationis rationes affert *Carolus à Petra Alba, lib. de Quinta essentia*.

CAP. III.

Quid sit illa Essentia, & quomodo præparetur.

AD Caput rei accedimus, quid sit QUINTA ESSENTIA, & quomodo præparetur dicturi. Malumus autem *Venerabilis Lullii*, summi in arte divina artificis, verbis, quàm nostris, ista describere. Ita vero ille, libro *de Conservatione vitæ & Quinta Essentia:* Quintam Essentam scito esse quintum rei cujuslibet, habentis formam & speciem,

&

& animam subtilissimam extractam à corpore suo, tanquam à materia crassiori, & superfluitate quatuor elementorum, subtilissimam & supremam distillationem, quæ mundo non innotuit. Quibus ultimis verbis præparandi modum innuit: nam in subtilissima & lentissima distillatione magna medicinæ pars posita est. *Carolus à Petra Alba lib. de Quinta Essentia* ita describit: Est cujusque alimenti & medicamenti cœlestis vis, arte chemica ab elementis, quantum fieri potest, depurata, ad virium conservationem, humanæ vitæ propagationem morborumque perniciosorum profligationem faciens. Atque ille alimentum jungit medicamento, ut demonstret similitudinem inter spiritus nostros & Quintam Essentiam. Rursus ille: Superioribus propositionibus probavimus, in omni mixto separationem fieri posse, & cum partes mixti tres sint, diximus facultatem specificam contineri in parte media, seu oleaginosa: quod si datur hæc separatio (ut verè datur) ut partes subtiliores separentur à crassioribus, ea pars, quæ prius extracta fuerit tenuis, poterit etiam magis attenuari per sublimationem, adeò fere, ut ad extremam tenuitatem & puritatem deveniat, & ulterius progredi non possit, nec magis ab arte attenuari & purior reddi, & hæc erit Quinta Essentia.

Extrahi Quinta Essentia ex omnibus vegetabilibus, imò & mineralibus potest, mediante alia Quinta Essentia, quæ *Mercurii vegetabilis* nomine quoque appellatur. Atque hic est pretiosissimus ille liquor, magna arte, subtilitate, industria præparatus, suavis, sine horribili & acuto vel sulphureo sapore, aut odore, ex se solo constans, nulla peregrina re admista, qui *cœli* nomine ob summam illam puritatem honoratus est â Philosophis. Is, cuicunque rei applicetur, per horarum aliquot spacium omnem adeò vim extrahit, ut fatuam terram, aut fœtores & impura sulphura post se relinquat, solamque purissimam æthercam & limpidissimam substantiam sibi associet. Cristallinæ enim puritatis omnes, quacunque ex re paraveris, essentiæ sunt, quod certissimum est verarum essentiarum argumentum. Namque cum color externus rei sit, & in sulphure impuro plerumque sedem suam habeat, remanet, nec à nobilissimo menstruo arripitur. Quid magis tingit, quam crocus: & Essentia tamen ejus cristallina est, perfectissimum habens & odorem & saporem croci, quod demonstrari à nobis ad oculum potest: Similiter se res habet cum cæteris rebus coloratis, à quibus Essentiæ parantur, ad splendorem usque perspicuæ & candidæ, & in omne ævum incorruptibiles, si benè tantum custodiantur, ne exspirent: Sunt enim summè volatiles. Lubet audire ea de re dissertantem *Lullium:* Porrò. Quinta Essentia rei mixtæ cum Quinta Essentia nostra convertitur in talem naturam, sicut res est, quæ sibi immittitur:

Si ſit calida, ſi frigida, ſi humida, ſi ſicca, ſi laxativa, ſi ſtyptica, vel cujusvis alterius complexionis, & odoris fuerit, & ſaporis, talis naturæ ſit, quia appetitum habet ad hanc complexionem, vel illam. Talem igitur Quintam Eſſentiam habebis, ſicut res, quam ſibi intromiſeris, talis odoris & ſaporis, complexionis, virtutis & operationis; & ſic cum una & eadem medicina diverſas operationes facies; ad quam non perveniet operator duræ cervicis: & ſic cum cœlo noſtro, ſeu mercurio vegetabili, cum ſtellis ſuis, quæ ſunt plantæ, lapides, & metalla, & cum omnibus iſtis in nobis vitam & ſalutem tuemur & procuramus per artem & naturam, quod reputabitur ad miraculum. Quæ omnia vera eſſe, noſtra nos docuit experientia; & gratias agimus DEO, quod tanto theſauro nos dignatus fuerit.

CAP. IV.

De Viribus & Uſu hujus medicinæ.

QUanquam è priori capite facilè intelligat prudens medicus, quid promittere ſibi ab æetherea hac medicina debeat, non tamen ab re erit, ſi pleniùs quædam de ejus viribus dicamus, atque ex *Lullio* eas præcipuè oſtendamus. Hæc Quinta Eſſentia, inquit ille, eſt valdè pretioſa ſuper omnes res pretioſas, & eſt valdè ſubtilis & penetrativa, ſupra omne, quodque ſubtile & penetrativum, quia ex nobili virtute & poteſtate ipſius valde penetrat, ſine læſione corporis, ſed potius cum confortatione ipſius eam ſuſcipientis, ſicut radii ſolis penetrant vitrum ſine fractione ipſius: ita ejus virtus penetrat totum corpus ſine læſione corporis, & cum eſt compoſita, eſt perfectior in qualitate & proprietate complexionis illius compoſiti, ex quo eſt compoſita: Quod ſi eſt compoſita ex compoſito calido & humido, habet virtutem & complexionem calidam & humidam; Si ex compoſito calido & ſicco, habet virtutem & complexionem calidam & ſiccam; & ſic de ſingulis qualitatibus elementorum. Hæc Quinta Eſſentia expellit omne nocivum à corde ſtatim, non ſolum à corde, ſed & à corpore, & cerebro, hepate, ſplene, & univerſaliter toto corpore humano, à planta pedis, usque ad verticem capitis: ipſa refrigerat, & calefacit, humectat & deſiccat, aperit & claudit, mundat & incarnat, conſolidat & conſervat omne quodque ab omni corruptione, & non ſinit ibi aliquod putridum generari, ubi

applicata fuerit: confortat intellectum, ad inveſtigandum res difficiles, & dat audaciam. Et alibi: DEus talem contulit virtutem generalitatis noſtræ Quintæ Eſſentiæ, ut nec intellectus humanus posſit capere, nec lingua narrare miraculoſas virtutes, quas DEus poſuit in noſtra Quinta Eſſentiâ, & inter omnes alias Quintas Eſſentias præcipuè valet ad ægros, de quorum vita ultimatè deſparatur, ita quod à medicis & vitæ actibus ſint derelicti in tantum, quod ſenſibus non utantur; his in tali caſu deſperato ſubvenimus, ut loquantur & vivant, niſi ſit ille terminus à DEo conſtitutus, & myſterium hujus ſecreti eſt, ut adhibeas ei Quintam Eſſentiam noſtram per ſe ſolam, & ſtatim intra modicum tempus reſurget vivus, dum in ſtomacho transglutiens influet cordi radium vitæ naturalis caloris, & in futuro videbis naturam reparatam. Hæc ille magnifice quidem, ſed verisſimè de Quinta Eſſentia ſua. Quod ſi quis jam ergo naturam morbi habeat cognitam, & ſimplicia illa, quæ ad curationem faciunt, facile parabit ſibi Quintas Eſſentias ex iis, quæ ad miraculum usque ſanabunt ægros. Adhiberi autem tam intus quam exterius poteſt, etiam in iis, quæ chirurgi manum requirunt. Novimus experientiâ noſtrâ, quod eryſipelas, & ſphacelus, morbi teterrimi, ſtatim curati ſint Quintâ hac Eſſentia, poſtquam certi alicujus mineralis tincturam extraxerat: Ea leniter loco affecto illita id efficit, ut viſibili pene fumo materia peccans abiret, & tumor recederet. Quod ſiquis ſpeciatim ſcire cupiat, quomodo in ſingulis procedendum, is adeat *Lullium*, qui *in libro ſecretorum, diſtinctione ſecunda*, prolixè & diſtinctè ea de re agit.

CAP. V.

De Antiquitate & dignitate hujus Medicinæ.

NE quis vero hanc ut novam & antiquis inuſitatam criminetur medicinam, atque adeo titulo magis ſpecioſam, quam re ipſa perfectam putet, ſciat aliquis, demonſtrare probabilibus nos argumentis poſſe, fuiſſe hanc jam tum ab omni ævo in uſu, & priſcis philoſophis Hermeticis notisſimam: quanquam fabularum & ænigmatum involucris eam æquè, ut *magni Elixiris philoſophici* præparationem, abſconderint; Neque enim, ab illa ſi diſceſſeris, ulla in tota rerum natura potentior medicina eſt: ne quid dicam de inſigni ejus in metalla etiam perfectisſima efficacia, quæ major eſt, quam credere quis poſſit: Quare non

non exiguum se thesaurum adeptum esse credat, qui ad hujus medicinæ sacra propius admissus est. Ut prætereamus ea, quæ *ex Ægyptiorum schola hieroglyphica* adferri poterant, sunt enim aliquantò remotiora, & accuratam rei ipsius explanationem postulant, jam inter antiquos philosophos & medicos *Athenæum* & *Archigenem* invenimus, quorum hæc fuit doctrina, spiritu solo omnia penetrante, tum naturalia consistere ac gubernari, tum morbos universos hoc prius offenso creari. Unde *pneumatici*, id est, spirituales, veluti qui spiritibus omnia tribuebant, nuncupati fuerunt. Novimus etiam secundum platonicorum doctrinam in rebus inveniri spiritum quendam medium, elementis præstantiorem quodammodo ac cœlestem, qui vivificandi & conversandi vim admirabilem habeat: qui spiritus, quanto puriori & subtiliori materiæ insit, tantò efficacior atque admirabilior sit. Vidimus etiam supra ex *Aristotele*, de spiritu, qui omnium rerum seminibus insit, qui proportione respondeat elemento stellarum. Et prodiit primum, si verum fateri velimus, è *Peripateticorum* schola Quintæ Essentiæ nomen: unde in chemicorum philosophiam transsumptum; quòd aptius & commodius nomen non invenerint, quod subtili & ætherex substantiæ imponerent. Deprehendit inter alios amicum hunc chemicorum & peripateticorum consensum, genere non minus, quam ingenii sublimitate illustris *Johannes Picus, Comes de Mirandula, lib. 2. de auro cap. 9.* Multi ex Peripateticis Quintæ fecere nomen Essentiæ, ut generalem causam tenerent, quemadmodum cœlum est causa, producere quoque moliti sunt terrosam materiam in pulverem calcis instar excoctam, diversaque subinde salis & olei paravere genera validæ potestatis, & fluxiorem materiam cogere in aquam sint adnixi, subtiliorem vero tenuissimos in vapores, & aëris & ignis æmulantes potestatem. *Zvvingerus, Commentario in lib. Hippocratis, Convenientissimam* vocat *Alchimiam.* Convenientissima, inquit ille, est Alchimia ipsis præceptis *Hippocratis*, cum illius beneficio facultatum potentiæ, remediorum nimirum, quæ solæ & unicæ in abigendis illis morborum potentiis insignem præstant operam, extrahuntur puræ atque integræ, ut medicus, juxta medendi, quam præscribit idem *Hippocrates*, methodum, tuto, efficaciter, atque jucunde possit mederi hominibus. Convenientiam cum præceptis *Hippocratis* tantum agnoscit *Zvvingerus*, quanquam non desint, qui *Hippocratem* chimicam calluisse artem, integris libris docere voluerunt. Clarissimus *Hieronymus Mercurialis, libro 3. de Composit. medicam:* quanquam veteres medicos, *Hippocratem* & *Galenum* arte hac atque præparatione caruisse credat, unam tamen ex iis artibus esse putat, quas significat *Aristoteles 1. Rhetoricorum*, quando dixit: multas superesse artes inveniendas & nondum inventas, quamque, si reviviscerent

 anti-


antiqui, invidere nobis deberent. Uterque vero, tam *Zvvingerus*, quam *Mercurialis*, graphicè & vivis plane coloribus iisdem in locis Eſſentiarum chemicarum rationem deſcribunt, ut mereantur hic audiri. Ille, nulla ex iis, inquit, quæ nos habemus alimenta & medicamenta, abſolutè calida ſunt, aut frigida, ſed ſimul dulcia, amara, acria; ſalſa, auſtera, inſipida: ſapores profecto, ut etiam colores &c. corpori ſimulari inſunt per omnia, in ſubſtantia tamen peculiari videntur conſiſtere: quæ tamen cum à reliquo corpore etiam per artem extrahi queat, tantopere laudatas illas eccriſes chymicas conſtituit naturalium ſeparationum, quæ in corporibus animalium quotidie fiunt, æmulas: ut proinde cum optima concoctio in corpore à calore fiat valido, purum ab impuro ſubtiliter ſeparante, optimus ſit coquus, qui *chylum elementarem, naturæ humanæ inimicum*, ignis & aquæ beneficio auferre, vel ſaltem attemperare novit, & optimus Jatrochemiſta, qui χυμὸν medicamentorum purum elicere, vim ejusdem impedientia removere, hebetantia & infrigidantia citra molem admiſcere poteſt. Sic *vini ſpiritus mole exiguus eſt*, qui inebriat, à reliquo avulſus corpore, ut in ventriculo naturali, ſic etiam artificiali. Sic ſcammonio vis ignea, opio vis narcotica, in impuriore corpore utraque poſita, demitur. Hactenus *Zvvingerus*. *Mercurialis* hæc habet: Vidi fornacem fabrefactam cum multis vaſis vitreis, in qua per cineres, & calore modico, variæ herbæ diſtillabantur, & aquæ illæ mirificè retinebant odorem & ſaporem & omnes qualitates herbarum: Si liceat tales habere, planè melius eſſet; ratio eſt, quia in decoctis licet habeamus facultates medicamentorum, adeſt tamen & alienum corpus, ſcilicet aqua, & aqua alterius quidem generis; in aquâ diſtillatâ non eſt aqua externa, ſed ſolum aqua illius corporis, ſuis qualitatibus, adeo ut clarum ſit, multo meliores & integriores ſervari vires in diſtillatis, quàm in decoctis. Hæc ille non parum ad Quintæ Eſſentiæ noſtræ dilucidationem facientia. Hanc antiquisſimam diximus, priſcisque Philoſophis notisſimam; cujus rei illuſtre argumentum eſt, quod apud Ægyptios, *apud quos antiquiſſima Chemiæ ſchola aperta fuit*, eam in uſu fuiſſe legimus, à quibus *cœli* appellatio primum ad recentiores Philoſophos devenit. Ita enim diſertis verbis *Kircherus, diligentisſimus rerum Ægyptiacarum ſcrutator, Oedipo Tomo 2. cap. 7. claſſe 10. de Alchimiâ Hieroglyphica*, ex Ægyptiorum & Arabum monumentis tradit: Diximus in præcedentibus, inquit, Ægyptios *Elixir* quoddam ex præſtantisſimis materiis extrahendi rationem quandam calluiſſe, quod & *Cœlum appellarunt*, ob ſummam ſubtilitatem & perfectionem, reperio. Hoc *Elixir* ſive *Quinta Eſſentia* tam eminentis virtutis erat, ut, cuicunque diſtillatæ ex quibusvis herbis aquæ affunderetur, virtutem

tutem ejusdem, quæ certum aliquod corporis membrum respiciebat, in decuplum augmentaret, verbi gratia: Si aquæ ex Hepaticæ extractæ apponeretur, illa aqua decuplo validiorem in hepatis cura efflectum præberet; eratque hæc aqua ad eam temperiem per continuas circulationes deducta, ut frigidis apposita decuplo ea frigidiora, calidis addita decuplo calidiora, siccis juncta decuplo sicciora, humidis denique admista decuplo ea humidiora efficeret. Quæ omnia fuse ex mente Ægyptiorum prosequitur *Balsan Arabs, in libro de Elixiris vitæ compositione.* Erat enim eximia hæc quædam panacea, & præstantissima corporis à qualicunque infirmitate immune conservandi, non medicina illa metallica auri multiplicativa: Atque hanc ego arbitror fuisse illam aquam admirabilem & plane cælestem, omnibus morbis profligandis aptam, quam & *Lapidem* dicebant, eo quod ex lapidibus pretiosissimis & miræ virtutis fuisset extracta, quam & *aquam vitæ, vegetabile naturæ semen, animam solarem*, similibusque Lapidi Hermetico impositis denominationibus, nuncupabant.

Quid potest addi tam luculento testimonio? quis non omnia illa accuratè convenire cum Lulliana descriptione videt? adeo, ut verba ipsa atque nomen Quintæ Essentiæ, quæ *cœlum* apud Ægyptios vocabatur, respondeat, easdem præterea vires ab Ægyptiis attributas videas, ut nec ovum esse ovo similius possit, quam hoc Ægyptiorum Elixir Quintæ Essentiæ nostræ. In hoc tamen fallitur *Kircherus* à transmutationis metallicæ doctrina alienior, quod arbitretur, Elixiri huic lapidis nomen datum fuisse, extra vero illud nulla in metallicis habuisse arcana Ægyptios arbitretur. Atque hæc de Quinta Essentia nostra dixisse sufficiat, quam res ipsa etiam loquitur. Nihil enim nimium diximus de facultatibus ejus mirabilibus; quanquam si dixissemus, mores imitati fuissemus veterum, qui vel *uni Theriacæ* tot tantasque dotes tribuerunt. Nihil prætereà vulgaribus medicis scripsimus, sed peritis naturæ indagatoribus, qui facile de viribus hujus medicinæ judicabunt: cæteros enim procul abesse ab his sacris jubemus.

FINIS.





EPISTOLA
quædam
MORHOFII,
Quâ Juvenem in Academia viventem hortatur abruptionem Disputationis de LATINITATE in DIGESTIS, de quâ ipsi lis erat cum Professoribus suis.

CUm aliquoties me monueris, ut schedulam, nisi fallor, disputationi oppositam, quæ tibi cum Dominis Professoribus de Latinitate Digestorum intercedebat, ostenderem; fecissem id lubens quidem, nisi dubia mihi suborta tecum prius communicanda duxerim. Quo ipso honori tuo consulere volui, ne, si hac in re erratum abs te fuerit, illi sinisterius de eruditione tua judicare, vel modestiam in te desiderare possent: Quod viris in re literaria haud paulo te, nisi fallor, versatioribus, & ipsi quidem Eloquentiæ Professori, genuinæ Latinitatis ignorantiam objecisse videaris. Differebatur: *An Digesta, quæ ex JCtorum antiquorum libris congesta*, genuinæ Latinitatis sint? ajebant id Domini Professores, nec ullus hactenus negavit, qui quidem in re literaria non hospes est. Negabas tu, vocato in testimonium Calvino, qui voces quasdam & phrases illatinas congesserit. Respondebatur tibi variè, interdùm depravatos fuisse textus, variasque lectiones probè considerandas, antequam de voce vel phrasi feratur judicium. Hinc syllabum vocum solœcarum, ut putas, submittis, quomodo sententiam tuam is stabilitum. Inscriptio hæc est: In Digestis multa reperiuntur contra Grammaticam. Quid si hoc tibi Domini Professores utraque manu largiantur, & tamen vincant? Quid si de Cicerone, aliisque optimis auctoribus, hæc asserere non vereantur? Quid si ex Quintiliano, ipsisque Grammaticis, tibi ostendant, aliud esse grammaticè, aliud latinè scribere, optimosque Grammaticos pessimos sæpè esse Oratores & Poëtas? Grammaticorum plerorumque, ne quid nescias, mi G. ineptum est & jejunum ingenium, quorum vita & spiritus omnis in regulis vertitur; ita non attendunt sæpè, quæ ab optimis

mis Auctoribus, & quomodo dicantur, dummodo isti axiomata forment, & pædagogiam suam exerceant. Malè profectò cum bonis Auctoribus ageretur, si sub eorum ferulas revocandi. Latiùs patet Latinitas, quàm ut exiguis includi queat præceptis. Minutis illa satrapis, pueris & pædagogis scribuntur, non eruditis, qui quotidiè quædam observant singularia in Auctoribus, nec Grammaticorum regulis communibus censenda, quorum justum, si opus esset, tibi indiculum texere liceret. In solo Cicerone olim tot singularia notavit Statilius, ut justum illi volumen conficerent. Censeri boni auctores non ex Grammaticis, sed hi ex illis, debent: quorum cum quatuor classes fecerint Philologi, JCti veteres si non primam omnes, ad secundam tamen plerique spectent. Et quis adeò est insanus, ut eos ex classe genuinorum scriptorum Latinorum proscriberet: tantùm abest, ut pauculæ hæ voces, quarum tamen dubia adhuc lectio est, & similia sexcenta, id efficiant, ut potius sinceræ antiquitatis argumentum præbeant rei literariæ peritis, omnibus licet sciolis & pædagogis reclamantibus, quibus statim in Barbarismos, & solæcismos reponitur, si quid à regulis suis alienum vident. Sunt tamen sæpè libri, describentium culpâ, sæpè depravati, integræ voces & sensus mutati; quod uti omnes Auctores saltem, ita hi quoque libri experiuntur, ut demonstrarunt viri eruditissimi, & ipsa codicum exempla loqvuntur, quæ omnia probè sunt perpendenda. Neque enim aliquis dictatoria ista voce, ut tu facis, pronunciare statim potest: *non variat lectio;* quod nec in ipsis criticorum principibus feram. Nec ullus temerè, te omnia perreptasse, quæ in omnibus Bibliothecis Manuscripta servantur, facilè tibi credet: præsertim, si in iis, quæ allegasti, mala fide versatum te intelligat. De voce *præstavit*, quæ leg. 36. §. 1. de Hered. petit. & de Voce, *fluerat*, quæ l. 56. §. 1. de Adquir. rer. domin. legitur, tu magnâ audaciâ dicis: *non variat lectio!* & tamen variare notat illam *Charondas.* Nam hic alii legunt *fluebat*, alii *fluxerat;* illic *prabuit.* Similiter pro *insidiaverint*, alii Codices legunt *insidiati erunt;* pro *tollisse*, *tulisse;* pro *fodiri*, *fodi*, quæ omnia si non ignorasse; vafre saltem te dissimulasse, quis suspicetur.

Excutiamus tamen singulas voces, & videamus, quo jure à te inter solæcas referantur: quamvis enim in pluribus variet lectio, demonstrabimus tamen, & ipsas dubias satis rectè se habere, & aliorum etiam auctoritate, quamvis sua illis suffecerit, probari posse.

Adjuvaverunt leg. 5. §. 10. D. de his, quæ ut indignis aufer. legitur, nec male; quamvis vulgatius sit *adjuverunt.* Fuisse enim antiquis præteritum *juvavi* in usu, vel inde apparet, quod *adjuvaturus* dixerint, pro *adjuturus.*

turus. Petron. in Satyr. pag. m. 63. adjuvaturos nos divinam providentiam vel periculo noſtro.

Inſidiaverint leg. 28. §. 11. D. de Pœnis legitur. Hic quamvis alia exemplaria legant, *inſidiati erant*, (facilè enim minutæ literæ (ti) in (v) potuerunt coaleſcere) ſunt tamen Grammatici, in illis Servius, P. Danielis, qui in loco illo Virgilii, *Inſcia Dido inſideat quantus miſeræ Deus*, legunt, *inſidiat*, i. e. inſidias faciat, atque adeò vel te invito bona vox eſſet, ut quæ Grammaticis placeat, quanquam ego corruptam dicere malim.

Præſtavit leg. 36. §. 1. de Hered. petit. legitur. Quamvis hic alii legant *præbuit*, oſtendam tamen, omnia illa à *ſto* compoſita in præterito, ſupino, & participio apud antiquos habuiſſe, a. Ita Propertius pro reſtiterit habet *reſtaverit*, lib. 2. eleg. 34.

Nec ſi poſt ſtygias aliquid reſtaverit *undas.*

Apud Lucan. lib. 2. eſt *Conſtatura* fides, pro conſtitura. Plin. lib. 12. 22. *Exſtatura* etiam duabus gemmis, pro exſtitura. Quintil. lib. 2. c. 12. Video in ipſo ſtatim limine quosdam oſtaturos mihi, pro obſtituros. Brut. in epiſtolâ apud Priſcum lib 9. Occiſo Cajo Cæſare *præſtatum* eſt, pro præſtitum eſt, Cic. epiſt. 19. lib 14. Puta, *præſtaturum* eum, pro *præſtiturum* apud Veget. lib. 1. cap. 1. cum vulgò legatur: Hispanos non tantum numero, ſed etiam viribus noſtris præſtitiſſe, Petrus Scriverius, Animadverſionibus in hunc locum, addit: Mei manuſcripti Codices legunt *præſtaſſe*, & Palatini quoque. Quis ex his allatis dubitet, *præſtavi* præteritum in uſu fuiſſe antiquis.

Tolliſſe leg. 13. §. 4. D. de acceptil. legitur, quanquàm & hic variet lectio, & alii Codices *tuliſſe* legant. Illud tamen probat Scaliger in *Varron. de R. R.* lib. 1. extrem. ubi demonſtrat, antiquos formaſſe ad analogiam præſentis præterita. Verba ejus ſunt: *Diſcedimus*, hic eſt pro *diſceſſimus*. Ita ſæpè apud Plautum *accedimus* pro *acceſſimus*. Præterita à præſenti, ut diximus. Sic Ulpianus dixit *tolliſſe* à tollo. Tibullus *atteruiſſe* pro *attriviſſe*. Saluſtius; *occanuere* ab *occano*. Vides igitur, antiquitatis hanc notam eſſe, idque auctore ſummo Grammatico Scaligero, vel centum magiſtellis & pædagogis opponendo.

Fodiri legitur leg. 72. pr. D. de V. O. Alii tamen legunt *fodi*: ſed nec illud malè. *Columella* lib. 11, cap. 2. Uncari & adhuc fodiri poſſunt. Et lib. de Arboribus cap. ult. Sed omnibus annis ante Calendas Martias fodiri oportet.

Fluerat leg 56. §. 1. D. de adquir. domin. legitur, ubi alii *fluebat*, alii *fluxerat*. At ego genuinam exiſtimo ſcripturam *fluerat*, tum ob rationem

Scali-

Scaligeri de præteritorum apud antiquos cum præſenti conformitate, tum quod & *Voſſius* in Lexico Etymologico, antiquos ſupinum *flutum* formaſſe dicat: ut, quemadmodum *ruo, rui, rutum*; ita *fluo, flui, flutum*, formatum fuerit.

Strixerit leg. 1. §. 3. D. ad L. Cornel. de Sicar. legitur pro *ſtrinxerit*. Quamvis hîc facilè mendum concedi poſſit, (quàm facilè enim litera una vel transverſa virgula omittitur) defendi tamen ſcriptura poteſt. Antiquis enim non ſtringo, ſed *ſtrigo* dicebatur, unde deſcendunt voces ſtrigæ, ſtrigamenta, ſtrigoſus, ſtrigit, de quibus lege Antiquarium Laurembergii, & Voſſii Etymolog. Hinc formatum præteritum *ſtrixi*. Et habetur in ſupplemento Antiquarii Laurembergii: ſtrixit enſem, ἐσπάσατο ξίφος, ſtrinxit.

Tueri paſſivè dicitur leg. 18. pr. D. de Pign. Act. Tuam fidem, quid audio? adeóne te rerum grammaticarum imperitum, ut neſcias, participia futura in *dus* deponentium paſſivè accipi poſſe, imò debere. Quis vel in pueris hanc ferat ignorantiam? Legitur ibi: Tuenda eſt à prætore hæc conventio. Quis poſſet rectius, magiſque Grammaticè, loqui? Audi Voſſium, lib. 4. de Anal. cap. 11. Futura in *dus* paſſivè accipe ſolere, planè eſt pervulgatum. Hujusmodi ſunt, Ulciſcendus, obſequendus, adipiſcendus, precandus & plurima id genus, quibus præterea non inſiſtam. Apud Ciceronem plurima exempla in una voce *tuendus* invenias. Ita is epiſt. ad Fam. 9. lib. 1. nunc ab iis, *à quibus tuendus* fuerat, derelictus. Rectius allegaſſes leg. 7. pr. D. de Curat. fur. dando, ubi verè paſſive accipitur: Conſilio & opera Curatoris *tueri debet* non ſolum *patrimonium*, ſed & corpus ac ſalus furioſi. Sed ne hoc quidem malè. En Varronis de R. R. lib. 3. cap. 1. auctoritatem: Quod & in pace à Ruſticis Romani alebantur, & in bello *ab his tuebantur*. Vitruv. præf. lib. 8. res omnes non ali ſine eorum poteſtate, nec creſcere, nec tueri.

Exequi leg. 19. D. de Juriſd. paſſive ponitur, rectè. En Juſtini auctoritatem lib. 7. cap. 3. Brevi tempore *exſecuto* Regis *imperio* legatis, ad Amyntam miſſis, obſides dari ſibi poſtulabat.

Oblivisci leg. 60. §. 6. D. de Rit. nupt. legitur. Non variat lectio, inquis, nec opus eſt. An tibi oblitum eſt, (pace tamen tua dixerim) in Virgilii Bucolicis:

Nunc oblita mihi tot carmina.

Hæc è Digeſtis adduxeras, ad infringendam eorum Latinitatem, quæ ſtabiliendæ potiùs inſerviunt, quemadmodum etiam omnia illa, quæ è Briſſonio, & aliis, collegit compilator *Calvinus* ſingularia; quibus ſimilia infini-

finita apud optimos auctores leguntur; quos si legisses, nunquam de Digestorum Latinitate ita sensisses. Possem, si opus, magnam testimoniorum è JCtis, & Philologis, adducere farraginem, unanimi te suffragio damnantium. Nunc unum tantùm audi Vossium lib. 4. cap. 1. sect. 9. Vallæ censuram approbantem: In Digestis est tanta sermonis puritas ac elegantia, ut optimus lingvæ Latinæ censor, *Laurentius Vallensis*, dicere non dubitarit, si lingva periisset Latina, ex solis eam instaurari posse Pandectis. Quis nescit, è JCtis Roman. potissimum Brissonium præclarum illud formularum opus concinnasse, cujus maximum in tota Romana antiquitate usum statuit *Böclerus* lib. de comparanda lingvæ Latinæ facultate, quodque peculiariter illuc collimet, ut ad observandum lingvæ Latinæ facultatem, puritatem, proprietatem, auctoritatem, studiosi eloquentiæ ritè imbuantur. Hisce congrua docentem vide etiam *Mauritium* nostrum, Programm. in Pandectas, sub auspiciis Academiæ publicato.

Quæ porrò ex Institutionibus, Codice, & Novellis à te allegantur, frustra quidem hic adducuntur, cum non satis sinceram Latinitatem in illis concesserint nuper Domini Professores, cum scripti sint libri eâ ætate, cum sermo jam contagium à barbarie traxerat. Dissimulare tamen nequeo, & hic exercuisse te infeliciter Criticam. Quod in Institut. & Cod. *Liberos* singulari numero tantum dici putas, vehementer falleris. Nam & Quintilianus declam. Cæc. eô utitur: Liberi ac Parentis non alius mihi videtur affectus. Sextus Aurelius Victor in Nerva: Trajanum in liberi locum, & partem imperii, adoptavit. Vide Vall. lib 3. cap. 8. Similiter & in Digestis reperias loca, quæ laudat Martini in Lexic. Etymol. ubi pluribus exemplis probare contendit, quod Veteres liberum singulari numero dixerint. Hinc Bacchus Latinis liber dicitur, quasi filius Jovis. Quod pulcre contra nugas Grammaticorum, qui à libertate deducunt, demonstrat Vossius de Anal. lib. 1. cap. 42. De voce *Contendor*, ais, passivè usurpari; activè voluisti dicere, nam *contendor* passivæ significationis est. Ita verò l. 3. C. de delatoribus lib. 10. legitur: Qui cum officialibus fundum possidere *contenderetur*, pro contenderet. Hic quamvis etiam mendum statui posset, opus tamen eâ excusatione non est, cum frequentissimum quoque sit apud auctores, passiva active usurpari & accipi, quod ignorasse videris. Cicero lib. 2. de Invent. Demonstandum est, quid juratus sit, pro juraverit. Plaut. Aulul. 1, 2. copulantur dexteros, pro copulant. Liv. 4. l. cap. 24. Spem integram communicati non sunt, pro communicaverunt. Cicer. ad Attic. 7, 16. eam epistolam, quam eram elucubratus, pro elucubraveram. Vellejus: peragratus est regionem, pro peragravit. Varro: Spe-

ctatus

ctatus est suem, pro spectavit. Cic. lib. 14. epist. 21. De Palulciano nomine, quod mihi suppeditatus es, pro suppeditasti. Varro lib. 2. de R. R. cap. 8. Ipsi pro se sacrificantur, pro sacrificant. Cicer. in Tusc. Quæst. Multi inimicos etiam mortuos puniuntur, pro puniunt. Liv. lib. 6. Vix exagitata furor erumpitur, pro erumpit. Virgil. lib. 1. Æneid.

Hic jam ter centum totos regnabitur annos,

pro regnabit. Cicero in Pisonem, Secum ipse caput sinistrâ manu perfricans commurmuratus sit, pro commurmuraverit. Si plura vis exempla, adi Vossium lib. 3. de Anal. cap. 5. Emundum Richerium de Arte figurarum lib. 1. pag. 207. Quid dicis ad hæc? Equidem non dubito, si tibi daretur imperium, ad Grammaticorum etiam ferulas hos rejiceres.


Sed benè est, quod censoribus istis tempus non egeat. Quid verè vult sibi lex *si quis* D. de V. S. adscripta? An eam putas alicui nostrûm incognitam? An eâ vis probare, rectè dici *aliquis femina?* Quod ut planè ridiculum, ita responsione non indiget; regereretque aliquis tibi ista Virgiliana:

——— ——— *Si quis tamen hæc quoque, si quis*
Risu digna legat. ——— ———

Quod reliqvum est, rogatum tamen Te velim, ut diligenter perpendas, an tanti jam putes dubia tua, cum Dominis Professoribus ut illa communicentur, qui fortasſis aliud habent, quod agant, neque valde nugatorias istas liticulas curabunt. Vale! &

——— ——— *Si quid novisti rectius istis,*
Candidus imperti, si non, his utere mecum!





DISSERTATIONIS
DE
MERITIS GERMANORUM LITERARIIS FRAGMENTUM.

SOlent animi hominum ita esse comparati, ut vel se solos æstiment, sua omnia unicè ament ceterisque præferant, vel aliorum inventa & res gestas, quod speciem fortè digniorem ostendant, majori veneratione prosequantur. Quorum alterum certissimum fastus & invidiæ argumentum est, alterum nativam aliquam bonitatem, candidos mores, generosam honestatem, & præclaræ virtutis indolem testatur. Præcipue si non quadam μεμψιμοιρίᾳ, & rerum domesticarum fastidio, vel rerum novarum inani studio, fiat, sed à modestia hominis minimè ambitiosi proficiscatur. Quod singulis itaque hominibus accidere solet, id in integris etiam populis evenire constat. Nam & in illis quos unicos rerum suarum admiratores videmus, qui alios ab omni bonæ mentis bonarumque artium commercio excludant, se solos sapere, reliquos volitare sicut umbras, existiment, vel ut degeneres pullos, & infelicibus viris natos, alto supercilio despiciant. Sunt, qui, ne quid majoribus suis debere videantur, natales à primis mundi natalibus, atque ultra illos à cœlo & astris, diisque ipsis, arcessunt. Fuerunt, qui se ante lunam natos jactabant, vel ultra omnium seculorum temporumque memoriam origines suas producebant. Aliqui se solos oculatos, reliquos terrarum orbis incolas vel cæcos, vel luscos insanâ & temerariâ arrogantiâ habuere. Ægyptii olim Hebræos præ se aspernabantur, illos Græci, quibus tamen omnem debuere sapientiam, mirifici in prædicandis doctrinis suis ostentatores, ut nulla esset gens, quam non domestico & familiari convitio inter barbaros numerarent. Romani, serò in societatem literarum & studiorum admissi, ægrè tandem ab illis impetrarunt, ut aliquo loco haberentur, quibus nil ad palatum, nisi quod erat Atticum, & veneres Græcas vel vernilitatem

tatem etiam ſpirabat. Ac fuit ſæpe maxima inter utriusque gentis homines de literarum & ſtudiorum præſtantia contentio, in quâ modeſtia Romanorum plerumque illis, velut magiſtris ſuis, cesſit, etiam cum illis ſuperiores ingenii palmam ab æquis cenſoribus merebantur.

Non defuerunt gentis ſuæ gloriæ amplificandæ, qui hoc officii ſui eſſe arbitrabantur, ut philopatriam ſuam, qua poſſent ratione, teſtarentur, neque civis ſe boni numeros abſolviſſe credebant, niſi omni in re illam ſignificarent. Quemadmodum illi, quos Theophraſtus in Characteribus Cap. XXIV. περὶ ἀλαζονείας, deſcribit, qui, Aſiaticos artifices Europæis eſſe præſtantiores, diſſentientibus aliis, contendunt. Usque adeo apud plerosque

vincit amor patriæ, laudumque immenſa cupido,

ut in πατριδομανίαν deſinerent. Quo morbo, ut plerisque in gentibus multi, ita apud Græcos & Romanos plurimi laborarunt.

Ex adverſo ſunt, qui omnia ſua etiam præſtantisſima neglectim habent, ſolaque externa magnifaciunt, vel quadam animi ἀδιαφορία, vel judicii ſublimitate. Nam cum exiguâ ingenii vi præditi ſunt, facileque intelligunt, quantum ad parandam rerum divinarum humanarumque cognitionem laboris requiratur, cumque eâ bonitate animi ſunt, ut vel tenuiter vel modeſtè de ſe ſentiant, magnificè de aliis, quos ſe ſapientiores doctioresque eſſe lubenter patiuntur; tantum abeſt, ut illis invideant, ut potius novis illorum commentis & repertis ſine fuco & fallacia applaudant, ac ſibi de ſapientiæ progresſibus, tanquam communi aliqua poſſesſione, in quam κοσμοπολῖται immisſi ſumus, gratulentur. Illam bonitati nativæ, quam doctrinæ æmulam conſtituit in ſuis *Sermonibus fidelibus Verulamius*, quis non immerito indolem accenſeat? Quâ ſi præ ceteris gentibus Germanos noſtros excelluiſſe ſemper dixero, citra jactantiam & oſtentationem a me affirmabitur: Nam cum ſummas res, ut armis, ita & literis geſſerint, quod tota hâc commentatione demonſtrabitur, ſuo illi ſilentio animi honeſtate contenti nil unquam præ aliis ſibi arrogaſſe viſi ſunt, adeo ut & cavillatores & contemptores ſuos, quos plurimos ſemper habuere, ne acerbiori quidem voculâ ulciſcerentur, aliæ vero gentes illorum ſpoliis impunè uterentur. Hanc tamen & natalibus antiquisſimam & ingenio laudatisſimam gentem, â Græcis & Romanis inter barbaros recenſeri quis ferat? quæ plus forte genuinæ illius ac primavæ ſapientiæ, etiam in illâ barbarie ſua, reconditum habuit, quam fabulatores illi Græci, qui comparatis ad fucum & ornatum literis, priſcam illam Celtarum ſapientiam vanis primum opinionibus incruſtarunt:

runt: cujus corruptelæ non veteres tantum Ægyptii, ſed & Romani reos illos faciunt. Quæ verò inſania eſt, gentem totam, & quidem antiquisſimam, adeò omni ingenii gloriâ exuere, ut nullius elegantioris diſciplinæ capaces videantur, quæ non nullorum ſciolorum improba & audacisſima eſt ſententia, & quidem ex illis gentibus, quæ Germanis ſuos ut parentibus natales debent. Teſtatur Plato, in lib. de Republica, Deum, cum homines formaret, aurum illis, qui eſſent honoratisſimi, & ad imperandum apti, ac ingenio præditi, admiſcuiſſe, aliis argentum, ferrum denique & æs rudioris ingenii hominibus, agricolis & opificibus. Ex ferro itaque vel plumbo conflati fortè illis videmur Germani, qui nihil in nobis λειψάνων χρυσȣ γένȣς, ſe verò totos aureos eſſe exiſtimant. Sed tamen & aſinos interdum aureos fuiſſe, è fabulis accepimus. Nimirum & ſingulorum ita populorum quædam machinationes & inſidiæ ſunt, artes quædam non laudabiles, quibus omnem ingenii & eruditionis opinionem ad ſe rapiant, & quemadmodum imperii principatum, ita etiam ſapientiæ & literarum affectent, ceteris ab omni famæ aditu excluſis.

Germani, quorum famam hâc diſſertatione vindicandam mihi ſumſi, cum inter principes referri populos debeant, immeritò ingenii hebetioris notam ſuſtinent; quaſi illis ſolis obſiſtat circum præcordia ſangvis, quorum ingenium & ſapientiam tot inventa, tot librorum monumenta docent, ut numerô non ſolùm, ſed & pondere aliorum labores vincere posſint. Quam rem cum tota hac diſſertatione acturus ſim, nunc in ipſo primordio vel ex antiquitate & origine hanc genti noſtræ prærogativam aſſertum ibo. Germanicæ gentis origines etſi multis ſunt difficultatibus impeditæ, tamen vel ipſa illa obſcuritate ſuam antiquitatem loqvuntur: quotquot enim hic ſunt ſententiarum divortia, ad abſtruſam tantùm & vetuſtisſimam originem tendunt. Conſervavit nobis Tacitus memorabilia priſtinæ *famæ* fragmenta, è quibus inſigne illud eſt, quod Germani *carminibus celebrarint antiquis TUISCONEM* ſive Tuitonem, ut alii legunt, *dum terrâ editum, & filium MANNUM, originem gentis conditoresque.* Quod ſi, ut Cluvero aliisque placuit, per Tuiſconem Deus O. M. per Mannum Adamus intelligendus eſt, quæ ſpectabilior digniorque origo fingi poteſt? nam ſi illorum interpretatione nitimur, primatum inter omnes vindicare poteramus. Quod ſi ad Noachi filios ibo, vel Japhetum gentis noſtræ autorem faciunt; & tum aliquo etiam primogenituræ, quam Japheto nonnulli tribuunt, jure frueremur: vel ad Tuiſconem quendam Noachi filium, poſt diluvium ab illo genitum, originem noſtram referunt, Annii Viterbienſis Beroſon ſecuti: quod & Aventino placuiſſe videmus, qui illud

illud ipſum nomen Germanicæ originis facit, à voce Tütſchen / interpretari, ortum. Verum cum Beroſiana illa ὑποβολιμαῖα viris doctis habeantur (quamquam inter illos non deſint, qui peculiaribus in libris illa vindicent) & è ſacris tantum tres Noachi filii numerentur, hæc ut incerta dimittenda ſunt. Præterea vox illa Germanica nova eſt, & ex nomine populi conficta, ut ab illo nominari Tuiſco non poſſit. Et ſi, Tuiſconem aliquem fuiſſe, quicunque demum is fuerit, gentis conditorem, è Tacito certum eſt; Germanicæ ſanè linguæ etiam iſto tempore uſum, ſi hæc vera eſſent, conjeceris: & voluit Stierenhelmius, ſingulari libro de Roma Svecica, hunc vetuſtum Scythicæ linguæ, quæ Germanica eſt, uſum probare, quod ſuo nunc loco relinquo. Quod ad Japhetum attinet, prolixè Sheringhamus demonſtrat, nunquam illum veniſſe in Europam. Sunt qui à Gomero, ſunt qui à Thogarma Germanos, vana nominum alluſione moti, deducunt, cum tamen ipſum Germanicum nomen recens ſit, & illi Bochartus Phrygiam, huic Armeniam, alii alia loca aſſignent, ſuis quoque rationibus inſtructi. Aſchanazum aliqui, moti locorum quorundam in Germania nominibus, Germanorum parentem conſtituunt, quem ad Phrygiam minorem idem refert Bochartus. Rabbinos, hujus ſententiæ patronos, jam tum refutavit Grotius & Bochartus: quibus accedit Kriegsmannus in Conjectaneis ſuis de Germanicæ gentis origine. Quicquid vero hujus, non temere deſerenda eſt Taciti autoritas, qui Tuiſconem & Mannum ex ipſis gentis antiquis carminibus commemorat. Qui ſi non extaret apud autorem locus, pro fabulis dudum illa exſibilaſſent Hiſtorici, quibus illa carminum fides ſuſpecta forſan fuiſſet: ſed illa nunc à Tacito memorantur, quæ non illo primùm tempore nata, ſed ipſis Græcorum & Romanorum annalibus multo ſunt antiquiora: ac literis etiam antiquitus fuiſſe conſignata, nullum eſt dubium. Nam quæ Tacitus literarum ſecreta Germanis ignorata ſcribit, de ſtudiis potius, quàm de ſcripturâ intelligendum, ut Goldaſtus quoque in not. ad Paræneticos veteres pag. 346. judicat. At Carolus Magnus ſuo tempore conſcribi curavit: non ille primum à ſe inventis literis ſcribenda curavit, ſed in unum volumen collegit, ne iſte antiquitatis periret theſaurus. Hæc cum ſupereſſe in Germaniæ Bibliothecis teſtis ſit Aventinus, non ſunt illa, quæ de primis Germaniæ Regibus apud Aventinum leguntur, omnia pro fabulis habenda: ac magna eſt ſuſpicio, fuiſſe in illis quædam priſtinæ Hiſtoriæ λείψανα aliis hiſtoricis vel non viſa, vel etiam intacta.

Qui gentis ſuæ Svecicæ antiquitates Atlanticæ libro demonſtrare voluit Olaus Rudbekius, quicquid de Germanorum origine recenſet Tacitus,

tus, ad Svecos suos omne applicat, tàm operoso conatu, totque huic rei quæsitis coloribus, ut penè extorquere à lectoribus fidem videri possit. A Japheto hunc ille Tuisconem, vel potius Tuissonem, deducit c. XIX. qui Tys sive Dis dictus, Jupiter vel Diespiter fuerit, & hujus nominis etymologiæ verbis Taciti fidem facit. Nam cum Tys terram, vel limum significet, & *Son* filium, Tuisconem ait esse illum à Tacito memoratum Deum terrâ editum. Probat præterea quædam loca Edda, vetusto quodam septentrionalium scripto, quod Mythologiam hujus gentis continet, ubi Tuissones dicti fuerunt homines, qui primum ex terra prodierunt: ex eo nomine Græcorum quoque Θεός, & Latinorum DEUS prodiisse arbitratur. Hujus Tuissonis filium Mannum, unde Sveciam Manheim, & Bannonianam dictam c. XIIX. multis argumentis probat. Quæ cum omnia à viro doctissimo fidenter adstruantur, nunc quidem illorum fidem non sollicitabo. Neque Germanorum antiquitas his imminuitur; imò potius stabilitur, cum Scythicæ propaginis maxima Germanorum pars sit: sub quo nomine solos ille Svecos suos (an rectè alii judicent) comprehendit; de omnibus enim temerè hoc non asseverabis, cum vastissima gens, tot populis distincta, procul dubiô non ab una origine omnis defluxerit. Germanicam lingvam Scythicæ sobolem Grotius in Prolegomenis Historiæ Gothicæ statuit. Sed nil vetat, Scythicam & Germanicam unam eandemque esse lingvam.

Cetera desiderantur.



INDEX PRIMUS AUTORUM,

Qui in his Dissertationibus allegantur.

Lucia-

FINIS INDEX PRIMI.



INDEX SECUNDUS RERUM ET VERBORUM LOCUPLETISSIMUS

Prior Numerus paginam, alter paragraphum denotat; nisi unus modo numerus allegatus sit, qui paginam indicat.

Afri. Africitas.

Affectatio.

Affectus.

Affirmans.

Alienatio.

Alimenta.

Allobrox.

Amans. Amor.

Ampulla Remensis.

Angli.

Angeli.

Angvillæ.

Animal.

Animus.

Annulus.

Anses.

Ansibarii.

An-

Bene-

Car-

Con-

Fla-

Impuberes.

Impotentia. Impotens.

Kel-

Phan-

 Pro-

Solida.

Solitudo.

Soni.

Spadones.

Spagnetus.

Specula magica.

Speluncæ.

Spinola.

Spinosa.

Spiritus.

Stur-

V.

F I N I S.



